# CODEX
# REGVLARVM
ET
# CONSTITVTIONVM
## CLERICALIVM

In quo Forma inſtitutionis Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viuentium; Leges item ſcriptæ Fratrum vitæ communis, Theatinorum, Paulinorum ſeu Barnabitarum, Societatis Ieſu, Clericorum Somaſcę ſeu S. Majoli Papienſis, Boni Ieſu, Oratorij, Oblatorum S. Ambroſij, Miniſtrantium infirmis, Clericorum Minorum, B. Mariæ, Scholarum piarum, Doctrinæ Chriſtianæ, & aliarum religioſarum familiarum in congregatione viuentium, recitantur, Notiſque illuſtrantur,

*Studio* AVBERTI MIRÆI. *Bruxellenſis,*
*S. Th. Licentiati & Decani Antuerpienſis.*



ANTVERPIÆ
APVD CÆSAREM IOACH. TROGNÆSIVM.
ANNO M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

PERILLVSTRI ET NOBILISSIMO

# D. FRANCISCO DE GAND

DICTO VILLAIN

EX COMITIBVS DE ISEGHEM

BARONI DE RASIEGHEM ET BORSBECQVE

TOPARCHÆ DE OIRDEGHEM SMETTELEDE &c.

IN ORATORIO SERENISSIMI PRINCIPIS

D. FERDINANDI HISP. INFANTIS

BELGICÆ ET BVRGVNDIÆ PROREGIS

CORTINÆ SACRÆ PRÆFECTO

INSVLENSIS S. PETRI ECCLESIÆ PRÆPOSITO

IN RENOVANDIS PER FLANDRIAM MAGISTRATIBVS

COMMISSARIO PRIMO.

V*Etera & Noua, ex immenſo Eccleſiæ orthodoxæ theſauro deprompta, vnumq; in faſcem collecta, & noſtro qualicumque commentario illuſtrata,* VIR NOBILISSIME, *ad Te defero. Vetus eſt Forma inſtitutionis, ſiue, vt vulgò nuncupant, Regula duplex, vna* CANONICORVM, *altera* SANCTIMONIALIVM *canonicè viuentium; vtraque ante annos octingentos, in noſtra vicinia à Cõcilij Aquiſgranenſis Patribus edita. Noua ſunt, vtpote noſtro & ſuperiore ſæculo ſcripta, partim Regulæ, partim Conſtitutiones variæ* CLERICORVM *in congregatione viuẽtium. Ac primis quidem Eccleſiæ ſæculis, Clerici tantummodò ſacrorum adminiſtri exſtiterunt. Clero deinde Monachi ſunt adiecti, qui meditationibus diuinis intenti ſolitaria ſibi extra vrbes domicilia conſtruxerunt : adeoq; exiguum aut nullum cum procuratione ſalutis alienæ commercium habue-*



Digitized by Google

*runt. Re & nomine monachos ſeſe profitebantur; agros, ſiluas*
*& alia id genus loca petebant auia, vt cum Deo & ſecum*
*toti eſſent, mortalium propè obliti. Vel vnus nobis teſtis ſuf-*
*fecerit Rutilius Numatianus, poëta ethnicus, qui anno Vr-*
*bis conditæ* MCLXIX. *hoc eſt, Chriſti nati quadringenteſimo*
416. *ſextodecimo, Itinerarium ſuum carmine ſcripſit, & de mona-*
*chis in Capraria Tyrrheni maris inſula latitantibus hæc*
*cecinit, & ad poſteros tranſmiſit.*

Proceſſu pelagi iam ſe Capraria tollit:
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd ſoli nullo viuere teſte volunt.

*Vt de Ægypti & Syriæ ſolitudinibus nihil dicam; Lerum & Lerinum Gallici maris inſulas, item Stœchades in ora Maßilienſi olim cœnobijs ac cellulis monachorum refertas fuiſſe, Caßianus ſuis in Collationibus narrat : ex quibus ſeptem poſtremæ ad ſanctos, qui in Stœchadibus erant inſulis, miſſæ ſunt; totidem ad Honoratum & Eucherium, quorum alter conditor, alter monaſterij Lerinenſis alumnus exſtitit. Diffluentem exinde monachorum diſciplinam ſeueris legibus ac regulis primus Baſilius in Græcia; Benedictus in Italia; Donatus, Iſidorus, Martinus Dumienſis & Fructuoſus in Hiſpania; Bruno, Petrus Venerabilis in Gallia; Dunſtanus & Lanfrancus in Britannia; Ioannes Rodius in Germania, & alij alibi adſtrinxerunt. Horum diſcipuli ac ſectatores partem curarum in communem populi Chriſtiani vtilitatem paulatim deriuarunt : gymnaſijs ad hæc domi excitatis, nihil quod ad perficiendam ſuorum virtutem ac doctrinam, nihil quod ad alienam pertineret ſalutem promouendam, omiſerunt. Nec à ſuis intereà functionibus* CLERICI *ceſſarunt: quorum quidem pars eminentior & veterum diſciplinæ ſtudioſior.*

Digitized by Google

*ſior; paulò ante Caroli Magni Imp.auum, illuſtri* CANONICORVM *titulo fuit nobilitata. Atque hi ſuis in clauſtris ſcholas etiam Theologicas, Philoſophicas ac Litterarias aperuerunt: prœq; ſui clericalis inſtituti ratione, quod Eccleſiæ publicè aut priuatim prodeſſet, alienum abs ſe nihil putauerunt. In ſanctam itaque gentem & regale ſacerdotium tranſ-ſcriptos varijs, ijſq; eximijs honoribus Pontifices Maximi, Imperatores, Reges ac Principes auxerunt. Leo* IX. *in Veſontionenſi baſilica anno* M. XLVIII. *ſeptem Canonicos Car-* 1048.
*dinales inſtituit: quod ipſum anno proximè ſequenti Colonia* 1049.
*Agrippina & Remis præſtitit. Eodem titulo Mediolanenſes & Rauennates in Italia Canonici; itemq; Compoſtellani & Calagurritani in Hiſpania gaudere ſolent. Auenionenſes, vt & Veſontionenſes, ex indulto Apoſtolico, hodieq; violacea veſte induuntur. Lugdunenſes & Anicienſes in Gallia, Lucenſes in Etruria, & alij alibi mitras ſeu infulas Epiſcopales geſtant, cùm ſacris operantur. Ad eum denique gradum dignitas huius ordinis conſcendit, vt ipſi Cæſares ac Reges ſibi honorificum ducere ſoleant, inter Canonicos numerari. Vaticano D. Petri Canonicorum collegio Cæſar adſcribi conſueuit, antequam corona Imperiali à Pontifice ornetur: vt Pompeius Vgonius, alijq; rerum Romanarum ſcriptores produnt. Rex Francorum in Lateranenſi, Lugdunenſi, Turonenſi, Andegauenſi, Cenomanica, Pictauienſi, Floropolitana & Anicienſi ædibus cathedralibus, de numero Canonicorum cenſetur. Vt porrò à politico ad ſacrum ordinem tranſeam; præter Metropolitanos & Epiſcopos, ipſi quoque Abbates plurimis in locis Canonicali titulo ac cenſu annuo gaudent: vt Camaraci Abbas S. Auberti; Binchij in Hannonia Abbas Laubienſis; Ambianis Abbas S. Ioannis; apud Sueßiones Abbas S. Ioannis in Vinea; apud Carnutes Abbas S. Ioannis in Valle; Anicij Abbates Maioris mo-*

 *naſterij*

*naſterij & Caſa Dei; apud Andes Abbas Sanctorum omnium; & apud Turones Abbas Cormeriacenſis. Quam porrò vitæ rationem maiores olim noſtri tenuerint, & quibus exercitationibus tantam apud omnium ordinum homines exiſtimationem ac formam conſecuti fuerint, manifeſtè*
816. *datur intelligi ex Inſtitutis anno* DCCCXVI. *Aquiſgrani conditis: quæ diu velut ſepulta nunc in lucem reuoco; & vt ad omnium manus faciliùs perueniant, ſeorſim typis edita in communem vſum profero. Habebantur ea quondam in pergameno deſcripta, ſi non in omnibus, ſaltem in vetuſtioribus pleriſque Galliæ, Germaniæ, Belgij, Burgundiæ, Lotharingiæ, aliarumq́; prouinciarum eccleſijs: atque ex ijs manè poſt Martyrologium quotidiè Lectio breuis ſeu Capitulum breue, in loco Capitulari (indè ſic dicto) aut in Choro recitabatur. Quam laudatiſſimam conſuetudinem, Horâ canonicâ, quam vocant Primam, finitâ, illuſtris veſtra apud Gallo-Flandros eccleſia Inſulenſis, vnà cum veteris clauſtri ſeu communis domicilij forma, & ſingularum officinarum veſtigijs, hodieq́; ſeruat. Iure igitur,* VIR NOBILISSIME, *Tibi tam illuſtris collegij Præpoſito, omniſq́; antiquitatis eccleſiaſticæ peritiſſimo, noua iſtorum Inſtitutorum editio debebatur. Iure item pars altera, quæ Sanctimoniales canonicè viuentes (eas hodie* CANONICAS *ſeu Canoniſſas vulgus nuncupat) ex profeſſo tangit, ad Tuum pariter tribunal defertur: vtpote qui multis annis nobiliſſimæ apud Montenſes in Hannonia eccleſiæ, à S. Waldetrude liberaliter fundatæ ac dotatæ, Præpoſituram geſſeris, & inter illuſtres illius atque aliorum in Belgio collegiorum virgines, Tibi ſanguine aut affinitate iunctas numeres non paucas. Breuiter, iſtæ* CLERICORVM *Regulæ ſeu viuendi Formulæ ſua ſponte ad* Te *ire geſtiunt: vtpote quòd eas amari abs Te, ſi Te amas, probariq́; ſit neceſſe. Quid enim aliud Tibi offero,*

*cùm*

*cùm eas offero, quàm ſpeculum, in quo Te ipſum, hoc eſt, virtutum tuarum imaginem intuearis ac recognoſcas? Quid rectum aut ſanctum ſuadent hæc Inſtituta, quod tuis in moribus factiſq; non eluceat? Reprehendunt otium, damnant libidinem, faſtum, luxum, aliaq; vitia: Tu ea omnia à teneris annis auerſaris. Cultum Dei, pietatem, religionem, vitæ probitatem commendant: Tu iſta rebus omnibus anteponis. Theologiæ, ſacrarum litterarum, Canonum pontificiorum, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, omniumq; ſublimium diſciplinarum ſtudium prædicāt: Tu hæc vniuerſa poſsides. Modeſtiam, benignitatem, liberalitatem in ſubleuandis inopũ atque afflictorum calamitatibus, comitatem erga omnes docent: hæc omnia Tibi, tuæq; familiæ, ex antiquiſsima ſtirpe Caſtellanorum Gandenſium ac Villanorũ procerum ortæ, propria ſunt ac perpetua. Quamquam hæc à me quorſum? qui nec laudes tuas ſcribere inſtitui, nec ſi velim, opus habeam omnibus nota commemorare; cùm laudem omnem vincant quæ in Te (viuentibus* ALBERTO & ISABELLA *optimis Principibus) aula noſtra annis ſuperioribus venerata eſt, & nunc etiam ſuſpicit. Attamen hinc colligere potes, qua fiducia benignitatis atque umanitatis tuæ, munus iſtud penè domeſticum ac familiare ibi offeram: vt cùm nominis ac gentis veſtræ ſtudioſorum ominũ conatus omnes beneuolè complecti ſoleas, non minorem uic noſtro Codici gratiam tribuendam prorſus confidam. Scio uidem non defuturos, qui præclara iſta maiorum noſtrorum ſtituta velut antiquata flocci facient. Fateamur tamen neſe eſt, ſi non omnia, ſaltē pleraque facilè in vſum reuocari ſe; & non pauca decreto Conc.* Tridentini *iam eſſe ſanci-. Æſtimemus itaque ſaluberrimam hanc Formulam inſtiionis Canonicæ; demuſq; operam, vt nomini ac titulo, quem imus, dignè reſpondiſſe videamur. Datum Antuerpiæ* I I. *Kal. Decembreis* M.DC.XXXVII.

Lib. 1. Machabæorum cap. 11.

MEMENTOTE OPERVM PATRVM, QVÆ FECERVNT IN GENERATIONIBVS SVIS, ET ACCIPIETIS GLORIAM MAGNAM ET NOMEN ÆTERNVM.

---

## APPROBATIO CENSORIS.

CODEX Regularum & Conſtitutionum Clericalium (in quo Forma inſtitutionis Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viuentiũ; Leges ſcriptæ Theatinorum, Paulinorum ſeu Barnabitarum, Societatis Ieſu, Clericorum Somaſcæ ſeu S. Majoli Papienſis, Boni Ieſu, Oratorij, Oblatorum S. Ambroſij, Miniſtrantium infirmis, Clericorum Minorum, B. Mariæ, Scholarum piarum, Doctrinæ Chriſtianæ, & aliarum religioſarum familiarum in congregatione viuentium, recitantur, Notiſque illuſtrantur, ſtudio Reuerendi admodum Domini AVBERTI MIRÆI, Protonotarij Apoſtolici & Decani Antuerpienſis) vtiliter ad bonum Eccleſiæ, cum Auctarijs, Notis, alijſque adiunctis publicari poterit. Datum Antuerpiæ 14. Nouembris 1637.

*Gaſpar Eſtrix, S. Theolog. Licent. Canonicus,*
*Plebanus & librorum Cenſor Antuerpiæ.*

---

## SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPI IV. Regis Catholici, Belgarumque Principis diplomate ſancitum eſt, ne quis *Codicem Regularum & Conſtitutionum Clericalium, in quo Canonicorum, Canoniſſarum, & Clericorum in congregatione viuentium Regula & Conſtitutiones continentur, Notiſque ab Auberto Miræo,* Decano *Antuerpienſi, illuſtrantur,* præter Cæſaris Ioachimi Trognæſij voluntatem vllo modo intra decennium imprimat, aut alibi impreſſum in ditiones Belgicas importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vt latiùs habetur in diplomate Bruxellis dato die 30. Iulij, 1637.

*Signat*

*Petrus Le Mire.*

# R E G V L Æ

E T

# CONSTITVTIONES
# CLERICORVM
# IN CONGREGATIONE
VIVENTIVM

Fratrum vitæ communis, Theatinorum, Paulinorum ſeu Barnabitarum, Societatis Ieſu, S. Majoli Papienſis ſeu Somaſcę, Oratorij, Oblatorum S. Ambroſij, Miniſtrantium infirmis, Clericorum Minorum, B. Mariæ, Doctrinæ Chriſtianæ, Scholarum piarum, & aliarum religioſarum familiarum,

*Studio* A V B E R T I M I R Æ I *Bruxellenſis, S. Theologiæ Licentiati & Decani Antuerpienſis, vnum in corpus collectæ, Notiſq́; illuſtratæ.*



A N T V E R P I Æ
VD CÆSAREM IOACH. TROGNÆSIVM.
ANNO M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

RELIGIOSISSIMIS

# CLERICORVM

## IN CONGREGATIONE VIVENTIVM FAMILIIS.

S*Vperiore ſæculo Lutherus, Menno, Muncerus, Zuinglius, Caluinus, & alij partim monachi excucullati, partim clerici apoſtatæ, à Satana incitati, priſcas hæreſes pœnè vniuerſas, ſummo Eccleſiæ catholicæ damno, velut ab inferis reuocarant. Inuidiſſimus nimirum humani generis hoſtis paucos quoſdã è monachorum ac clericorum numero blandè ſeduxerat, quorum miniſterio per vniuerſum orbem ſua venena diffunderet, & tantò certius de Religione, cæremonijs, deq; clericali ac monaſtica vita, vt confidebat, ſubacta triumpharet, quantò nequiores, longoq; vſu cœnobij & vana doctrinæ oſtentatione ad perniciem inferendam inſtructiores ſatellites ſuſcitaſſet. Sed ne ſuæ Deus Eccleſiæ deeſſe videretur, nouis diaboli machinationibus ac technis nouæ artes & remedia, nouis impiorum phalangibus nouæ religioſorum hominum legiones opponendæ fuerunt. Primi itaque velut ſignum anno* M. D. XXIV. 1524.
*ſuſtulerunt* B. Caietanus Thienæus & Ioannes Petrus Carafa, *viri Apoſtolico ſpiritu pleni: qui vt Clericorum deprauatos mores non ſolùm monitis, ſed & exemplo ſuo corrigerent, Clericorum regularium familiam cognomento Theatinam fundarunt. Secuti deinde* Hieronymus Æmylianus, *Somaſcenæ congregationis parens*; Antonius Maria Zacharias, Bartholomæus Ferrarius & Iacobus Antonius Morigius, *Barnabitarum ſeu Paulinorum ſodalium anteſignani*; S. Ignatius Loyola, *Societatis Ieſu conditor*; & S. Philip-

pus Nerius, *Oratorij inſtitutor. Hos exceperunt* S. Carolus Borromęus, *qui Oblatos S. Ambroſij*; Camillus Lellius, *qui Miniſtrantes infirmis*; Ioannes Auguſtinus Adornus, *qui Clericos regulares Minores*; Ioannes Leonardius, *qui Congregationem B. Mariæ*; Cęſar Buſius & Ioannes Baptiſta Remillonius, *qui ſodales Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia*; Ioſephus Calaſantius, *qui Scholas pias in Italia*; Petrus Berullius, *qui Oratorium Ieſu Chriſti in Gallia, magno quiſque zelo, inſtituerunt. Harum omnium piarum Congregationum Regulas & Conſtitutiones vnum in corpus cùm hactenus nemo collegerit, rem Eccleſiæ vtilem & religioſis familijs gratam me facturum exiſtimaui, ſi prouinciam iſtam ab ijs intactam amplecterer, amplexam pro virili illuſtrarem. Praſtiti itaque, apud extremos hominum Morinos conſtitutus, quod pro tenuitate mea potui: & doleo non omnia me documenta, quæ argumentum iſtud tangunt, ex Vrbe alijſq; locis hactenus adſequi aut nanciſci potuiſſe. Et verò cœpiſſe, in tanta rerum varietate, ſatis mihi fuerit: alios excitaſſe, viamq; patefeciſſe, fructus erit, vt ſpero, in Eccleſiæ aliquando non exiguus. Eant ergò, qui ſæculum illud effœtum falsò clamitant; qui Antiquitatem tantummodò ſcrutantur, admirantur, prædicant; qui æui noſtri exempla negligunt, aut ſtolidè contemnunt. Habemus Petros, Paulos, Antonios, Auguſtinos, Hieronymos, Ignatios: quos etſi cum priſcis illis heroibus comparare non auſim, noſtræ tamen ætatis hominibus in exemplum dare ac proponere liceat. Numeramus multa & magna nomina, Carolos, Philippos, Cæſares, Camillos, & id genus alios carnis, mundi, dæmonum victores ac triumphatores. Sunt itē ad manum iſtorum illuſtrium virorum illuſtres præcones, quos ſuis infrà locis nominabimus ac producemus. At verò* cùm vitio conditionis

De claris Oratorib. humanę (*Taciti verba ſunt*) datum ſit, vt pręſentia deſpicia-

piciamus, & ſuſpiciamus antiqua; *erunt, ſcio, qui vulgare illud*, Heſterni ſunt, *nobis obijcient. Illis ego cum Arnobio breuiter reſpondeo,* Auctoritatem non tempore æſtimandam eſſe, ſed numero; nec qua die, ſed quid cœperis cogitandum. *Addo & illud Gregorij Nyſſeni, Deum iã inde à Noëmi diluuio ſingulares viros ſingulis ætatibus, vt ceterorum piorum hominum duces & anteſignanos, extuliſſe. Quin imò ea eſt Maieſtatis Diuinæ erga Eccleſiam benignitas ac prouidentia, vt pro neceſſitate temporũ nouas in ea familias, nouos Ordines ſuſcitet, & tamquam non contenta veteribus, alias ei copias ſuppeditet, alia denuò præſidia ſubminiſtret. Teſtatiſſima ſunt hac vel ex ipſo ſæculorum decurſu, ſi quis ſingularum ætatum hæreſes & religioſas familias eis à Deo oppoſitas in memoriam reuocet. Quòd ſi porrò cuiuſque vires, munia ac functiones seriò quis expenderit, nullam temerè aut fortuitò, ſed cæleſti omnes prouidẽtia ac cõſilio inſtitutas, ſingulas verò dotibus ad deſtinatos vſus neceſſarijs abũdè locupletatas intelliget. Ceterùm inſcitiæ tollendæ, & Clericorũ moribus (qui lapſu atque iniuriâ temporũ, vt nihil eſt ſtabile in rebus humanis, peſſum ierant, emendandis remedium à Pontt. Romanis, ineunte ſæculo ſuperiore, quærebatur. Eximiam hac in re operam Hadrianus* VI. *præſtare cœperat: ſed mors inuida laudatiſſimos eius conatos abrupit. In pontificatu & ſanctiſſimo illo ſtudio Clemens* VII. *ſucceſſit: quo viuente, benigniſſimus Deus tres pijſſimas Clericorum familias,* Theatinam, Somaſcenam *&* Paulinam, *ad veterem Cleri diſciplinam in vſum reuocandam, opportuniſſimè excitauit. Secutæ ſunt aliæ poſteà, ſuo ordine à nobis infrà laudandæ: ſed hic ſtilum nunc ſiſto, & Deum venerans precor, vt ſingulis ſalutare det incrementum. Antuerpiæ* VIII. *Kalendas Nouembris,* M. DC. XXXVII.

Lib. 2. cont. Gent.

AVBERTVS MIRÆVS.

# INDEX ARGVMENTORVM
## SERIE TEMPORVM
## DISTRIBVTVS.

*Congregatio Fratrum vitæ communis, à Gerardo Magno Dauentrienſi, eiuſq́; diſcipulo Florentio Radeuinio circa annum* 1379. *inſtituta:* pagina 1.

*Conſtitutiones ſeu Statuta FF. Dauentrienſium, Colonienſium & aliorum habentur* pag. 3. & 144.

*Conſtitutiones Clericorum regularium (quos vulgò Theatinos vocant) à B. Caietano Thienæo Vicentino, Ioanne Petro Carafa Neapolitano (tunc Epiſcopo Theatino, pòſt Cardinale, & demùm Papa) ac ſocijs* 1524. *inſtitutorum:* pag. 23.

*Congregatio Somaſcenorum ſeu S. Majoli Papienſis, ab Hieronymo Æmiliano, patricio Veneto, Somaſcæ* 1528. *incohata:* pag. 71.

*Excerpta ex Conſtitutionibus dictæ Congregationis Somaſcenæ & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, exſtant* pag. 137.

*Congregatio Barnabitarum ſeu Clericorum regularium S. Pauli, ab Antonio Maria Zacharia Cremonenſi, Bartholomæo Ferrario & Iacobo Antonio Morigio, patricijs Mediolanenſibus, anno* 1533. *incohata, & à Clemente* VII. *anno eodem approbata:* pag. 53.

*Societas* Iesv, *à S. Ignatio Loyola Cantabro condita, &* 1540. *à Paulo* III. *eſt approbata.* pag. 58. *Regulæ communes eiuſdem habentur* pag. 67.

*Congregatio Clericorum Boni* Iesv, *à duobus pijs Sacerdotibus Rauennatibus Leone & Hieronymo eſt inſtituta; hortante Margarita virgine Rauennate, quæ magna ſanctitatis opinione anno* 1505. *deceſſit.* pag. 70.

*Congregatio Presbyterorum Oratorij, à S. Philippo Ne-*

*rio Florentino circa annum* 1550. *Roma incohata,* & 1595. *à Gregorio* XIII. *confirmata. Inſtituta dicta Congregationis Oratorij,* 1612. *à Paulo* V. *approbata, exſtant* pag. 78.

*Congregatio Oblatorum S. Ambroſij, à S. Carolo Borromæo, Mediolanenſi Archiepiſcopo,* 1578. *inſtituta; probante Gregorio* XIII. *Pontifice:* pag. 98.

*Congregatio Clericorum regularium Miniſtrantium infirmis, a Camillo Lellio, Theatinæ diœceſis Presbytero, S. Philippi Nerij diſcipulo, condita,* & 1586. *à Sixto* V. *approbata:* pag. 101. *Regula eorum ſeu Formula viuendi,* 1591. *à Gregorio* XIV. *approbata, exſtat* pag. 103.

*Congregatio Clericorum regularium Minorum, à Ioanne Auguſtino Adorno, Genuenſi, anno* 1588. *Neapoli incohata,* & *anno eodem à Sixto* V. *tabulis firmata. Excerpta ex eorumdem Conſtitutionibus,* 1605. *à Paulo* V. *probatis reperies* pag. 109.

*Congregatio Clericorum B. Mariæ, in vrbe Lucenſi* 1574. *à Ioanne Leonardio, Lucenſis diœceſis Sacerdote, incohata,* & 1596. *à Clemente* VIII. *approbata:* pag. 111.

*Congregatio Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ, in Gallia* 1592. *à Cæſare Buſio* & *Ioanne Baptiſta Romillonio excitata: cuius quidem Congregationis domicilia anno* 1616. *partim Somaſcenis, partim Presbyteris Oratorij in Gallia aggregata fuerunt:* pag. 75. 137. & 143.

*Congregatio Presbyterorum Oratorij Ieſu Chriſti Domini noſtri, anno* 1611. *à Petro Berullio Pariſienſi, S.R.E. Cardinale incohata,* & 1613. *à Paulo* V. *approbata:* pag. 117.

*Congregatio Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in vrbe Roma* 1607. *à Paulo* V. *inſtituta,* & *ab alijs deinde Pontificibus ſtabilita:* pag. 116.

*Congregatio Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum, Clementis* VIII. *auctoritate, à Ioanne Ca-*

*laſan-*

*laſantio Aragonio inſtituta; à Paulo* V. *Gregorio* XV. *&* *alijs deinde Pontificibus ſtabilita:* pag. 111.

*Elenchus veterum Regularum & Conſtitutionum aſceticarum; ducto initio à S. Pachomij auo:* pag. 127.

*Poſteriorum ſæculorum Familiæ religioſæ, & à quibus Pontificibus ſint approbatæ:* pag. 152.

*Clericorum in congregatione viuentium duæ ſunt hodie claſſes: vna eorum, qui non adſtricti votis ſolemnibus viuunt in communi domo & menſa, vt olim Canonici ſuis in clauſtris vixerunt: altera eorum, qui vota ſolemnia emittunt, & proprietatem omnium rerum à ſe abdicant. Prioris claſſis ſunt Patres Oratorij in Italia, Gallia & alibi; item Oblati* S. *Ambroſij in diœceſi Mediolanenſi. Poſterioris ſunt Clerici regulares Theatini, Somaſceni, Paulini, Societatis Ieſu, Miniſtrantes infirmis, Clerici Minores, B. Mariæ, & Scholarum piarum:* pag. 77.

## APPROBATIO CENSORIS.

REgulæ & Conſtitutiones Clericorum in congregatione viuentium, à Reuerendo admodùm & Clariſſimo Viro Domino Auberto Miræo, Decano Antuerpienſi, collectæ, & varijs modis illuſtratæ, vtiliter excudentur, ad plurimorum inſtructionem. Datum Antuerpiæ die 26. Octobris 1637.

*Gaſpar Eſtrix Pleb. & lib. Cenſor.*

# CONGREGATIO CLERICORVM SEV FRATRVM VITÆ COMMVNIS

A Gerardo Magno Dauentrienſi, eiuſquè diſcipulo Florentio Radevinio circa annum 1379. inſtituta.

## CAPVT I.

### *Excerptum ex Ioannis Buſchij Chronico Windeſimenſi.*

DIuina prouidentia ſeneſcentem mundum, iamque ad inferos deſcendentem oculo pietatis & clementiæ ſuæ reſpiciens, in extremis penè terrę finibus lumen valdè cælicum, mentium illuminatiuum, dignata eſt accendere, quod corda tenebroſa, callo malæ conſuetudinis plurimùm obdurata, & multis peccatis valdè infrigidata intùs illuſtraret, caloreque caritatis vehementer accenderet; venerabilem videlicet virum, magiſtrum GERARDVM MAGNVM, opidi Dauentrienſis incolam, Traiectenſis diœceſis diaconum, vita, ſcientia, ætate & gratia Deo & hominibus ſpectabilem. Hic zelo diuini amoris vehementer accenſus, in ſpirituali vita & ſancta conuerſatione berè exercitatus, omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire deſiderans, de internæ pacis & quietis ſuæ ſolitudine, vbi ſoli Deo cognitus vacabat, mundi huius Oceanum ingreſſus, verbum Dei omnibus palàm prædicare cupiebat. Fecit ergo ſe in eccleſia Traiectenſi per gradus Eccleſiaſticos inferiores in Diaconum promoueri, vt ſanam doctrinam & Euangelicam veritatem, abſque alicuius contradictione, ex officio publicè poſſet prædicare. Ad gradum verò Sacerdotij, propter excellentiſſimam eius dignitatem, & profundiſſimam ſui ipſius humilitatem, nunquam voluit promoueri, in humili magis ſtatu obſequium Deo gratum eligens exhibere; niſi in quantum animarum, verbo & exemplo ſuo, Chriſto lucrandarum ſalus requirebat. Plurimorum autem animos in vicinorum ſuorum reprehenſione præuidens perturbandos, & humani generis inimicum ſalutaris doctrinæ prædicationem per eos poſſe impedire, niſi legitima & ordinaria fuiſſet auctoritate debitè fulcitus, dominum Florentium Traiectenſis eccleſiæ Antiſtitem adijt, petitionis ſuæ intentionem, ſanctumque propoſitum ipſi inſinuaturus. A quo gratioſè ſuſceptus plenam litteratoriè obtinuit auctoritatem, verbum Dei, ſanamque doctrinam per vniuerſam diœceſim ſuam publicè prædicandi: ita vt in ciuitatibus, opidis & villis ſuis nullus Curatus ſeu alia cuiuſcumque dignitatis perſona ipſum à diuini verbi prædicatione vnquam amouere, non admittere, aut aliquatenus præſumeret impedire, ſi Dei omnipotentis indignationem, ſuamque acrimoniam, iudiciariamque vindictam vellet euadere. Vtrech.

Venerabilis ergò pater Gerardus Magnus huiuſmodi auctoritate pontificali roboratus, verbum Dei, ſanctum Chriſti Euangelium, canonicamque Scripturam in diuerſis eccleſijs præfatæ diœceſis publicè & priuatim vbique prædicare, & euangelizare non ceſſauit; vbique ponens Euangelium non quæſtus cauſſa, ſed ſincerè propter Chriſtum ſolum, & animarum ſalutem, *proprijs ſuis ſtipendijs militans Deo.*

Multis igitur ciuitatibus, opidis & villis, clericis & populis inſtanter euangelizatis, in 1.Cor.9.
*Traiecto* videlicet, *Dauentria, Zuollis, Campis, Amersfordia, Amſterdamis, Harlemo, Gou-*



*da,*

*da, Leidis, Delſt, Zutphania*, ceteriſque ſimilibus, vbi animarum ſalutem ſua ex prædicatione ſperabat adfuturam, multos auertit ab iniquitate. Omnis ergò populus in numero permaximo ad audiendum ſermones eius frequenter conuenit: ita vt in eccleſijs, ſeu etiam cœmiterijs ſe capere vix ſufficerent. Zelo etenim conuerſionis omnium vehementer accenſus, vno die plures ſæpè ſermones ad eumdem populum fecit, quos in ſecundam vel tertiam horam aliquando refertur protraxiſſe.

Commouit igitur ſua prædicatione feruentiſſima, ſancta vita & bona conuerſatione omnem Clerum & populum, diuites & pauperes, ſenes & iuuenes, virgines & viduas, vtriuſque ſexus homines, etiam in matrimonio conſtitutos, eoſque ad agendam pœnitentiam, ad mundi contemptum, peccati odium, melioris vitæ deſiderium, extremi iudicij pauorem, æterni ignis infernalis horrorem, patriæ cæleſtis amorem, ad Dei beatificam viſionem, & Angelorum perpetuam ſocietatem appetendam & acquirendam, verbis & exemplis, modis omnibus quibus potuit, inducere curauit. Plures ergò ſacerdotes, honeſti viri & feminæ diuerſis in locis, ad eius prædicationem corde compuncti, totiſque præcordiorum ſuorum affectibus mundum relinquere, & mundanam conuerſationem deſerere, & Deo creatori ſuo in vera patientia, fide, ſpe & caritate, & æternorum amore fideliter deſeruire feruentiſſimè deſiderabant.

Venerabilis porrò Chriſti leuita Gerardus, zelo fraternæ caritatis accenſus, vt ſibi ipſi, cunctis per orbem deuotis presbyteris & clericis occaſionem daret, & normam rectè viuendi, ac verbum Dei in ſancta Eccleſia catholicè prædicandi, poſt canonicã Scripturam omnibus Chriſtianis iure amplectendam, etiam SS. Patrũ orthodoxorum ſcripta, dicta & opera, eorumque exemplaria vera de diuerſis monaſterijs & collegijs vndecumque recollegit. DAVENTRIÆ igitur cùm in diebus ſuis particulare ſtudium plurimorum ſuppoſitorum in pleno eſſet vigore, vbi iuuenes & adoleſcentes, maiores & minores, de diuerſis mundi partibus accumulatè confluentes, in ſuis fundamentalibus optimè imbuebantur, venerabilis pater magiſter Gerardus plures huiuſmodi clericos, ſcriptores meliores, in vnum recollectos, libros SS. Patrum in forma meliore (ſaluo pretio condigno) per eos exſcribi fecit & excopiari: erat enim ciuis Dauentrienſis ſubſtantiæ non mediocris, ſed pinguioris. Quibus aliquanto tempore neceſſaria victus & veſtitus de pretio ſic acquiſito ſtudioſè conquirentibus, pius tandem & deuotus pater dominus *Florentius Radeuinius*, Dauentrienſis Vicarius, per magiſtrum Gerardum conuerſus, eidem Gerardo propoſuit dicens: *Prædilecte magiſter quid noceret, quòd ego & clerici iſti ſcriptores bonæ iam voluntatis, ea quæ ſeptimanatim habemus expendere, in vnum reponentes in communi pariter viueremus?* Tunc magiſter Gerardus parumper intra ſe deliberans, ait: *In nomine Domini, Incipiatis. Ego ero defenſor veſter & protector fidelis aduerſus omnes, qui contra vos inſurgere, voſque in præmiſſis tentauerint impedire.* Conſolatoria igitur huiuſmodi promiſſione eius ſuſcepta, deuotus pater dominus Florentius, vnà cum dictis clericis ſcriptoribus bonæ voluntatis, pretium laborum manuum ſuarum, de ſingulorum ſcripturis ſeptimanatim exactum, in burſam communem reponentes, communem vitam in Dei nomine hoc modo incohauerunt, quam cum ingenti cordis lætitia & temporalium bonorum felici proſperitate tempore non modico deuotè continuauerunt.

Conſiderantes autem præfati clerici huiuſmodi cõmunem vitam viam eſſe perfectionis, in Eccleſia primitiua ab Apoſtolis inſtitutam, quando cunctis in eamdem fidem
Act. 4. Chriſtianam concurrentibus *erat cor vnum & anima vna in Deo, nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, nec quiſquam egens erat inter illos*; & in Euange-
Matth. 19. lio cuncta relinquentibus & Chriſtum imitantibus *centuplum & vitam æternam* à Chriſto repromiſſa; cordis inſuper & corporis ſui quietem, & pacem bonam in huiuſmodi ſua communi prouiſione reperientes, de magiſtri Gerardi conſilio, communi omnium decreto propoſuerunt, & firmauerunt deinceps in tali communi vita, ſub vera domini Florentij obedientia (quamuis ſolemniter non promiſſa) cunctis diebus vitæ ſuæ remanere; victum & veſtitum, ceteraque corporum ſuorum correquiſita de labore manuum ſuarum in communi, præſertim ſcripturarum, indefeſſè procurando.

Pater

Pater itaque deuotus dominus *Florentius* præfatus, cum ſuis presbyteris & clericis, in vita communi pariter commorantibus, de conſilio magiſtri *Gerardi*, formam & modum in communi viuendi, loca & tempora laborandi, vigilandi, dormiendi, orandi, legendi & corpora reficiendi, aliorumque ſaluti aliquando inſiſtendi, ſtatui ſuo optimè conuenientia ſalubriter & compendioſè componentes, cunctis per orbem religioſis, viriſque & feminis ſæcularibus Apoſtolicæ vitæ formam & Euangelicæ perfectionis exemplar formale, & benè imitabile oculata fide ſe præbuerunt: vt omnium in ſe oculos, vitam eorum præ ſanctitate collaudantium, redderent attonitos. Huiuſmodi igitur occaſione omnes vbique Congregationes deuotæ presbyterorum & clericorum primitiuum ſuſcepiſſe dignoſcuntur exordium, per orbem iam Alemanicum plurimùm dilatatæ.

*Gerardus Magnus Dauentrienſis anno* 1384. *& Florentius Radevinius Leiderdamus anno* 1400 *magna ſanctitatis opinione in Domino obdormierunt. Vtriuſque vitam, vt & primorum aſſeclarum, ſcripſit Thomas Kempenſis, Florentij diſcipulus. Cuius quidem Thomæ aureus* De imitatione Chriſti *libellus in omnium eſt manibus, præter alia eiuſdem opera Antuerpiæ* 1600. *iunctim edita.*

## *Cap.* 11. *Quæ ratio viuendi, & quis ſtatus fuerit Fratrum vitæ communis apud Dauentrienſes, ſub annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum ſeptimum. Ex ms. codice Fratrum olim Bruxellenſium, infrà cap.* 5. *citato, quem nunc adſeruant Clariſſæ moniales Urbanianæ in eadem vrbe.*

IN nomine Domini, amen. Anno natiuitatis eiuſdem milleſimo, quadringenteſimo 1457.
quinquageſimo ſeptimo, Indictione V. die menſis Iunij ſexta, pontificatus S.D.N. Caliſti Papæ tertij anno tertio, in mei Notarij publici & teſtium infraſcriptorum præſentia perſonaliter conſtituti honeſti ac deuoti viri, *Egbertus ter Beeck, Rodolphus de Muden, Otgerus de Horn*, *Ioannes de Hattem* & *Petrus de Amſterdam*, presbyteri, Prouiſores pro tempore Domus clericorum, dictæ vulgariter *Domus domini Florentij in Dauentria*, nec non ceteri presbyteri, clerici ac familiares eiuſdem Domus, volentes & omnibus modis prouidentes, vt in eadem Domo, ex hoc & in futurum, temporibus perpetuis, Domino Deo in humilitate, caſtitate & caritate, ceteriſque virtutibus, ſub obedientia ſanctæ matris Eccleſiæ, à ſeruis Dei inibi congregatis vel congregandis fideliter & deuotè ſeruiatur, matura deliberatione præhabita, ad ea quæ ſequuntur concorditer & vnanimiter ſe obligauerunt.

In primis, quoniam communis vita ſemper in promptu fuit ijs, qui Domino Deo irreprehenſibiliter militare cupierunt, idcirco Prouiſores, presbyteri & clerici, ac familiares antè nominati omnia & ſingula bona ſua, mobilia & immobilia, qualitercumque denominata vel denominanda & vbicumque ſituata, quæ ad ipſos vel quemlibet ipſorum noſcuntur pertinere, & ea quæ in futurum, omni tempore quo in prædicta Domo ſeu fraternitate aut ſocietate morabuntur, aut incorporati erunt, contigerit obtinere, dederunt, donauerunt & tradiderunt, omnibus melioribus modo & forma, quibus efficaciùs & meliùs potuerunt ſibi inuicem, donatione inter viuos. Ita videlicet quòd omnia & ſingula bona præmiſſa, erunt eis indifferenter communia, & manebunt perpetuis temporibus, pro deuotis presbyteris & clericis præſentibus, & per eos & eorum ſucceſſores, ſub iſta forma reſignationis bonorum ſuorum, ad communionem ſuę ſocietatis ſiue fraternitatis ac bonorum ſuorum prædictorum aſſumendis.

Quam donationem & communionem bonorum ſuorum, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ratam & firmam eſſe voluerunt, ac perpetuò valituram: ita quòd nullus eorum habere

vel tenere debeat aliquam proprietatem in quibuſcumque bonis ſeu rebus prædictis, ſed debeat viuere in communi, de laboribus manuum ſuarum, prouētibus & bonis à Deo eis collatis & conferendis. Sic quòd heredes ipſorum Prouiſorum, presbyterorum, clericorum ac familiarium antè nominatorum & ſuorum ſucceſſorum nullum ius hereditariæ ſucceſſionis in bonis præmiſſis, aut quolibet præmiſſorum quoquomodo poterunt obtinere. Cum proteſtatione huiuſcemodi, quòd ſi contingeret quemquam ipſorum Prouiſorum, presbyterorum, clericorum & familiarium ſuprà expreſſorum, quacumque occaſione, prædictam habitationem aut ſocietatem ſiue fraternitatem, ſine conſenſu ſanioris ac maioris partis relinquere, & ad alia ſe transferre, ille penitus amitteret omne ius quod in dictis bonis hactenus habuiſſet, nec præter veſtimenta ſua quotidiana quidquam ei licitum erit ſecum tollere, nec poterit aliquid iuridicè petere vel exigere, aut ſuper quibuſcumque bonis alios Prouiſores, presbyteros, clericos & familiares dictæ Domus moleſtare.

Si verò aliquis eorum, propter exceſſus enormes, vel malos & incorrigibiles mores ſuos, à ceteris presbyteris & clericis, vel maiore & ſaniore parte eorum amouendus decerneretur, ille ſine omnium contradictione & rebellione debet exire & recedere, & vt præmiſſum eſt, præter veſtimenta ſua quotidiana nihil ſecum tollere vel exigere, nec eos vel aliquem eorum ſuper quibuſcumque bonis moleſtare; nullo ſubſidio Iuris Canonici vel Ciuilis ſibi penitus ſuffragante aut ſuffragium præſtituro, omnibus dolo & fraudibus circa præmiſſa ſecluſis. Super quibus omnibus & ſingulis dicti presbyteri & clerici ſibi petierunt fieri vnum vel plura Inſtrumenta. Acta ſunt hæc Dauentriæ in Domo
1457. domini Florentij, ſub anno, Indictione, menſe, die, hora & pontificatu, quibus ſuprà, præſentibus ibidem diſcretis viris, D. Theoderico ter Poerten presbytero Colonienſis diœceſis, Ludolpho Brunonis opidano Dauentrienſi, diœceſis Traiectenſis, & Timanno Vedelen de Borcken, Monaſterienſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis. Ego Ioannes de Paruo palatio, clericus Traiectenſis diœceſis, publicus Notarius, quia præmiſſis omnibus, vnà cum prænominatis teſtibus, præſens interfui, ideo hoc publicum Inſtrumentum per alium fidelem, me alijs occupato negotijs, fideliter ſcriptum exinde confeci, & in hanc publicám formam redegi, ſignoque & nomine meis conſuetis ſignaui.

## *Cap.* III. *Dauid à Burgundia, Epiſcopus Vltraiectenſis, Congregationem Clericorum vitæ communis in vrbe Dauentrienſi confirmat, & priuilegijs auget anno* 1457.

DAuid de Burgundia, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Traiectenſis, dilectis nobis in Chriſto deuotis Rectori, presbyteris & clericis Domus clericorum, dictę vulgariter Domus domini Florentij in Dauentria, noſtræ diœceſis, pręſentibus & futuris ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Pia nos deuotio, diuinaque inſpiratio multipliciter admonent & hortantur, vt illis libenter intendamus votis, per quę deuotarum perſonarum Congregationi Altiſſimo in humilitatis ſpiritu famulandi ſincerior detur aggreſſus, ipſarumque deuotio commendabilis firmiùs ſolidetur. Sanè non ſine lucida informatione conſiderantes infraſcripta vobis vel veſtræ deuotę Congregationi, ad expreſſos effectus veſtręque deuotionis ſinceritatem, plurimùm ſuffragari; hinc deuotis veſtris ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula in Inſtrumento fundationis, cui pręſentes noſtræ litteræ transfiguntur, contenta, grata habentes atque in Domino commendantes, auctoritate noſtra ordinaria, tenore præſentium ratificamus, approbamus atque in Dei nomine confirmamus, eiſque omnibus & ſingulis noſtrum adhibemus conſenſum pariter & aſſenſum.

Vt etiam Statuta, Conſtitutiones ſeu Conſuetudines licitas & honeſtas, pro exigentia ſtatus & Domus veſtrorum deſeruientes condere, illaque ſeu illas in parte vel in toto tollere

lere, & loco ſublatorum vel ſublatarum buiuſmodi alia vel alias edere ſen ſtatuere, illiſque addere & ab eis demere & excipere ; tranſgreſſores quoque conſuetudinum earumdem, inxta perpetrati delicti exigentiam, noſtra auctoritate ordinaria corrigere; Viſitatores etiam probos & deuotos viros, qui vos ordinaria viſitatione viſitare valeant atque in capite & in membris reformare, vnanimiter aut per voces ſaniores eligere ; vosque & quilibet veſtrûm, nec non continui veſtri commenſales, familiares, miniſtrantes, hoſpites ſe per Rectorem pro tempore antedictæ Domus, vel per vicem eius gerentem, ſeu per alium presbyterum idoneum de licentia ipſius; clerici qnoque & ſcholares quicumque Dauentriæ ſtudentes, nec non & deuotæ perſonæ ſorores in dicto opido noſtro ſeu parocbijs de Dauentria in communi viuentes, ac eorum familiares, commenſales & hoſpites, ſinguli quoque in habitatione ſcholarium, dicta vulgariter Nona domo, ſub cura ſeu regimine veſtro babitantes ſeu moram trahentes, ſe per Rectorem ſeu quemuis alium eiuſdem Domus presbyterum idoneum, inſuper & ceteri vtriuſque ſexus homines infra dictum opidum noſtrum & parochias de Dauentria conſtituti, qui de ſpeciali ſuper hoc à Paſtore ſiue Superiore ſuo obtenta licentia ad vos vel ad quemlibet veſtrûm, gratia confitendi, confugerint, ſe per Rectorem ſeu quemuis alium eiuſdem Domus pro tempore presbyterum idoneum, Rector verò pro tempore ſe per quemcumque presbyterum, quem ſibi duxerit eligendum, ab omnibus peccatis, quæ confitebimini ſeu confitebuntur, aut ipſe Rector confitebitur, etiam in caſibus occultis, nec non cenſnris Eccleſiaſticis, propter læſuram clericis ſcholaribus antedictis à ſe mutuò illatam ſeu inferendam, à Iure inflictis, noſtræ ordinariæ poteſtati de inre, ſtatuto, priuilegio aut conſuetudine ſpecialiter reſeruatis, iniuncta vobis & eiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, abſolui; Vota etiam minora in alia pietatis opera commutare, ac in locis veſtris in portatili ſeu in portatilibns, in decenti & boneſto loeo, Miſſas & alia diuina officia, quoties denotio exegerit, celebrare ac celebrari facere; necnon elericis & continuis commenſalibus, eobabitantibus, miniſtrãtibus, familiaribus ac hoſpitibus Domus veſtræ & Nouæ domns præfatarum, temporibus congruis Euchariſtiæ Sacramentum & cetera eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare & miniſtrari facere, etiam tempore Interdicti noſtra aut inferiorum noſtrorum auctoritate poſiti, dum tamen cauſſam Interdicto non dederitis, aut ipſi non dederint, vel id vobis ant ipſis ſpecialiter interdici non contigerit, aut ipſemet clerus totus interdictus non fuerit, & hoc tune ianuis clanſis, interdictis & excommnnicatis excluſis, ac ſubmiſſa voce; nee non & vos & quilibet veſtrûm de licentia Rectoris pro tempore vel vicem eius gerentis, dum in reyſa (*id eſt, in profectione*) exſtiteritis, Confeſſorem eligere & alia Sacramenta eccleſiaſtica, toties quoties oportunum fuerit, accipere valeatis.

Clerici verò ſeu perſonæ Domns veſtræ hniuſmodi à qnocumque Antiſtite noto catholico, ſacroſãctæ Romanæ Eccleſiæ ſnbiecto, in noſtra diœceſi vel extra eam, ſtatutis à Iure temporibns, ſuper bona communia eiuſdem Domus, ad omnes ſacros Ordines & non ſacros, dummodo ſufficientes & idonei reperiantnr, & aliud canonicum impedimẽtum non obſtiterit, ſe promoueri facere; ſigillum etiam commune habere & obtinere; qnodque verbum ſalutis & vobis inuicem, aut clericis, ſcholaribus ae vulgaribus laicis, infra ſepta, pro tempore loci veſtri, modo piæ admonitionis, inſtructionis aut collationis gratia, conſueto more, proponere poſſitis ac valeatis; ac commenſales, familiares, miniſtrantes, hoſpites & adnenientes ac homines antedicti poſſint & valeant, reſpectiuè vobis & eiſdem commenſalibns, familiaribus, miniſtrantibus, boſpitibus, aduenientibus, clericis atque hominibus, ae veſtrûm & eorum cuilibet, reſpectiuè, noſtra ordinaria auctoritate tenore præſentium perpetuis temporibus indulgemns, & licentiam impertimnr, & auctoritatem. Inſuper & vos & quelibet veſtrûm, coniunctim & diuiſim, quamdiu dictæ Domni & laudabili Cõgregationi incorporati exſtiteritis, aut aliquis veſtrûm exſtiterit, nnnc & in futurum, nec non & res veſtras ac bona, vbicumque exiſtentia, præſentia & futura, ſub B. Martini Epiſcopi & confeſſoris, patroni noſtri, protectione ac noſtra ſpeciali defenſione & ſaluiguardia, de ſpeciali dono gratiæ ſnſcipimus per prẹſentes.

Volentes nihilominus tenore præſenrium & auctoritate noſtra ordinaria decernentes, vt de cetero & in antea nullus ex vobis Rectore, presbyteris & clericis, quamdiu præfatæ laudabili Congregationi, ac iuxta tenorem fundationis,vitæ communi ſeu fraternitati dictæ Domus inhæſeritis ſeu incorporati fueritis,teſtamentum aliquod, codicillumvè ſeu vltimam voluntatem,quocumque etiam caſu, de bonis quibuſcumque temporalibus condere teneatur. Sed & inſuper, vt omnibus & ſingulis priuilegijs, libertatibus & conceſſionibus prædictis, in locis quibuſcumque noſtræ diœceſis, ad quæ prędictam laudabilem Congregationem veſtram, quacumque occaſione,trāsferri contigerit, auctoritate noſtra ordinaria,vti & gaudere liberè & licitè poſſitis & valeatis, noſtrarum teſtimonio
1457. litterarum. Datum anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, menſis Iunij die quarta decima.

## *Cap.* IV. *Pius* II. *Papa fundationem Domus Fratrum vitæ communis in vrbe Dauentrienſi, & priuilegia eis à Dauide Epiſcopo Vltraiectenſi data confirmat, anno* 1462.

PIus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Benigna clementia Sedis Apoſtolicæ, quæ digna dignis conſueuit impendere, ſic pia loca, in quibus floret honeſtas,& pręclara ſanctitatis merita iugiter reuiviſcunt,patet hoſpitalitas gratioſa,& deuotæ laudis frequentia, celebriſque venerationis inſtantia diuinæ attollitur gloria Maieſtatis, gratioſis fauoribus proſequitur; eiſque conceſſa priuilegia approbat & confirmat; illa etiam concedendo, per quæ ſalutem animarum conſequi, ac deuotiùs & quietùs Creatori omnium poſſit famulari. Exhibita ſiquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Presbyterorum & clericorum ſæcularium (in communi & abſque aliqua proprietate bonorum, ſine mendicitate, de laboribus manuum ſuarum, ac bonis eis in communi pia largitione Chriſti fidelium erogatis, & ſub obedientia Prælatorum ſuorum laudabiliter cum clericis ſęcularibus viuentium) *Domus domini Florentij, in opido Dauentrienſi,* Traiectenſis diœceſis,petitio continebat: quòd dudum venerabilis frater noſter *Dauid de Burgundia*, Epiſcopus Traiectenſis,ad humilem ſupplicationis inſtantiam Presbyterorum & clericorum prædictorum, erectionem & fundationem Domus prædictæ confirmauit & approbauit, ac inſuper Presbyteris & clericis, in illa pro tempore degētibus, diuerſas grātias, priuilegia & indulta, ſalubrem ſtatum ipſorum, diuini cultus erectionem, eorum viſitationem & correctionem, ac Sacramentorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem concernentia conceſſit; prout in litteris autenticis deſuper confectis,ipſius Epiſcopi ſigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum pręſentibus annotari fecimus, pleniùs continetur.

Quare pro parte Presbyterorum & clericorum Domus huiuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt omnibus & ſingulis per præfatum Epiſcopum geſtis, confirmatis & approbatis,ac eiuſdem Domus Presbyteris & clericis conceſſis & indultis priuilegijs ac gratijs huiuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiore, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, aliàſque in præmiſſis ac etiam ſaluti animarum Presbyterorum & clericorum eorumdem oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui diuinum cultum vbique vigere & augeri, noſtris potiſſimùm temporibus, ſupremis deſiderijs affectamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula priuilegia, gratias & indulta dictis Presbyteris & clericis conceſſa, ac inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.

Ac inſuper eiſdem Presbyteris & clericis, quòd ipſi in portatilibus eorum, in locis congruentibus & honeſtis,etiam tempore Interdicti,ſiue à Sede Apoſtolica aut quocumque

que alio poſiti, ſiue aliàs etiam ante diem, ianuis clauſis, per ſe vel quemcumque alium ſacerdotem (excommunicatis tamen & interdictis excluſis) in præſentia domeſticorum & commenſalium, Miſſas & alia diuina officia celebrare, & celebrari facere, ac eiſdem Euchariſtiæ & alia Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrare & miniſtrari facere, & in eiſdem locis ſiue portatilibus conſecratis ipſum Euchariſtiæ ſacramentum decenter reſeruare & reſeruari facere; nec non perſonas, quarum confeſſiones, ſecundùm indultum præfati Epiſcopi, audierint, illas à quibuſvis earum peccatis, criminibus & exceſſibus, nec non excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis (Sedi Apoſtolicæ reſeruatis caſibus dumtaxat exceptis) plenariè abſoluere, nec non peregrinationis & alia quæ emiſerint vota (vltramarino & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de Vrbe ac S. Iacobi in Compoſtella votis exceptis) in alia pietatis opera commutare, iniuncta eis pœnitentia ſalutari; & ſi contingat ipſam Congregationem transferri ad alium locum ſiue ciuitatem, perſonæ ſic tranſlatæ & eorũm poſteri omnibus & ſingulis præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, conceſſionibus. indultis & gratijs, in omnibus & per omnia, ac ſi ſpecialiter eis conceſſa fuiſſent, prout ipſi de dicta Domo Dauentrienſi vtuntur & gaudent, vti & gaudere & ſcholares & alias perſonas ad confeſſionem & abſolutionem, in omnibus & per omnia, ſicut per præfatum Epiſcopum ipſi Domui Dauentrienſi conceſſum extitit, admittere poſſint & valeant, eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tenor verò litterarum prædictarum talis eſt: *In nomine Domini, amen. Anno natiuitatis eiuſdem milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione V. &c. David de Burgundia &c. vt ſuperiori capite.* Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, communitionis, ſuppletionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, XV. Kalendas Februarij, pontificatus noſtri anno V. 1462.

## *Cap. v. Excerptum ex Chronicis Chriſtiani Maſſei, qui de Congregatione Clericorum ſeu Fratrum vita communis fuit, & anno 1540. floruit.*

ANno 1379. multi per orbem floruerunt viri virtutum, *Petrus ab Aliaco* Cameracenſis Epiſcopus Cardinalis, GERARDVS cognomento MAGNVS, & alij. Quorum Gerardus cùm eſſet Pariſijs doctiſſimus, relicta Sorbona, *Dauentriam* redijt, vnde fuerat oriundus. Verbum Dei feruentiſſimè diaconus tantùm prædicabat. FRATRES illic inſtituit, qui ſcholas tenerent, & non tantùm litteras, ſed mores quoque diſcipulos ſuos & bene viuere edocerent. Et ipſe quidem presbyteri gradũ non audebat ſuſcipere, indignum ſeſe vociferans. Qui ſæpè dicere ſolebat, *Pro toto auro Arabiæ nollem habere curam animarum vel ſpatio vnius noctis.* Vnum verò ex omnibus ad ſacerdotiũ promouit FLORENTIVM: à quo hodieque Domus illa Fratrum, *Domus domini Florentij* nuncupatur. Defunctus eſt autem venerabilis pater Gerardus anno ſalutis 1384. ipſo die B. Bernardi, quem & S. Auguſtinum præcipua veneratione coluerat. Poſt cuius exceſſum, pater Florentius quoſdam è fratribus presbyteros ordinari fecit. E quibus *Gerardus* iunior, natione *Zutphanienſis*, duos De ſpirituali exercitio libros edidit certè vel vtiliſſimos. Obijt hic anno Domini 1398. ętatis ſuę 31. FLORENTIVS autem defunctus eſt anno 1400. Vitas eorum ſcripſit dominus Thomas à Kempis, quondam ipſorum diſcipulus, deinde apud Montem S. Agnetis regularem S. Auguſtini ordinem profeſſus. Ex his fuit & magiſter *Gabriel Biel*, nuper Tubingenſis ſcholæ celeberrimus Doctor. Cuius ſcripta

1379. Dauentr.

ſuper

Digitized by Google

ſuper Canonem Miſſæ, & alia opera eius nunc in maximo pretio ſunt. Viuunt autem in communi, ſecundùm inſtituta primitiuę Eccleſię, ſine proprio, ſine mendicitate, Diœceſanis ſuis ſimpliciter ſubditi. Quò autem tunc ſincerius ſeſe geſſerunt, eò violentiùs antiquus hoſtis ſe illis oppoſuit. Suſcitauit illis detractores multos: quorum vnus in generali Concilio Conſtantię celebrato auſus eſt dicere, eos eſſe ex illis, quos dudum Romani Pontifices Bonifacius, Clemens & Ioannes exterminauerant. Cuius calumniæ viriliter reſtitit magiſter *Ioannes Gerſon*, Cancellarius Pariſienſis, tunc in ipſo Concilio præſens; eoque perpulit hominem, vt ipſe cum libello famoſo, quem Senatui legerat, igni adiudicaretur. Tunc Fratres qui aderant, prouoluti iudicum pedibus, precabantur veniam reo; vt liber tantùm incenderetur, non auctor. Annuitum precibus ſupplicantium, & incenſo volumine, iuſſus eſt auctor exire prouincia, nec ampliùs innocentes infamare. Pro quibus in eodem Concilio præfatus Gerſon pulcherrimum tractatum edidit, oſtendens eos non minùs eſſe Religioſos alijs, qui Religionis nomine nuncupãtur. Quos dictum Concilium, præſidente Martino V. plurimùm corroborauit, modum que viuendi comprobans, hortabatur viriliter agere, ſcholas erigere, ad pietatem diſcipulos inſtituere, quibus Eccleſia Dei fulciretur, quibuſque vel maximè tunc indigebat. Vidi ego ante annos multos, pręter dictum volumen Gerſonii, in Buſcoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenij IV. & Pij II. litteras, perpulchra priuilegia ipſis Fratribus indulta continentes: vt Pater Domus per ſe & per ſuos deputatos poſſit audire confeſſiones ſcholaſticorum, & abſoluere ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ minimè reſeruatis; Euchariſtię quoque Sacramentum idoneis miniſtrare, nonnulla etiam vota in alia pietatis opera commutare, vbi & quando expedire videretur.

1457. 

## *Cap.* VI. *Domus Fratrum vita communis apud Monaſterienſes in Weſtfalia ab Henrico Ahuſio anno* 1424. *fundatur.*

MARTINVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio *Henrico de Ahues*, perpetuo Vicario in eccleſia Monaſterienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper ſiquidem pro tua parte nobis inter alia expoſito, quòd olim tu intendens animæ tuæ prouidere ſaluti, ad indiuiduæ Trinitatis, glorioſęque Mariæ Virginis, nec non omnium Sanctorũ laudem & gloriam, quaſdam domum & aream, aliàs *Ter-Wijck*, nunc verò ad *Fontem ſalientem* appellatas, & infra limites parochiæ eccleſiæ eiuſdẽ glorioſæ Virginis Monaſterienſis conſiſtentes, ad te quoque legitimè ſpectãtes, vt in Domo ipſa nonnulli Presbyteri, cum quibuſdam clericis, ſine mendicitate conuiuerent, purè ſub diuinę retributionis ſpe, primò; & deinde recenſens tũ communem, quã vnicuique, prout eſt opus, diſtribui debeat, vitam ſine temporalium ſubſidio bonorum diu perſiſtere non poſſe, Presbyteris & clericis tunc in Domo ipſa habitantibus pro ſe & eorum ſucceſſoribus, qui in illa reſiderent pro tempore, perpetuos annuoſque reditus viginti quinque marcharum denariorum Monaſterienſium legalium & datiuorum, pro titulis quinque clericorum eorumdem, vt illi, quos ex ipſis Paterfamiliàs dictę Domus pro tempore exiſtentes pręſentare vellet, ad omnes ſacros Ordines promoueri poſſent, donatione irreuocabili dederas & aſſignaras. Nos per alias noſtras litteras dilecto filio Priori monaſterij S. Marię in Windeſem, Traiectenſis diœceſis, inter cetera dedimus in mandatis, vt ſi & poſtquam ſibi de donatione & aſſignatione prędictis legitimè conſtaret, ipſe illas & quęcumque inde ſecuta auctoritate noſtra approbaret & confirmaret, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſitan interuenerant in eiſdem; prout in ipſis litteris pleniùs continetur.

Nos igitur, vt ipſorum Presbyterorum & clericorum animarum ſaluti fructuoſiùs conſulatur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt liceat eiſdem Presbyteris & clericis, in loco ad hoc congruo & honeſto, infra prędictam Domum altare habere portatile,

tile,cum debitis reuerentia & honore,ſuper quo per ſe alioſque idoneos ſacerdotes Miſſas & alia diuina Officia celebrare & celebrari facere; nec non ipſi quemcumque idoneum, qui eorum ac ſingularum de familia dictæ Domus pro tempore exiſtentium perſonarum, quoties ipſis videbitur, confeſſiones audire, illiſque pro commiſſis per eos pro tempore peccatis, criminibus & exceſſibus (niſi talia ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica meritò conſulenda fuerit)cum abſolutione debita pœnitentiam ſalutarem iniungere,nec non Eucharistiæ ac quæuis eccleſiaſtica Sacramenta& ſacramentalia miniſtrare liberè & licitè valeat, presbyterum eligere poſſint (felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædeceſſoris noſtri & alijs quibuſlibet Apoſtolicis conſtitutionibus contrarijs nequaquam obſtantibus) tibi & illis auctoritate præſentium indulgemus; iure eccleſiæ eiuſdem & alterius cuiuſlibet in omnibus ſemper ſaluo. Datum Romæ apud SS. Apoſtolos, Nonis Ianuarij, Pontificatus noſtri anno octauo. 1431.

## *Cap.* VII. *Henricus Abuſius domum aliam, in vrbe Monaſterienſi ſitam, anno* 1431. *donat Clericis in communi viuentibus, Eugenio* IV. *Papa approbante.*

EVGENIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio, Priori monaſterij Nemoris B. Mariæ, Monaſterienſis diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij *Henrici de Abues* perpetui Vicarij in eccleſia Monaſterienſi petitio continebat, quòd aliàs poſtquam ipſe quaſdam domum & aream, infra limites parochialis eccleſiæ B. Mariæ virginis Monaſterienſis conſiſtentes,& quoſdam annuos reditus (vt in ipſa domo plerique presbyteri, cum aliquibus clericis, ſine mendicitate in communi viuerent) dederat & aſſignarat,nec non datio & aſſignatio huiuſmodi auctoritate Apoſtolica confirmatæ fuerant, idem Henricus quamdam aliam ipſi domui contiguam, & *Langhenhorſt* vulgariter nuncupatam domum, ad opus aliquorum presbyterorum & clericorum, etiam ibidem in communi viuentium, liberè donauit. Quare pro parte ſua nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt donationi huiuſmodi robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, dictiſque presbyteris & clericis, qui in ipſis Domibus pro tempore reſidebunt,vt diuinis Officijs ſeruentiùs vacare poſſint, in alia domo præfata capellam, pro Miſſis & alijs officijs inibi celebrandis fundandi & erigendi licentiam concedere dignaremur.

Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de dicta donatione legitimè conſtiterit, illam auctoritate noſtra approbes,& ſi huiuſmodi approbationem per te vigore præſentium fieri contigerit, poſtquam Rector ipſius eccleſiæ in his conſenſerit, eiſdem presbyteris, vt in ipſa alia domo capellam de nouo fundare & eligere valeant, eadem auctoritate licentiam largiaris. Nos etiam, ſi illam dicto vigore conceſſeris eiſdem presbyteris, vt in alia domo præfata in loco ad hoc congruo & honeſto, altare habere portatile, ſuper quo, donec ipſa capella conſecrata fuerit, nec non interim & etiam poſt huiuſmodi conſecrationem, ſi opidum ipſum eccleſiaſtico ſupponi contigerit Interdicto, in eadem capella clauſis ianuis, ac excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis & ſubmiſſa voce, in eorum & ſuorum familiarium domeſticorum præſentia, dummodo presbyteri,clerici & familiares huiuſmodi cauſſam non dederint Interdicto, nec illius occaſione id ipſis ſpecialiter interdici contigerit, Miſſas & Officia prædicta, etiam ſecundùm ritum & Ordinarium monaſterij de Windeſem, ordinis S. Auguſtini, Canonicorum regularium, Traiectenſis diœceſis, celebrare, necnon ſibi inuicem dictiſque clericis & familiaribus ſingula eccleſiaſtica Sacramenta & ſacramentalia miniſtrare licitè poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus; iure tamen eccleſiæ prædictæ & alterius cuiuſlibet in omnibus ſemper ſaluo. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ

1431. minicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, VIII. Kalend . Nouembris, Pontificatus noſtri anno primo.

NOTATIO. Henricus Ahuſius, ſacerdos pius ac diues, non ſolùm Clericos vitæ cõmunis Dauentria Monaſterium ( quæ eſt Weſtfaliæ metropolis) ad ſe euocauit ac dotauit, ſed eiſdem ſe adiunxit, & ſuis eadem in vrbe Rector datus, ſumma cum laude præfuit. Idem cum Ioanne Voſſio Heuſdano, Priore generali Congregationis Windeſimẽſis, quæ eſt Canonicorum regularium, circa annum 1418. Conſtantiam ad Concilium generale profectus ( vt Ioannes Buſchius in ſuo Chronico Windeſimenſi lib. 1. cap. 12. tradit ) cauſſam Clericorum ſeu Fratrum vitę communis fortiſſimè egit ac defendit; adiutante Ioanne Gerſone, Cancellario Pariſienſi: vt ſuprà cap. 5. ex Maſſęo docui.

## *Cap.* VIII. *Eugenius* IV. *Papa Dauentrienſem, Suollenſem, Hulsbergenſem ſeu Hattemienſem, & alias Clericorum ſeu Fratrum vitæ communis Domos anno* 1431. *beneficijs afficit.*

EVgenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, Præpoſito B. Marię ad Gradus, Colonienſis, & B. Marię Traiectenſis, ac S. Ludgeri Monaſterienſis, eccleſiarũ Decanis ſalutẽ & Apoſtolicã benedictionem. Dudum intelleximus, quòd licet in prouincia Colonienſi, & pręſertim in Leodiẽſi, Traiectenſi & Monaſterienſi ciuitatibus & diœceſibus, nonnulli viri ad diuinę laudis obſequiũ, per laudabilis conuerſationis & cõmendabilis vitæ ſtudia, ſæcularibus abiectis deſiderijs ac mundi contẽptis concupiſcentijs, feruẽter aſpirent, & vt in ordine clericali Altiſſimo cõgruentiùs ſua vota exſoluere valeant, in certis domibus & collegijs, ſub Euangelicis & SS. Patrũ pręceptis & inſtitutis, nec non Ordinariorũ & ſuorũ Superiorum eccleſiaſticorũ ſubiectione, protectione & obediẽtia, ſimul ſub vnius vel pluriũ approbatę vitæ ſacerdotum regimine & gubernatione degentes, ac illis humiliter obedientes, & in cõmuni viuentes, abſque rerum proprietate, etiã de manuum ſuarũ laboribus neceſſaria cõquirentes, nullis erroribus aut ſuperſtitionibus, ſeu illicitis aut prohibitis moribus vel ritibus quomodolibet inuoluti, reſidere delegerint; ex quorum vita & actibus exemplaribus plurium partium illarum monaſteria & loca eccleſiaſtica felicia incrementa multipliciter ſuſceperunt, & alia varia, pro Chriſti fidelium deuotione excitanda, bona ſucceſſerunt: prout nonnulli presbyteri & clerici in *Florentij in Dauentria*, & in clericorum in *Zwollis* & *Montis S. Hieronymi prope Hattem*, eiuſdem Traiectenſis diœceſis, & alijs Domibus aliquamdiu honeſtè & laudabiliter permanſerunt: tamen nonnulli, in quibus tepeſcit caritas, ad minùs licita cogitationes & animum reflectentes, ac vitam & ritus prædictos, varijs confictis & captatis occaſionibus, modis & medijs, redarguere & reprimere molientes, presbyteros & clericos prædictos à iam commendabili vita, quam minùs virtuoſam reputant, detractionis ſermonibus retrahere multipliciter præſumpſerunt hactenus & præſumunt, in non modicam diuinę Maieſtatis offenſam, ac pernitioſum exemplum & ſcandalum plurimorum.

Nos igitur ſuper pręmiſſis oportunè prouidere cupientes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus veſtrûm, per vos vel alium ſeu alios, presbyteris & clericis prædictis in præmiſſis & quibuſuis alijs Domibus, in dicta prouincia, in communi laudabiliter & ſub mandatis Eccleſiæ viuentibus, auctoritate noſtra, efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos aut ipſorum aliquos à quoquam, cuiuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis fuerit; & quamuis etiam pontificali dignitate præfulgeat, ſuper præmiſſis aut eorum aliquo, ſeu rebus & bonis quæ ad ipſos quomodolibet ſpectant, aut ſpectare poterunt in futurum, ſeu alijs quæ ipſorum deuotionem concernunt, quomodolibet impeti ſeu indebitè moleſtari; ac moleſtatores prædictos per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, vt à quibuſuis moleſtationibus

bus deſiſtant, eadem auctoritate compellatis, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio bra-
chij ſæcularis. Nos igitur clericis prædictis, qui in dictis Domibus pro tempore reſede-
rint, præſentibus & futuris, vt ad ſacerdotium & quoſcumque alios ordines ſe promoue-
ri, alio non obſiſtente canonico impedimento, ritè ac liberè facere valeant, etiam licet ti-
tulos beneficiales, ſeu alia eccleſiaſtica ſeu patrimonialia bona non habeant, auctoritate
Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bo-
nifacij Papæ Octaui, prædeceſſoris noſtri, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſ-
que contrarijs quibuſcumque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis
Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, VIII. Idus Decembris, Pon- 1431.
tificatus noſtri anno primo.

## Cap. IX. *Idem Eugenius* IV. *Papa Monaſterienſem in Weſtfalia, Colonienſem & Veſalienſem Fratrum vitæ communis Domos anno* 1439. *varijs priuilegijs donat.*

EVGENIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri *Antonio* Epiſcopo
Oſtienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum fel. recordationis *Marti-
no* Papæ V. prędeceſſori noſtro, pro parte dilecti filij *Henrici de Aknes*, perpetui Vicarij in
eccleſia Monaſterienſi, inter cetera expoſito, quòd ipſe quaſdam domum & aream ad
*Fontem-ſalientem*, aliàs *Ter-Wijck* nuncupatas, infra limites parochialis eccleſiæ eiuſdem
glorioſæ Virginis Monaſterienſis conſiſtentes, vt in domo ipſa nonnulli presbyteri, cum Monaſter.
quibuſdam clericis, ſine mendicitate conuenirent primò, & deinde presbyteris & cleri-
cis in ipſa domo tunc commorantibus, pro ipſis & eorum ſucceſſoribus inibi reſidenti-
bus, certos pecuniarum annuos reditus donatione irreuocabili dederat & aſſignauerat;
idem tunc prædeceſſor donationem & alia in deſuper confectis ac ſigillo curiæ Epiſco-
palis Monaſterienſis munitis litteris contenta, per ſuas, & ſucceſſiuè nos qui dicto præ-
deceſſori rebus humanis exempto, diuina fauente clementia, ad ſummum Apoſtolatus a-
picem aſſumpti fuimus, quandam aliam donationem de certa alia domo *Langhenhorſt*
nuncupata, eidem primæ dictæ domui contigua, per ipſum Henricum tunc factam, per
alias noſtras litteras confirmari mandauimus. Verùm, ſicut pro parte Henrici præfati &
nonnullorum aliorum presbyterorum & clericorum, in domibus ipſis pręſentialiter de-
gentium, petitio continebat, licet ipſi à pluribus annis citrà, tam litterarum Apoſtolica-
rum auctoritate, quàm ex diuerſis Ordinarij ac Metropolitici loci conceſſionibus, in do-
mibus præfatis, in communi ſub humili & ſæculari habitu, ac honeſta & laudabili vita,
Miſſas & alia Officia in capella inibi continuò celebrando, eorum quoque vitæ neceſſa-
ria ex laboribus manuum ſuarum pro maiori parte quærendo permanſerint, prout et-
iam de præſenti permanent; tamen ad euitandum moleſtias & impedimenta, quæ ipſis
per nonnullos, eorum ſtatus huiuſmodi forſan inuidos, inferri poſſent, & vt ipſi pacis &
conſolationis dulcedine gaudere, ac ad laudem & gloriam diuini nominis, populique de-
uotionis augmentum, ſe ſub vita prædicta non ſolùm conſeruare, ſed in numero adau-
gere, ac in vinea Domini vberiores fructus adferre valeant, prædictam, ac in *Ad latum
riuum*, aliàs *tzo Wijdenbach*, infra S. Mauritij Colonienſis, aliam conſtructam, capellas Colon.
in collegiatas eccleſias erigi, nec non in de *Weſalia*; infra loci de Weſalia, Colonienſis VVeſel.
diœceſis, parochialium eccleſiarum metas conſiſtentibus Domibus (in quibus ſingulis
etiam nonnulli alij presbyteri & clerici, in communi, ſub ſimili vita laudabiliter perma-
nent) vnam eccleſiam conſtrui, illamque tunc conſtructam etiam in collegiatam eri-
gi, & alia pro presbyterorum & clericorum prædictorum & ſucceſſorum eorumdem
conſeruatione, directione, ſtatuque ſalubri vtilia & neceſſaria fieri, & eis ac ſuis ſucce-
ſſoribus concedi feruentiùs concupiſcunt. Quare pro parte Henrici & aliorum exponen-
tium prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eorumdem deſiderio annuere, &
aliàs ſuper hoc oportunè prouidere dignaremur.

Nos igitur deſiderium presbyterorum & clericorum exponentium huiuſmodi con-
dignis in Domino laudibus plurimùm recommendantes, circumſpectioni tuæ committi-
mus, quatenus de præmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi ea fore vera
reppereris, tibique petita concedenda videantur, auctoritate Apoſtolica præfata in *Ad
Fontem-ſalientem* & *Ad latum riuum* conſtructas capellas in collegiatas eccleſias, nec non
conſtruendam in Domo de *Weſalia* eccleſiam etiam in collegiatam, cùm campanis &
campanilibus, ac clauſtris & alijs neceſſarijs officinis erigas, ipſaſque omnes & earum
ſingulas collegialibus titulis & inſignijs ornes pariter & decores, ac eas ſic erectas perpe-
tuò inſimul vnias, incorpores & annectas; nec non ſtatuas, ordines & declares, quòd
Henricus & alij omnes presbyteri ac clerici, in Domibus degentes huiuſmodi, eorumque
ſucceſſores *De collegio Canonicorum Fontis-ſalientis* nuncupentur, & dictarum erigenda-
rum eccleſiarum Canonici ab omni ſubiectione omnium parochialium eccleſiarum prę-
dictarum, nec non Rectorum earumdem (ita quòd ſingulis parochialibus eccleſijs præ-
fatis congrua recompenſa fiat) penitus liberi & exempti, ac immediatè locorum Ordi-
narijs ſubiecti exiſtant; quódque in ipſis eccleſijs Miſſas & alia diuina diurna ac nocturna
Officia, iuxta Romanæ curię conſuetudinem, continuò celebrare, dicere & recitare, &
dum eis videbitur, cantare, ac in communi dumtaxat, abſque tamen mendicitate, viuere
teneātur: & quòd nullus ex Canonicis huiuſmodi collegij aliquid proprij habere poſſit,
ſed omnia & ſingula bona Canonicorum, tam ex hereditate aut hereditatibus quàm per
labores manuum ſuarū vel aliàs quomodolibet acquiſita vel acquirēda, illi vel illis eccle-
ſijs, in qua ſeu quibus eos tempore acquiſitionis huiuſmodi reſidere contigerit, ex tunc
perpetuò applicata eſſe cenſeantur, & ad eam vel ad eas, etiamſi Canonicus ſeu Cano-
nici huiuſmodi à conſortio Canonicorum receſſerit vel receſſerint, ſeu aliàs quomodo-
libet ipſius collegij eſſe deſierit vel deſierint, perpetuò pertinere debeant; quódque ſin-
gulæ eccleſiæ prędictæ per ſingulos Præpoſitos, qui de numero Canonicorum huiuſmo-
di collegij exiſtant, & per illius generale Capitulum eligi valeant, perpetuis futuris tem-
poribus regantur; & quod quilibet Præpoſitorum ſic electus per generale Capitulum,
quoties eis videbitur, à gubernatione eccleſiæ, ad quam ſic electus extiterit, amoueri, &
loco ipſius alius eligi valeat, &c. Datū Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſi-
1439. mo quadringenteſimo triceſimo nono, XIV. Kalendas Maij, Pontificatus noſtri an-
no nono.

VNIVERSIS & ſingulis *Antonius* miſeratione diuina Epiſcopus Oſtienſis, S. R. E.
Cardinalis Bononienſis vulgariter nuncupatus, Executor & Cōmiſſarius vnicus ad infrà
ſcripta à Sede Apoſtolica deputatus, ſalutem in Domino ſempiternam. Litteras ſan-
ctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri D. Eugenij diuina prouidentia Papæ quarti
ſanas & integras, pro parte honorabilium virorum *Henrici de Ahues*, ac aliorum Pres-
byterorum & clericorum Domorum *Fontis-ſalientis* & *Langhenhorſt*, Monaſterienſis,
*Ad Latum riuum*, aliàs *tzo Widenbach*, & in *Weſalia*, Colonienſis, ciuitatum & diœce-
ſium præſentatas, nos cum ea qua decuit reuerentia noueritis recepiſſe. Pro quarum qui-
dem litterarum & contentorum in eiſdem verificatione, teſtibus fide dignis coram no-
bis productis, tandem fuimus pro parte dictorum Henrici & aliorum presbyterorum
requiſiti, quatenus ad executionem dictarum litterarum & in eis contentorum procede-
re dignaremur. Nos igitur Antonius Epiſcopus, Cardinalis, Cōmiſſarius & Executor prę-
fatus, auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, in *Langhenhorſt* & ad *Fontem ſalientem*, in-
fra parochiam B. Mariæ Virginis trans aquas, prope *Biſckopinck koff* Monaſterienſis, nec
non *Ad Latum riuum*, aliàs *tzo Widenbach* infra parochialis eccleſiæ S. Mauritij limites,
apud S. Pantaleonem, Colonienſis, diœceſium, conſtructas Domibus & earum quamli-
bet capellas in collegiatas eccleſias, nec non conſtruendam in Domo de *Weſalia* eccle-
ſiam etiam in collegiatam, cum campanis & campanilibus, ac clauſtris & alijs neceſſa-
rijs officinis ereximus, ipſaſque omnes & earum ſingulas collegialibus titulis & inſignijs
ornauimus & decorauimus, ac eas ſic erectas perpetuò inſimul vniuimus nec non ſta-
tuimus quòd dictus dominus Henricus & alij omnes presbyteri & clerici in Domibus

degen-

degentes huiuſmodi, eorumque ſucceſſores, *De collegio Canonicorum Fontis-ſalientis* nuncupentur; & quòd nullus ex Canonicis huiuſmodi collegij aliquid proprij habere poſſit &c. Actum Florentiæ in monaſterio omnium Sanctorum, ordinis Humiliatorum, anno 1439
milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono, Indictione II. die 29. menſis Aprilis.

ANTONIVS miſeratione diuina Epiſcopus Oſtienſis, S. R. E. Cardinalis Bononienſis vulgariter nuncupatus, dilectis nobis in Christo Canonicis vniuerſis De collegio Canonicorum Fontis-ſalientis, vbicumque conſiſtentibus, præſentibus & futuris ſalutem in Domino ſempiternam. Deuotionis veſtræ ſinceritas, qua Sedem Apoſtolicam & Romanam Eccleſiam reueremini, nec non honeſta & laudabilis vita ſub qua, mundanis abiectis illecebris, deuotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, aliaque probitatis & multiplicium virtutum veſtrarum merita, ſuper quibus apud Sedem ipſam fide dignorum teſtimonijs commendamini, merentur, vt petitiones veſtræ, illę præſertim, quæ ex deuotionis feruore proueniunt, ad exauditionis gratiam admittantur. Hinc eſt quòd de mandato ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri D. Eugenij diuina prouidentia Papæ quarti, nobis ſuper hoc oraculo viuę vocis facto, vobis & cuilibet veſtrûm, quòd nullum quauis excommunicationis ſententia pro tempore irretitum, niſi publicè excommunicatus denuntiatus extiterit, in eccleſijs veſtris euitare teneamini; inſuper quòd omnes & ſinguli ex vobis verè tunc pœnitentibus & confeſſis, omnes & ſingulas Indulgentias, per Sedem Apoſtolicam fidelibus, tàm intra quàm extra Vrbem conſiſtentes eccleſias (in quibus Stationes per Eccleſiam ſunt inſtitutæ) deuotè annuatim viſitantibus, videlicet illis diebus quibus Stationes huiuſmodi in illis exiſtunt, cōceſſas, ſingulis videlicet diebus eiſdem habere & gaudere poſſitis, etiam perinde ac ſi perſonaliter dictas tunc eccleſias viſitaretis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Florentiæ anno milleſi- 1439
mo quadringenteſimo triceſimo nono, die 4. menſis Maij.

## *Cap. x. Idem Eugenius IV. & Pius II. Gandauenſem Fratrum vitæ communis Domum beneficijs efficiunt, anno 1444. & 1462.*

EVGENIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm ſicut accepimus, SS. Apoſtolorum & Hieronymi in *Gandauo*, Tornacenſis diœceſis, prouinciæ Remenſis, & diuerſę aliæ in eadem prouincia Domus conſiſtant, in quibus & earum ſingulis nonnullæ perſonæ deuotæ, ſub vnius vel plurium regimine ſacerdotum, ac debita Ordinariorum & aliorum ſuperiorum ſuorum obedientia, ſobriè, piè, caſtè & iuxta ſalutaria SS. Patrum monita, nec non Euangelica inſtituta, ex laboribus manuum ſuarum, mundi ſpretis vanitatibus, in communi viuentes, ſub vna congregatione cohabitant & in futurum cohabitabunt, duce Domino, ac gratum Altiſſimo acceptumque deuotioni fidelium reddunt & reddent famulatum: nos vt perſonę prędictę, cum earum ſeruitoribus, eò faciliùs laboribus ſolitis intendere, & quietiùs virtutum Domino famulari valeant, ipſis & earum ſingulis, in locis & Domibus nunc erectis dumtaxat, atque quamdiu in communi, ſub Epiſcopi ac loci Ordinarij atque aliorum ſuorum ſuperiorum huiuſmodi obedientia vixerint, perſonis huiuſmodi atque ipſarum ſeruitoribus præſentibus & futuris, vt præfatos vel alios quoſcumque idoneos & diſcretos ſacerdotes ſeculares & regulares, ſeu ex eis aliquem in ſuum vel ſuos eligere Confeſſorem ſeu Confeſſores; quódque ſingulæ perſonæ prædictæ, cuiuſcumque diœceſis fuerint, etiamſi beneficia eccleſiaſtica non obtineant, nec patrimonialia ad id ſufficientia bona habeant, dummodo aliàs ad id idoneæ repertæ fuerint, alioque non obſtante canonico impedimento, ad omnes etiam ſacros Ordines, ſtatutis à Iure temporibus, promoueri, ipſique Ordines eis ab Ordinarijs prædictis conferri liberè & licitè valeant (fel. recordationis Clemen-

tis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, & alijs quibuſcumque Conſtitutionibus contrarijs ne-
quaquam obſtantibus) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Datum
Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo
1444. quadrageſimo quarto, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno quartodecimo.

Pivs Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Dudum per feli-
cis recordationis Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum accepto, quòd SS. Apo-
ſtolorum & Hieronymi in Gandauo, Tornacenſis diœceſis, prouinciæ Remenſis, & di-
uerſæ aliæ in eadem prouincia Domus conſiſtebant, in quibus & earum ſingulis nonnul-
læ perſonæ deuotæ ſub vnius vel plurium regimine ſacerdotum, &c. *vt ſuprà hoc dicto
capite.* Nos igitur, vt perſonæ ipſæ, quæ de laboribus manuum ſuarum, vtpote ſcriptura
& ligatione librorum, ac instructione ſcholarium, & his ſimilibus viuunt, eò feruentiùs
Altiſſimo famulari ſtudeant, quò magis prædictæ eis conceſſæ gratiæ per eamdem Se-
dem Apoſtolicam fuerint ampliatæ, eiſdem perſonis, vt Confeſſor ſeu Confeſſores, ab ip-
ſis perſonis electus ſeu electi, non ſolùm dictarum perſonarum, ſed etiam ſcholarium
confeſſiones audire, & pro commiſſis (dummodo talia non ſint propter quæ ſit meritò
Sedes Apoſtolica conſulenda) debitam abſolutionem impendere, & ſalutarem pœni-
tentiam iniungere, & etiam quoties expedierit, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare;
nec non vt dictæ perſonæ in eiſdem oratorijs ſeu capellis Euchariſtię Sacramentum ha-
bere & retinere, Miſſas & alia diuina Officia, etiam cantu, cùm eis placuerit, celebrari fa-
cere, diuiniſque Officijs completis, ibidem cum dictis ſcholaribus ſtudio ſacræ Scripturæ
aut alijs virtuoſis exercitijs intenti, etiam abſque parochialis eccleſiæ frequentatione, ex-
ceptis quatuor principalioribus anni feſtiuitatibus, remanere liberè & licitè valeant, au-
ctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus; iure parochialis eccleſię & cuiuſ-
libet alterius in pręmiſſis omnibus ſemper ſaluo. Datum Romę apud S. Petrum anno
1462. milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, VI. Idus Februarij, Pontificatus no-
ſtri anno quinto.

## *Cap.* XI. *Caliſtus* III. *Papa Veſalienſem S. Martini Domum ſuo diplomate firmat, anno* 1455.

CAliſtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pro parte di-
lectorum filiorum vniuerſorumq; presbyterorum & clericorum eccleſiæ S. Martini
Weſel. in oppido *Weſalienſi*, Colonienſis diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd
licet eccleſia ipſa, in vim litterarum fel. recordationis Eugenij Papæ IV. prędeceſſoris
noſtri, in collegiatam eccleſiam erecta fuerit, ita quòd in ea presbyteri & clerici in com-
muni, abſque tamen mendicitate, viuere tenerentur, quódque eccleſia ipſa ſub vocabulo
*Fontis-ſalientis* nuncuparetur, & presbyter principalis ipſius eccleſiæ Præpoſitus vocare-
tur, ac presbyteri & clerici prædicti Officium ſecundùm Romanæ curię conſuetudinem
celebrare deberent, nihilominus presbyteri & clerici prædicti deſiderant erectionem hu-
iuſmodi Apoſtolico munimine roborari. Quare pro parte ipſorum nobis fuit humiliter
ſupplicatum, vt erectioni ac omnibus & ſingulis in eis contentis robur Apoſtolicæ con-
firmationis adijcere, ac ſtatuere, quòd ipſa eccleſia, vt præfertur erecta, eccleſia *S. Mar-
tini* perpetuò nuncupetur, præfatiſque presbyteris & clericis, quòd omnibus & ſingulis
priuilegijs & immunitatibus, eis per ipſum Eugenium prædeceſſorem conceſſis, vti &
gaudere poſſint, ac Officium ipſum non ſecundùm Romanæ curiæ, ſed ſecundùm ec-
cleſię Colonienſis, cui ſubeſſe noſcuntur, conſuetudinem dicere debeant, concedere dig-
naremur. Nos igitur erectionem & ſecuta huiuſmodi rata & grata habentes, illa omnia
& ſingula (ſalua limitatione infraſcripta) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ap-
probamus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan interuenerint in ijſdem. Et nihilo-
minus decernimus, quòd ipſa eccleſia ſic erecta *eccleſia S. Martini* perpetuò nuncupetur;
quódq; presbyteri & clerici prædicti, præſentes & futuri, Officiũ prędictum non ad vſum
Roma-

Digitized by Google

Romanę curię, ſed ſecundùm conſuetudinem dictę eccleſię Colonienſis dicere debeant, ac ſingulis priuilegijs, gratijs & libertatibus, per eundem Eugenium prędeceſſorem eis conceſſis, in omnibus, ac ſi prędicta eccleſia Fontis-ſalientis, & non S. Martini vocaretur, ipſique presbyteri & clerici prædictum Officium ſecundùm vſum Romanæ curię, & non ſecundùm conſuetudinem dictę eccleſię Colonienſis dicerent, vti, frui & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, Idibus Decembris, 1455.
Pontificatus noſtri anno primo.

## *Cap.* XII. *Idem Caliſtus Papa Amersfordienſem S. Ioannis Domum ſuis tabulis firmat, anno* 1456.

CAliſtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, Abbati monaſterij S. Pauli ac Præpoſito eccleſiæ S. Petri Traiectenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro parte dilectorum filiorum, vniuerſorum presbyterorum & clericorum, in Domo S. Ioannis in *Amersfordia*, Traiectenſis diœceſis, degentium, nobis exhibita petitio continebat, quòd dudum ex conceſſione fel. recordationis Martini V. & Eugenij IV. Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum, quædam Domus congregationis ſæcularium presbyterorum & clericorum, in communi, abſque vlla proprietate bonorum, ſine mendicitate, de laboribus manuum ſuarum, ac bonis eis in communi, pia Christi fidelium largitione, erogatis, & ſub obedientia Ordinariorum ſuorum, laudabiliter & honeſtè, abſque etiam quacumque reprehenſione, in ſincera caritate cum clero ſæculari viuentium, in prouincia Colonienſi ſtabilitæ, & earumdem Domorum capellæ, videlicet *Fontis-ſalientis*, Monaſterienſis, & *Ad latum riuum*, Colonienſis, diœceſium, vigore litterarum dicti Eugenij, in collegiatas eccleſias erectæ fuerunt, ac dicti prędeceſſores diuerſa eis priuilegia conceſſerunt. Et deinde, ſicut eadem petitio ſubiungebat, ex erectione Domorum & capellarum, ac vita piiſſima presbyterorum & clericorum congregationis huiuſmodi, plures ſucceſſerunt fructus ſalutis animarum, cum multiplici diuini cultus augmento, & multi reducti ſunt ad frugem vitæ melioris. Propter quod bonæ memoriæ *Rodolphus*, Epiſcopus Traiectenſis, erectionem & fundationem præfatę Domus S. Ioannis in *Amersfordia*, ex Christi fidelium donatione tunc factam, ordinaria auctoritate approbauit, ac presbyteris & clericis in illa degentibus diuerſa priuilegia, ſalubrem ſtatum ipſorum, & debitam in eorum capellis diuini cultus directionem, ipſorum viſitationem, correctionem & fundationem, adminiſtrationemque eccleſiaſticorum Sacramentorum ſine præiudicio faciendam concernentia, conceſſit. Quare pro parte ipſorum presbyterorum, & clericorum in ipſa Domo S. Ioannis degentium, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt fundationē & Epiſcopi litteras prædictas, nec non omnia & ſingula, quæ in fauorē & vtilitatem Domus Amersfordię emanarunt, approbare, ipſamque Domum S. Ioannis Amersfordienſis, ad inſtar aliarum ſimilium Domorum per præfatos prædeceſſores erectarum, in collegiatam eccleſiam erigere dignaremur. Nos igitur diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus vos vel alter veſtrûm de præmiſſis omnibus vos diligenter informetis, & ſi ita eſſe reppereritis, fundationem, erectionem, conceſſionem & Epiſcopi litteras prædictas auctoritate noſtra approbetis, & ipſam Domum S. Ioannis Amersfordienſis, ad inſtar aliarum ſimilium, in collegiatam eccleſiam erigatis; nec non omnia Domibus *Fontis-ſalientis* & *Ad latum riuum*, per eoſdem prædeceſſores conceſſa, ad Domum Amersfordiæ, nec non presbyteros & clericos eiuſdem extendatis. Datum Romæ anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, V. Nonas Martij, Pontificatus noſtri anno ſecundo. 1456.

WALTERVS de Gouda, Prępoſitus & Archidiaconus eccleſię S. Petri Traiectenſis, Iudex, Cōmiſſarius & Executor, fundationem & erectionem Domus S. Ioannis Amersfordienſis, nec non conceſſionem & litteras Epiſcopi, de quibus in litteris Apoſtolicis

ſtolicis mentionatur, auctoritate Apoſtolica nobis cōmiſſa approbauimus,& ipſam Domum S. Ioannis Amersfordienſis in collegiatam eccleſiam ereximus, omniaque & ſingula Domibus *Fontis-ſalientis*, Monaſterienſis, & *Ad latum riuum*, Colonienſis, diœceſium, per Romanos Pontifices conceſſa, ad Domum Amerſtordiæ, nec non presbyteros & clericos eiuſdem extendimus. Actum Traiecti anno milleſimo quadringenteſimo
1461. ſexageſimo ptimo, Indictione IX. die 27. Aprilis.

## *Cap.* XIII. *Honofrius Legatus Apoſtolicus Amersfordienſi, Bruxellenſi, Geraldimontenſi, Gandauenſi & Buſcoducenſi Domibus varia beneficia & honores impertitur, anno* 1469.

HONOFRIVS, Dei & Apoſtolicę Sedis gratia Epiſcopus Tricaricenſis, S.D.N. Papę Referēdarius, ac ipſius dictæque Sedis Apoſtolicæ in certis Germaniæ & Galliarum partibus, & præſertim Colonienſi, Treuerēſi, Leodienſi, Tornacēſi, Traiectenſi ciuitatibus & diœceſibus, cum plena poteſtate Legati de latere, Legatus, reuerendo in Chriſto patri domino D. Epiſcopo Dagnenſi, Bruxellæ Cameracenſis diœceſis reſidenti, & venerabilibus nobis in Chriſto dilectis, Abbati monaſterij S. Pauli, ordinis S. Benedicti, ac Pręposito eccleſiæ S. Petri Traiectenſis ſalutem. Pro parte dilectorum nobis in Chriſto vniuerſorum presbyterorum & clericorum, in Domibus SS. Ioannis Baptiſtę & Euangeliſtę in *Amersfordia*, Traiectenſis, Gregorij Papę in *Buſco-Ducis*, Leodienſis, Hieronymi in *Gandauo*, Tornacenſis, Annuntiationis B. Marię Virginis, vulgariter Nazareth in *Bruxella*, & Gregorij, vulgariter S. Ioannis in *Geraldimonte*, Cameracenſis, diœceſum, congregatorum, abſque vlla terum ſeu bonorum ſuorum proprietate, ſine mendicitate, in communi & ſub obedientia Ordinariorum aliorumque ſuorum Prelatorum viuentium, nobis oblatę petitionis ſeries continebat, quòd ipſi à pluribus annis citrà, ex diuerſis ſummorum Pontificum ac Ordinariorum locorum reſpectiuè cuiuſlibet Domus conceſſionibus in Domibus prefatis & alijs in communi, ſub humili & ſeculari habitu, iuxta antiquorum Patrum decreta, Miſſas aliaque diuina Officia, in portatilibus, honeſtè & decenter continuè celebtando, eorum quoque vitę neceſſaria ex laboribus manuum ſuarum pro maiori parte quęrendo, permanſerint, prout etiam de pręſenti permanent; ita quòd nullus eorum, quamdiu inibi maneat, de annuis reditibus alijſque ad eum ſpectantibus bonis teſtamentum condere vel aliquid legare ſeu donare poſſit, ſed omnia inter eos indiuiſa remanent, ac aliàs Domino concedente, varijs hactenus multiplicauerint virtutum meritis.

Et ſicut eadem petitio ſubiungebat, dudum fel. recordationis Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Caliſto III. & Pio II. ſummis Pontificibus, pro parte diuerſarum Domorum, pręſertim presbyterorum & clericorum in *Langhenhorſt*, & *Fontem-ſalientem* infra parochiam B. Marię Virginis trans aquas, Monaſterienſis, nec non *Ad latum riuum*, infra parochiam eccleſię S. Mauritij, Colonienſis, diœceſium, tunc commorantium expoſito, quòd ipſi prędictas in *Langhenhorſt* & *Ad latum riuum* capellas in collegiatas eccleſias erigi, nec non in *Weſalia*, Colonienſis diœceſis, eccleſiam conſtrui, illamque etiam in collegiatam erigi, & nonnulla alia pro eorumdem presbyterorum & clericorum directione ſalubri concedi obtinuerint, &c. *vt ſuprà cap.* 6. & 8.

Vnde pro parte prælibatorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt capellas in de *Amersfordia* & *Bruxella* ac *Geraldimonte* conſtructas, nec non in de *Gandauo* & *Buſco-Ducis*, Domibus, conſtruendas, in ſimiles collegiatas eccleſias erigi, & omnes alias conceſſiones Apoſtolicas, per ſummos Pontifices quibuſcumque alijs paribus Domibus ſiue Congregationibus factas, quò ad exponentes ampliare & extendere dignaremur. Nos igitur circumſpectioni tuæ, auctoritate legationis noſtræ, committimus, quatenus

nus vos, vel vnus veſtrûm de præmiſſis omnibus vos diligenter informetis, & ſi per in-
formationem expoſita fore vera reppereritis, eorumdem Eugenij & aliorum Pontificum
conceſſiones & gratias ad exponentes ipſos extendatis,&c. Datum Bruxellę, Cameracen-
ſis diœceſis, nobis illic cauſſa tractandę pacis reſidentibus, anno milleſimo quadringen- 1469.
teſimo ſexageſimo nono, Indictione II. die 10. Ianuarij, pontificatus S. D. N. Pauli Pa-
pę II. anno quinto.

VNIVERSIS & ſingulis GODEFRIDVS, Dei & Apoſtolicę Sedis gratia Epiſco-
pus Dagnenſis, Iudex, Commiſſarius & Executor,&c. Quia per informationem noſtram
comperimus, narrata & petita, in domini Legati litteris contenta, veritate fulciri, ac prę-
fatas conceſſiones, gratias & exemptiones pręlibatis Domorum in *Amersfordia*, *Buſco-
Ducis*, *Gandauo*, *Bruxella* & *Geraldi-monte* presbyteris & clericis fore & eſſe, exigentibus
eorum meritis & vitę integritate, concedendas; idcirco auctoritate dicti domini Legati
nobis commiſſa, omnes & ſingulas conceſſiones & gratias, alijs ſimilis vitę presbytero-
rum & clericorum Domibus per Eugenium & alios Pontifices conceſſas, extendimus ad
conſtructas in de *Amersfordia*, *Bruxella* ac *Geraldi-monte*, nec non ad conſtruendas in
de *Gandauo*, & *Buſco-Ducis* Domos; eorumque eccleſias conſtructas ſeu conſtruendas in
collegiatas eccleſias, cum campanis, campanilibus, clauſtris & alijs neceſſarijs officinis,
ereximus &c. Actum Bruxellæ, Cameracenſis diœceſis, anno milleſimo quadringente-
ſimo ſexageſimo nono, Indictione II. die 22. menſis Martij, pontificatus S.N.D. Pauli 1469.
Papæ II. anno quinto.

*Ex his & alijs liquet, Clericos ſeu Fratres vitæ communis in primis adlaboraſſe, vt ſuo exem-
plo priſcam communiter viuendi rationem in vſum apud Canonicos ceteroſque clericos re-
uocarent.*

## *Cap.* XIV. *Origo Domus Widenbacenſis in vrbe Colonienſi; quæ etiamnum floret, cum alijs aliquot Domibus in diœceſi Colonienſi ſitis.*

ECcleſia hæc in parochia S. Mauritij, ex oppoſito monaſterij S. Pantaleonis ſita, anno 1490.
1490. ſumptibus FRATRVM, quos ſcribendo ſacros codices ſibi acquiſierant, Con-
ſule D. *Henrico Haickio* plurimùm fabricam promouente, erecta, & anno ſequenti B. Mi-
chaeli Archangelo conſecrata eſt. In ea diuinum Officium & Horæ canonicæ quotidie
deuotè ſine notis muſicis, feſtiuis verò diebus cum cantu perſoluuntur. *Widenbacenſes*
communiter appellantur, à domo ſalicibus vtrimque, iuxta præterlabentem riuulum,
ſepta. Auctor huius inſtituti primus fuit *Gerardus Magnus* Dauentrienſis; cuius prædica-
tioni, multi ſupernæ caritatis zelo accenſi, obſecundantes, ſoli Deo adhærere cœperunt,
factæque ſunt, illo promouente, diuerſæ Congregationes, Apoſtolico more & inſtar
naſcentis Eccleſiæ, fraterna ſimul dilectione coadunatæ, vitam humilem in communi ſub
Prælati (quem Rectorem vocant) obedientia, ducentes, legi diuinæ & Euangelio con-
formes. Inter alios illius inſtituti viros egregios eminuit D. *Henricus Abus*. Hic cũ religio-
ſæ ſuę cohorti ſedem *Monaſterij* in Weſtfalia contuliſſet, multaque à Martino V. Ponti-
fice priuilegia, cum approbatione ſuę Congregationis, conſecutus eſſet; vir propè in-
comparabilis, qui talento ſuo multifarios quęſtus facere ſemper ſatagebat, non contentus
illud inſtitutum *Monaſterij* plantaſſe, voluit & *Weſalia* ac tandem *Colonia* idipſum prę-
ſtare. Obtento itaque ad manendũ loco *Widenbach*, mox in protectionem Archiepiſco-
pi Colonienſis Theoderici ſuſcepti ſunt: ex quibus deinde Canonici regulares in *Bo-
dingen* prodierunt.

Ceterùm cùm pręfata Clericorum ſeu Fratrum vitę communis Congregatio, eiuſque
viuendi ratio ab Vniuerſitate Colonienſi (qui anno 1417. inſtituti ſui regulã exhibuit)
ſcriptis multis ſigilliſque nobilitata eſſet, pro maiori deinceps informatione *Petrus de*

*Aliaco* Cameracenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, præfatæ Vniuerſitatis ſcripta ratificauit,& dictam Congregationem à ſe confirmatam multis priuilegijs ornauit.Sed
1441. & anno 1441. Fredericus Imperator, cùm Widenbacenſium in conuerſatione bonum odorem non ſolùm aliunde accepiſſet,ſed & propria experientia veritatem didiciſſet,eos ac poſteros omnes in ſacri Romani Imperij Vicarios & Capellanos perpetuos,eccleſiam verò in S. R. Imperij collegium aſſumpſit: vt in litteris ipſius adhuc ſuperſtitibus videre eſt.Sic ferè Erardus Winhemius in ſuo Sacrario Agrippinæ,quod 1607.ea in vrbe typis euulgandum curauit.

## *Cap.* XV. *Scriptores illuſtriores ex Congregatione Clericorum ſeu Fratrum vitæ communis.*

GERARDVS MAGNVS Dauentrienſis, Lutetiæ in Sorbona ſacris litteris ac pietate inſtructus, æqualibus vitæ ac doctrinæ exemplum mirificum dedit. Sorbonâ relictâ,ad ſuos reuerſus, Vltraiecti & Aquiſgrani Canonicus eſt creatus. His beneficijs eccleſiaſticis demum abdicatis,Fratres vitæ communis ſeu bonæ voluntatis Dauentriæ in patria inſtituit, qui ſcholas Latinas iuuentuti vndique confluenti aperirent, & non bonis tantùm litteris, ſed & benè viuendi moribus diſcipulos inſtruerent. Scripſit *Proteſtationem de veridica prædicatione*; *Concluſa & Propoſita*; item *De ſtudio in ſacris libris*: quæ tria opuſcula leguntur typis edita cum operibus Thomæ Kempenſis. Reliqua eius opera in bibliothecis variorum apud Belgas cœnobiorum exſtant manuſcripta: videlicet *De Cõtractibus & Vſuris*; *De inſtitutione Nouitiorum*; *De locatione curæ paſtoralis*; *De incommoditatibus matrimonij*; *De focarijs*; *Contra Turrim Traiectenſem*; *De paupertate*; *De quattuor generibus Meditabilium*; *De vitio detractionis*; *Sermones de Natiuitate Chriſti, de die Palmarum & alij*; *Epiſtola de ſchiſmate, & alia ad diuerſos*. *De Simonia*; *De beneficijs curatis*; *De cohabitatione & exercitijs Deuotorum*; *Concordia Euangeliſtarum de Paſſione Domini*; *Commentarius in Lectiones officij eccleſiaſtici de defunctis*; *De compunctione & eruditione ſcholarum, & alia*. Ex quibus non pauca hodieque exſtant Louanij ad S. Martinum, in Rubra & Viridi Valle prope Bruxellam, Huij apud Crucigeros, Coloniæ & Lierdæ apud Carthuſianos, & alibi. Idem Gerardus *Ioannis Rusbrochij Ornatum ſpiritualis deſponſationis, & librum De* XII. *virtutibus*, aliaque eiuſdem ſcripta ex Teutonico in Latinum tranſtulit: quæ verſiones in Viridi Valle & Namurci apud Crucigeros manuſcriptæ leguntur. Ad meliorem vitam anno 1384. die 20. Auguſti,ætatis ſuæ 44. tranſijt; à Thoma Kempenſi, Ioanne Buſchio, Iudoco Badio alijſque eximiè laudatus.

CHRISTIANVS MASSÆVS, Waſtenæ ad Liſam fl. in Flandria anno 1469. natus,primùm Gandaui,dein Cameraci (à Iacobo de Croy illius vrbis Epiſcopo anno 1509. euocatus) iuuentutẽ optimis & diſciplinis & moribus imbuit. Scripſit *Grammaticas præceptiones*, regulas generales carmine complexus; *Contra Merlinum* librum vnum; *De pſalmorum titulis & auctoribus* tractatum à Trithemio laudatum, *Chronicorum libros* XX.ab orbe condito vſque ad Chriſti 1540. annum,ab exteris auidè expetitos & lectos; *Kalendaria quattuor*, *Ægyptium*, *Hebraicum*, *Macedonicum*, *Romanum*, cum Chronicis anno 1540. Antuerpiæ excuſa; *vitam S. Hieronymi*, & *Chronicon breue Cameracenſe*, quod manuſcriptum exſtat Cameraci in Abbatia S. Sepulcri. Vita docendique munere in eadem vrbe Cameracenſi (vnde & Cameracenatis cognomentum ipſi adhæſit) defunctus eſt anno 1546. apud ſuos conditus.

GABRIEL BIEL, S.Theologiæ Licentiatus ac Profeſſor publicus apud Germanos in Academia Tubingẽſi (quam & anno 1477.plantauit) Lectiones in Canonem Miſſæ diſcipulis ſuis à ſe dictatas publicauit: extantque typis excuſæ Lugduni, Baſileæ, Pariſijs, Brixiæ 1580. & additis Annotationibus 1576. Venetijs. In libros IV. Magiſtri ſententiarum ſcripſit commentaria, Tubingæ, Lugduni, Pariſijs, Baſileæ, & 1574. Brixiæ edita. Scripſit item Sermones de tempore & Sanctis, cum alijs adiunctis, Brixiæ in 4. poſtre-

Digitized by Google

poſtremò typis publicatos; item libellum De poteſtate & vtilitate monetarum, Norimbergæ 1542. & Coloniæ 1574. cum eiuſdem argumenti libris, luce donatum. Viuere deſijt anno 1495.

Ceterùm quod ad Academiam (ſeu Vniuerſitatem ſtudiorum, vt vulgò loquuntur) Tubingenſem attinet; eam anno 1477. Euerardus Comes Wirtebergenſis Hieroſolymis reuerſus fundauit; Gabriele Biel Theologo, Ioanne Nauclero Iuris pontificij Doctore, alijſq́; viris præſtantiſſimis illuc ad publicas ſcientiarũ ac diſciplinarum profeſſiones euocatis. Nauclerus Chronica ſua vſque ad annum 1500. deduxit, quæ poſteà Laurentius Surius excepit ac continuauit. Euerardus porrò ex Comite Dux Wirtembergenſis anno 1495. à Maximiliano I. Cæſare, & Eques Velleris aurei anno 1491. à Philippo Pulchro, Maximiliani filio, creatus, anno demum 1496. è vita deceſſit.

GERARDVS SVTFANIVS, ab vrbe patria ſic dictus; ex primis Clericis ſeu Fratribus vitæ cõmunis apud Dauentrienſes, ſcripſit pios duos libellos, *De reformatione virium animæ*, & *De ſpiritualibus aſcenſionibus*, Lutetiæ & Coloniæ 1539. typis editos. De quibus præclarum iſtud dat teſtimonium, in eius vita, Thomas Kempẽſis: *Licet breui vixerit tempore, gratiſſima tamen nobis reliquit doctrinæ monumenta. Erat enim ſtudioſus valdè in ſcripturis ſanctis, trahens etiam ex abditis ſententijs Doctorum varias aromatum ſpecies contra vitiorum morbos, ad ſanandum animarum languores: ſicut præcipuè patet in duobus libellis ab eo editis, quorum vnus incipit*, Homo quidam, *& alius*, Beatus vir, *intitulatur.* Obijt ætatis 31. Chriſti anno 1398. De his & alijs iſtius inſtituti Scriptoribus plura qui volet, Trithemium & Valerium Andream in Bibliotheca Belgica conſulat.

## *Cap.* XVI. *Collegia ſeu Domus olim primariæ Fratrum vitæ communis.*

DAVENTRIÆ in Tranſiſalania, Germaniæ inferioris prouincia, Domus domini Florentij, antiquitate prima, procurante Florentio Radeuinio, & *fauentibus ciuitatis Dauentrienſis Scabinis pro Congregatione clericorum deuotorum fundata (ſeu ædificata) eſt anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo*: vt Thomas Kempenſis in vita Luberti Berneri (qui fuit vnus ex primis eiuſdem Florentij diſcipulis) loquitur. Vide ſuprà cap. 2. & ſequentia. Ex gymnaſio Dauentrienſi, præter primos patres ac conditores cœnobij ac Congregationis Windeſimenſis, Montis S. Agnetis, & aliorum illius inſtituti monaſteriorum, prodierunt *Thomas Kempenſis, Ioannes Buſchius, Alexander Hegius, Eraſmus Roterodamus, Guilielmus Hermannus, Ioannes Murmellius, Conradus Goclenius*, & alij, quorum ſcripta exſtant.

SVOLLIS in Tranſiſalania, Domus Fratrum vitæ communis. *SWolle.*

HVLSBERGÆ in Valauia, Domus Montis S. Hieronymi, prope Hattemum. *Hulſbergen inde Veluwe.*

DVSBVRGI, Domus Fratrum. *Doesburg.*

GRONINGÆ apud Friſios, Domus Fratrum. *Groeninghen.*

HORNÆ in Hollandia, Domus S. Hieronymi. In hac ſchola inſtitutus fuit *Iacobus Ceratinus* Profeſſor linguæ Græcæ Louanij. *Horn.*

GAVDÆ in Hollandia, Domus Fratrum. *Gonde.*

NOVIOMAGI in Gelria, Domus ad Vahalim fl. in diœceſi nunc Ruræmondenſi. Ex hac ſchola *Petrus Caniſius*, Soc. Ieſu Theologus, *Buſæi* fratres & *Henricus Vwenus* Gelriæ Cancellarius prodierunt. *Nimmegen.*

VLTRAIECTI, Domus S. Hieronymi an. 1474. incohata. Huic gymnaſio debemus *Henricum Cucquium* Epiſcopum Ruræmondenſem, *Corn. Valerium, Henricum Sedulium* & *Franciſcum Haræum.* *Vtrecht.*

AMERSFORDIÆ in diœceſi Vltraiectenſi, Domus SS. Ioannis Baptiſtæ & Euangeliſtæ. *Amersfort.*

DILINGÆ in Ducatu Wirtembergenſi, Domus Fratrum (niſi fallor) incohata fuit

eo tempore quo in illa Academia Theologiam profiteri cœpit *Gabriel Biel*, ſuperiore capite laudatus; hoc eſt circa annum 1477.

Munſter. MONASTERII in Weſtfalia, Domus Fontis-ſalientis, ab *Henrico Abuſio* 1424. fundata ac dotata: ſuprà cap.6.& ſeqq.

VVeſel. VESALIÆ in diœceſi Colonienſi, ad Rhenum, Domus S. Martini, eodem *Abuſio* procurante inſtituta: ſuprà pag.9.& 11.

Colen. COLONIÆ AGRIPPINÆ, Domus Widenbacenſis, eodem *Abuſio* agente, inchoata, & anno 1490. eſt ædificata: ſuprà cap. 9. & 14.

Emmerick. EMBRICÆ in Cliuia. Huic gymnaſio debentur *Matthæus Bredenbachius*, eiuſque filius *Tilmannus*.

Bruſſel. BRVXELLÆ, Domus Nazarethana ſeu Annuntiationis B. Mariæ, circa annum 1460. prope templum parochiale S.Gaugerici, ad Sennam fl. fundata, Caluinianis Belgium turbantibus circa annum 1580. deſijt à Fratribus excoli. Itaque anno 1585. tradita eſt Clariſſis monialibus, quas Vrbanianas ſeu Diuites nuncupant, auctoritate Ioannis Hauchini Archiepiſcopi Mechlinienſis. Ex ſchola Fratrum Bruxellenſium Ioannes Miræus Epiſcopus Antuerpienſis prodijt. Vide ſuprà pag.13.

Malines. MECHLINIAE, Domus Fratrum ad Diliam fl. deſijt ab eiſdem circa annum iam dictum 1585. inhabitari; eſtque nunc Seminarium Archiepiſcopatus Mechlinienſis.

Bolduc. SILVAE-DVCIS in Brabantia, Domus S.Gregorij Papæ. Ex hoc ludo litterario *Franciſcus Sonnius* Antuerpienſis, *Martinus Rithouius* Iprenſis, Epiſcopi, *Ioannes Goropius Becanus*, *Chriſtophorus Vladeraccus*, *Simon Verepæus*, & alij ſcriptis illuſtres emerſerunt.

Gand. GANDAVI in Flandria, Domus S. Hieronymi ad fl. Scaldim an. 1429. conſtructa fuit in veteri arce Gerardi Villani cognomento diaboli, ex Caſtellanis Gandenſibus oriundi: quam arcem Meyerus in geſtis anni 1342. Petram Gerardi diaboli nuncupat. Ex gymnaſio Gandenſi *Iudocus Badius* & *David Lindanus* prodierunt. Fratrum porrò cenſus annui Seminario Epiſcopatus Gandenſis attributi fuerunt.

Geerſbergē In GERALDI-MONTE, in Flandria & diœceſi Mechlinienſi, Domus S. Gregorij, vulgò S. Ioannis ad fl. Teneram, annexum habuit ludum litterarium, à Iacobo Marchantio in Flandriæ deſcriptione laudatum. Deficiente Fratrum numero, illius Domus poſſeſſiones Seminario Epiſcopatus Gandenſis ceſſerunt.

VVINNOCI-BERGIS in Flandria, Domus Fratrum. *Winocx-Berghen.*

Cambray. CAMERACI, Domus Fratrum anno 1505. fundari cœpta, ac dotata à *Iacobo de Croy* Cameracenſi Epiſcopo, quem Maximilianus I. Imp. Ducem primum Cameracenſem 1509. creauit.

Liege. LEODICI, Domus Fratrum ad fl. Moſam ſita, auctoritate Erneſti Bauari Epiſcopi Leodienſis, Societati Ieſu (à Gerardo Grousbequio, itidem Antiſtite, in vrbem 1566. admiſſæ) tradita fuit an. 1581. die 10. Nouembris.

Ceterùm ſingulis ferè Domibus gymnaſia ſeu ſcholæ olim fuerunt annexæ: in quibus ipſi FRATRES ſeu Clerici vitæ communis iuuentutem vndique confluentem optimis & moribus & litteris imbuebant. Harum ſcholarum à ſe viſarum (cùm in Belgio 1542.& 1556. verſaretur) cū laude meminit Petrus Ribadeneira, in vita S.Ignatij, Societatis Ieſu conditoris, lib.3.cap.24. *In Belgio*, inquit, *vſque adhuc nonnullos ſacrorum hominum conuentus videmus, in quibus viget ſcholarum puerilium diſciplina.* FRATRVM porrò exemplo *Societas Ieſu* hodie per orbem ferè vniuerſum Chriſtianum; *Eremitæ Auguſtiniani, Dominicani, Præmonſtratenſes*, & *Canonici regulares* in Belgio; Clerici *Paulini* ſeu *Barnabitæ*, *Somaſceni* in Italia & Gallia, & alij alibi ſcholas aperiunt, atque in ijs ad pietatem ac doctrinam adoleſcentes conformant.

Ex his *Auguſtiniani* anno 1601. Bruxellæ, 1607. Antuerpiæ, 1609. Gandaui, 1612. Louanij, 1614. Herentaliæ, Diſtemij & Haſleti, 1615. Huij, in agro Leodicenſi, 1617. Thenis in Brabantia, 1622. Inſulis in Gallo-Flandria, 1622. Angiæ in Hannonia, 1623. Brugis, 1624. Ipris, 1626. Teneræmondæ, 1628. Baſſeæ in diœceſi Atrebatenſi, 1630. Bouinij ad Moſam, & Haſebroucæ in Flandria ſcholas litterarias aperuerunt;

runt; magno ſui Ordinis & vniuerſi Belgij commodo. Quas quidem ſcholas Gregorius XV. Papa ſuo diplomate firmauit, & vt in ijs fortiter pergerent, prudenter & feriò admonuit; vt ex ſequentibus tabulis liquet.

GREGORIVS Papa XV. dilecto filio fratri Georgio Maigretio, S. Theologiæ Doctori Louanienſi, Prouinciali prouinciæ Colonienſis, ordinis Fratrum Eremitarum S. P. Auguſtini. Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut accepimus, in nonnullis iſtius prouinciæ Colonienſis Domibus regularibus, tui ordinis S. Auguſtini, ſtudiorum Collegia erecta ſint, tuque pro fidei Catholicæ exaltatione, ac S. Theologiæ & bonarum litterarum ſtudijs promouendis, alia huiuſmodi Collegia in eadem prouincia erigere propoſueris; nos tuum huiuſmodi laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, etſi opus non eſſe cernimus, pro noſtro tamen paſtorali munere, te ad alacriter & conſtanter exequendum, quod propoſuiſti, in Domino hortamur: quem vt ſuo tibi auxilio præſto ſit & tam pium opus promoueat, precamur. Rem certè Deo maximè acceptam, & nobis pergratam, tuo autem Ordini vtiliſſimam & decoram feceris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 14. Ianuarij, 1623. pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Scipio Card. S. Suſanna.*

DOMINICANI Antuerpiæ, Liræ, Vilfordiæ & Braniæ Comitis; *Premonſtratenſes* Furnis & Dixmudæ; *Canonici regulares* Tungris & in Boſco Domini Iſaci prope Hallas Hannoniæ opidū, iuuentutem in varias claſſes diſtinctam erudiunt. *Benedictini* Academias Hiracenſem & Ouetenſem in Hiſpania, & Salisburgenſem in Germania regunt; Duaci item Philoſophiam in publico gymnaſio & in Geraldi-monte litteras humaniores profitentur. Clerici regulares *Paulini* ſeu *Barnabitæ* Mediolani, in Laude Pompeia, Piſis, Aſtæ apud Italos; Aneſſiaci & Tononi apud Sabaudos; Aquis Sextijs, Laſcarij, Montargij & Stampis apud Francos publica ſcientiarum gymnaſia habent. *Somaſceni* collegijs Clementino & Græcanico in Vrbe fundatis, & alijs in Italia ac Gallia gymnaſijs cum laude præſunt.

Presbyteri Congregationis ORATORII, à Petro Berullo S. R. E. Cardinale anno 1611. incohatę, & à Paulo V. anno 1631. confirmatæ, plurima habent in Francia & Belgio Collegia ſeu Gymnaſia litteraria, & Seminaria ſuis Oratorijs annexa. Huius generis Collegia ſunt, Trecenſe, Montbriſonenſe, Maſſilienſe, Tolonienſe, Pezenatenſe, Diepenſe, Peronenſe, Belnenſe, Condomenſe, Andegauenſe, Namnetenſe, Salmurienſe, Cenomanenſe, Riomenſe, & Mechlinienſe; Seminaria verò, Pariſienſe ad ædem S. Maglorij in ſuburbano, Lingonenſe, Lugdunenſe, Lucionenſe, Cenomanenſe & alia.

Vt de antiquis monachorum Baſilianorum in Oriente, & Benedictinorum in Occidente palæſtris litterarijs nihil dicam; in Canonicorum eccleſijs ferè ſingulis olim ſcholæ publicæ, ad iuuentutem erudiendam, extiterunt. Vnde eximia in Eccleſiam ac Rempublicam Chriſtianam vtilitas emanauit: & ipſi Canonici varijs in locis, ac præſertim in Germania, magnis atque ingentibus diuitijs creuerunt; omnibus certatim pios eorum conatus adiuuantibus re, opera, conſilio. Ex ijs gymnaſijs, velut ex arce ſapientiæ, laudatiſſimi Antiſtites, alijque præſtantiſſimi viri prodierunt, diuinæ atque humanæ Philoſophiæ cognitione clariſſimi: vt libri innumerabiles ab ijs editi fidem faciunt. Et verò non vnius ſcientiæ, ſed diuerſarum artium ac linguarum diſciplinæ ab ijs explicabantur: vt ex Canonicorum Regula, à Patribus Concilij Aquiſgranenſis anno 816. edita conſtat. In qua hæc inter alia leguntur: *Singuli, iuxta capacitatem ſuam, diuerſarum artium erudiantur diſciplinis, vt nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec tota fidelium otioſus comedat. Tales quippe eſſe, imò & taliter conuerſari decet omnes, qui diuinis officijs ſe mancipaueruut.*

Carolus Magnus Imperator, Epiſcopatum Oſnaburgenſem in Weſtfalia anno 804. fundans ac dotans, *in illo loco Græcas & Latinas ſcholas in perpetuum manere, nec vnquam*

*clericos vtriuſque linguæ gnaros deeſſe ordinaunt.* De Epiſcopis & alijs viris illuſtribus, qui ex Notgeri & Eraclij Leodicenſium Antiſtitum, itemque ex Lieberti Cameracenſis Epiſcopi ſcholis prodierunt, Anſelmus, Baldericus & alij illarum eccleſiarum Chronographi conſuli poterunt. Hoc certè ſibi maiores noſtri in primis propoſuerunt, vt magiſtros moribus atque eruditione ſpectatos ſcholis præficerent. Ideoque in cathedralibus & alijs eccleſijs *Scholaſtici* nomen & dignitas eſt inſtituta: & huc ſpectant Seminaria, quæ nouiſſimè Concilum Tridentinum in ſingulis diœceſibus inſtitui iuſſit. Seſſ. 23. cap. 18.

Itaque videmus cùm ex reliquis religioſorum hominum miniſterijs multa & magna in Eccleſiam ac Rempublicam emolumenta redundare, tum verò ex ſcholarum iſtarum vſu longè plurima & maxima; in ijs præſertim prouincijs, quas hæreſis Lutheriana aut Caluiniana infecit. Siquidem eorum, qui in Catholicis adhuc caſtris perſeuerant, filij, lactè veteris & Apoſtolicæ doctrinæ à ſacratis viris enutriti, & ipſi veram religionem retinent, & parentes ſuos, ne ab ea diſcedant, ſuo exemplo confirmant; innumerabiles denique ſectariorum ac deuiorum filij hac eadem ratione, perque filios ipſi parentes quotidie ab erroribus reuocantur. Quamobrem laudandos in primis eos exiſtimo, qui etſi ætate grandiores & ſublimioribus diſciplinis ſint inſtructi, adeoq; ad eminentiora munera idonei, ad hanc tamen pueros docendi inſtituendique palæſtram libenter ſe dimittunt, & operam ſuam atque induſtriam vtiliſſimè hac in re collocare ſeſe exiſtimant. Non ignari *Gregorium Magnum*, Pontificem laudatiſſimum, ad inſtaurandum cantum eccleſiaſticum, duas Romæ ſcholas, vnam ad D. Petri in Vaticano, alteram ad D. Ioannis baſilicam in Laterano excitaſſe; in quibus puerorum cantantium cœtus ipſe regebat, virgulamque manu tenens atque errantes corrigens, veluti præſidebat; vt Ioannes Diaconus in eius vita fuſè commemorat. Quem igitur ad id genus munia obeunda non excitet hoc tam rarum atque inauditum exemplum? quem, etſi ætate aut dignitate fortaſſis eminentem, ad æmulandũ non moueat aut inflammet? In quo quidem exemplo (vt de Caſſiodoro Conſule olim Romano, alijſque ſummis viris nihil dicam) finio, & Deum precor, vt ſimilem mentem ijs inſpiret, ad quos ſcholarum cura, ex veteri Eccleſię inſtituto, in primis pertinet.

FINIS.

CON-

# CONSTITVTIONES CLERICORVM REGVLARIVM

Quorum Congregationem Ioannes Petrus Carafa, (Epiſcopus tunc Theatinus, poſteà Paulus IV. Papa,) Caietanus Thienæus, Bonifacius à Colle, & Paulus Conſiliarius anno 1524. inſtituerunt.

*Iuxta exemplar Romæ anno 1610. typis editum, cum Notis Antonij Caraccioli: quas vtpote prolixiores viſum fuit hic omittere.*

## CLEMENTIS PAPÆ VII. DIPLOMA,

## *Quo Clericorum regularium, quos hodie Theatinos vocant, inſtitutionem approbat, anno 1524.*

CLemens Papa VII. Ioanni Petro Carafæ Epiſcopo Theatino, & Caietano Thienæo presbytero Vicentino, atque eorum ſocijs & ſucceſſoribus. Venerabilis frater, & dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nuper feciſtis, quòd vos & nonnulli alij eiuſdem propoſiti, ſocij veſtri, diuina, vt creditur, inſpiratione ducti, cupientes cum maiore animi quiete Deo ſeruire, & illi magis pro deſiderio cohærere poſſe, tria ſubſtantialia religioſę vitę, Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis, & Obedientię vota emittere, & ſub ſolito & communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi, ac de communi viuentes, ac Deo humiliter & deuotè, quantum ipſe dederit, ſeruientes, ſub noſtra & Apoſtolicę Sedis humili & immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione, clericalem vitam ducere decreuiſtis; ſupplicareq́ue nobis feciſtis, vt de noſtrę atque huius ſanctę Sedis plenitudine poteſtatis, ſolitaq́ue clementia in pręmiſſis benignè annuentes; de ijs, quę ad huius vitę propoſitum conducere, aut quomodolibet expedire videntur, vobis, ſocijs, ſucceſſoribuſq́ue veſtris prouidere dignaremur. Nos, qui omnium Chriſti fidelium pijs & honeſtis deſiderijs libenter annuimus, veſtrum in hac parte laudabile deſiderium plurimùm in Domino commendantes, veſtriſq́ue huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrûm, vt quandocumque viſum fuerit, poſſitis tria ſubſtantialia religioſæ vitæ (vt petitis) Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota publicè emittere, & in manibus cuiuſq; presbyteri ſęcularis, vel cuinſque ordinis regularis, ſolemniter profiteri, ac ſub ſolito & communi habitu clericali, ſubq́ue nomine & nuncupatione Clericorum regularium, in communi viuentes, in locis religioſis aut ſęcularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipſa conceſſum fuerit, ſeu expedire videbitur, ſub noſtra & ſanctę huius Sedis Apoſtolicę immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione, in vnum habitare, atque ex vobis, inter vos, ſingulis annis Superiorem eligere, Prępoſitum nuncupandum, qui vſque ad triennium, & non vltrà, confirmari poſſit, alioſq́ue quoſcumque ſęculares clericos, quauis dignitate fulgen-

fulgentes,ſeu laicos, qui Deo inſpirante ad huiuſmodi vitæ propoſitum, & communem viuendi modum ſeſe conferre voluerint, recipere & poſt annuam probationem,ad talem trium votorum profeſſionem, in manibus Superioris ſeu Præpoſiti emittendam, ad huiuſmodi communem viuendi modum admittere,necnon Statuta quæcumq;, Ordinationes & Conſtitutiones de omnibus & ſingulis, quæ ad huiuſmodi vitæ propoſitum conducere, moreſque & inſtitutum honeſtè & deuotè clericaliter viuendi concernere videbuntur,de Miſſis præcipuè & alijs diuinis Officijs, ſeu Horis canonicis, prout vobis meliùs videbitur,celebrandis & recitandis,licita tamen & honeſta, rationabilia & bonis moribus & ſacris Canonibus non contraria facere,edere, & pro tempore facta edere, corrigere,reformare,& in parte vel in totum immutare, ac de nouo alia, prout vobis expedire videbitur, inſtituere & ordinare, & iuxta illa viuere, quæ poſtquàm à vobis condita,edita & reformata, inſtituta aut immutata, & ordinata, ac nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris exhibita fuerint,Apoſtolica auctoritate approbata & confirmata ſint & eſſe cenſeantur: & vt omnibus & ſingulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus,libertatibus, auctoritatibus,indultis, fauoribus,conceſſionibus, & gratijs ſpiritualibus & temporalibus,quibus potiuntur & gaudent, aut in futurum potientur & gaudebunt Canonici regulares Lateranenſes, Congregationes, perſonæ,& loca eorum, vos, perſonæ & loca veſtra vti, potiri & gaudere poſſitis, quorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus. Ita vt litteræ Apoſtolicæ ſuper eiſdem priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus & gratijs eiſdem conceſſis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus,cognominibus,inuocationibus & diebus, ad libitum expediri poſſint, perinde ac ſi illa omnia & ſingula, non ſolùm per clauſulas generales, ſed per eorum tenorem,de verbo ad verbum expreſſionem & inſertionem fuiſſent vobis per has noſtras litteras ſub hac ipſa die expreſſa & ſpecialiter conceſſa,tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia, & ex Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, vobis ac ſocijs & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum concedimus pariter & indulgemus & ad præmiſſa omnia & ſingula, quibuſcumque impedimentis & contradicentibus amotis, liberam plenamque auctoritatem & facultatem elargimur: non obſtantibus nomine,dignitate & officio Epiſcopali,quæ Ioanni Petro ſupradicto per alias noſtras litteras reſeruauimus, Apoſtolicisque & generalibus aut ſpecialibus conſtitutionibus, ordinationibus,etiam iuramento aut quauis alia firmitate roboratis, etiamſi quæ ſpecialiter,ſeu de verbo ad verbum exprimenda eſſent, quæ pro expreſſis haberi, & quibus quoad effectum præſentium dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, alijſque contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud
1524. ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima quarta Iunij, M.D.XXIIII.pontificatus noſtri anno primo.

*Iacobus Sadoletus.*

## *Clemens* VIII. *Papa Conſtitutiones Clericorum regularium approbat, anno* 1604.

CLemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Etſi ex debito Paſtoralis officij ſingulos Religioſos, qui ſpretis huius mundi vanitatibus, iugum religionis, vt Altiſſimo liberiùs inſeruirent, ſunt amplexi, paterna dilectione proſequimur; tamen dilectorum filiorum Congregationis Clericorum regularium præcipuus in Dei ſeruitio feruor,regularis diſciplinæ obſeruantia, & vberes in Eccleſia Dei fructus, quos aſſidua verbi Dei prædicatione, frequenti Sacramentorum adminiſtratione, probatæ vitæ exemplo,& bonæ famæ odore aſſiduè producunt, à nobis exigunt,vt laudabile eorum inſtitutum ſpecialibus fauoribus & gratijs atque Apoſtolica protectione foueamus. Sanè cùm Conſtitutiones & Statuta prædictæ Congregationis Clericorum regularium à dilecto filio

filio noſtro Pompeio Arrigonio, tit. ſanctæ Balbinę, S. R. E. Cardinale, de ordine noſtro diligenter viſa, recognita & examinata typis cudere, & ad communem dictæ Congregationis vtilitatem & commoditatem in lucem emittere expediat; Nobis propterea ex parte dictorum Clericorum fuit humiliter ſupplicatum, vt Conſtitutiones & Statuta huiuſmodi Apoſtolicæ auctoritatis robore communire, aliaſque in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Congregationem prædictam ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, ac ſingulos dictæ Congregationis Clericos à quibosuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; motu proprio & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, huiuſmodi laudabile prædictæ Congregationis inſtitutum, & prædictas omnes & ſingulas Conſtitutiones, Ordinationes & Statuta, quęcumque à prædicto Pompeio Cardinale, vt præfertur, viſa & examinata, quarum & quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuò confirmamus & approbamus: illiſque perpetuę & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: ac omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem interuenerint, ſupplemus: illaſque & illa perpetuò valida, firma & efficacia fore & eſſe, ac per Clericos pręedictos, & alios ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, perpetuò inuiolabiliter obſeruari debere, ac in lucem edi, & typis mandari poſſe decernimus & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis & Conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 28. Iulij 1604. pontificatus noſtri anno decimotertio.

*M. Veſtrius Barbianus.*

# PRÆFATIO
## AD CONSTITVTIONES.

QVam nos religioſè viuendi rationem ex Apoſtolorum Actis excerptam, Clementis VII. aliorumque Summorum Pontificum auctoritate firmatam, Patrum noſtrorum vſu & conſuetudine tot annos receptam, in Generalibus Capitulis ſępiùs roboratam, Congregatione, Deo fauente, in dies aucta, Conſtitutionum more, calamo ſcriptam hactenus ſeruauimus, eam nunc accurratè recognitam typis mandare viſum eſt; vt quę vitanda aut ſequenda ſunt, pre oculis quiſque habeat. In his ſcribendis, edendíſve ea mens noſtra eſt, tum vt quę naturali, Euangelica & ſacrorum Canonum lege ſanciuntur, probè ſeruemus; tùm verò vt trium ſacrorum Votorum nexu, hiſque religioſis Conſtitutionibus communiti, aditum nobis ad perfectę caritatis adeptionem, Deo iuuante, faciamus. Ceterùm vt animarum conſulamus tranquillitati, declaramus nullas Conſtitutiones aut Regulas noſtras obligare nos ad culpam, ſed ad pœnam tantùm, niſi propter pręceptum aut contemptum: pręceptum autem apud nos nullum aliud haberi, quàm quod naturali aut diuina, aut Eccleſiaſtica lege, aut trium Votorum ratione continetur. Quamuis autem ad culpam obligandi, etiam peccati mortalis, Superioribus noſtrę Congregationis non deſit auctoritas, maximè in rebus grauibus, & ſi pręceptum his verbis exprimant, *Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ*, aut horum ſimilibus: caueant tamen, ne quid vmquam pręcipiant temerè, & à multitudine pręceptorum abſtineant; ne laqueum ſubditorum animis inijciant. Excommunicandi etiam quamuis habeant facultatem, ſo-

brié tamen, & cum conſilio vtantur hoc gladio. Nemo autem, excepto Generali Capitulo (penes quod per Summorum Pontificum priuilegia eſt auctoritas nouas condendi leges, & veteres obrogandi) audeat his noſtris Conſtitutionibus aliquid immutare, addere vel minuere. Hę in tres pręcipuas partes ſunt diſtributę: in quarum prima agitur de ijs, quę ad diuinum cultum pertinent; in ſecunda, de obſeruantijs quibuſdam noſtrę Congregationis; in tertia, de vniuerſi ordinis adminiſtratione.

# CONSTITVTIONVM PARS I.

## *Caput* 1. *De Horis canonicis.*

DIuini preces Officij, nocturnas quidem horis matutinis, diurnas verò interdiu, ſtatis horis, tum ſacerdotes, tum clerici omnes, ex præſcripto rituque Romani Breuiarij, in choro deuotè alacriterque perſoluant. Integrum tamen nobis erit pro conſuetudine locorum, Patroni tantùm, vel præcipui alicuius Sancti, eius loci vbi degimus, diem feſtum officiumque celebrare.

Miſſa ſolemnis diebus feſtis celebretur: quibus manè, Prima; proximè ante Miſſam, Tertia; ea peracta, ſtatim Sexta recitetur. Ceteris diebus Prima, Tertia, Sexta ſimul dicantur; Nona, ſi quidem ieiunandum ſit, ante cœnam; ſin minùs, ſtatim à prandio. Veſpertinæ preces, ſiue feſtus dies, ſiue profeſtus ſit, hora congruente vnà cum Completorio. In ieiunijs Quadrageſimæ, Veſperę ante cœnam; Completorium, vigeſimaſecunda hora; niſi ob ſacras conciones aliter quandoque fieri neceſſitas aut populi commoditas poſtulauerit.

Officium paruum B. Virginis, Officium Mortuorum, Septem Pſalmi Pœnitentiales, & quindecim Graduales, quibus diebus in Breuiarij Rubricis præſcribitur, ijs in choro recitentur. Liberum tamen Præpoſitis erit ex rationabili cauſſa permittere quandoque, vt Matutinum B. Virginis in choro omittatur. Quo autem tempore, ſiue ex Breuiarij Rubricis, ſiue ex Superioris facultate omittitur Officium B. Virginis in choro, faciet quiſque vt apud ſe priuatim dicat: id enim poſtulat, quæ præcipua noſtra debet eſſe, in tantam Virginem pietas.

Pſalmos Pœnitentiales genibus flexis; Graduales & pro Defunctis ſedentes; reliquos, ſtantes in choro recitent. Dum quis in choro medio ſtans, de more, ad Matutinas preces, Lectiones, vel ad Primam Martyrologium legit, ceteri ſedẽtes audiant, & Reſponſoria ad ſingulas Lectiones reſpondeant. In Miſſis ſolemnibus ſacerdos & miniſtri ne ſedeant.

Nulla nos Muſica vel cantus modulatione, nec in Miſſis, quantumuis ſolẽnibus celebrandis, nec in quibuſvis Horis canonicis recitandis, in eccleſijs noſtris vtimur. Sæcularibus tamen ſeorſum cùm indicitur oratio publica, id bis in anno concedi poterit. *Conemur autem* (vt inquit S. Bernardus) *purè ſemper ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus; non pigri, non ſomnolenti, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis nec remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili (vt dignum eſt) ſonitu & affectu voces Spiritus ſancti depromentes.* Hæc ille. Simul incipiamus, ſimul deſiſtamus: commodam in verſibus pauſam faciamus; in penultima vel antepenultima pro ſyllabarum quantitate immoremur: in vltima ſemper moram cauebimus.

Sem. 48. in Cant.

Præpoſiti, quàm maximè poterunt, domeſtica negotia in aliud tempus differant, quo ſingulis Horis canonicis cum alijs in choro interſint. Idem ſeruent Vocales, ſacerdotes, clerici. Neuè ſibi quis remiſſionem quampiam à diuinis Officijs aſſumere audeat, niſi cui, vt ſtudijs aut lectioni, aut prædicationi operam det, ſit aliqua conceſſa poteſtas. Qui tamen, ſi actu ipſo non ampliùs legat aut prædicet, aut lectionibus non interſit, vnà cum ceteris conuenire in chorum teneatur. Clerici, quibus à matutinis Horis, ſtudiorum cauſſa datur aliqua immunitas, ad eccleſiam priùs veniant; ante altare ſanctiſſimi Sacramenti

ora-

ɔrationes fundant, benedictionem in choro à Superiore petant; tum in ſuis quiſque cellulis ſedulò ſtudijs vacent.

Laici ad Matutinas preces vnà cum alijs ſurgant: benedictionem in choro poſt Inuitatorium ſimul petant: preces in eccleſia fundant; tum ad ſua ſe opera recipiant. De precibus, quas laici debent perſoluere, dicetur infrà.

Si quis ad Horas canonicas, poſtquàm fuerint inceptæ, veniat, ad ſuum locum ne accedat, niſi prius genu flexo à ſuo Superiore benedictionem acceperit. Quòd ſi iam Inuitatorium & Hymnus in Matutinis precibus, primus Pſalmus in Veſperis, Hymnus & ıntiphona in ſingulis Horis ſint recitati, genuflexus in choro medio permaneat, donec uperior ſurgendi fecerit ſignū; & benedictione accepta ad ſuum locum ſe conferat. Poſt )fficium, negligentiæ ſuæ culpam in medio fateatur. Qui iuſta de cauſſa detentus, ad Officium tandem venerit, Superiorem in choro adeat, cauſſam aperiat, benedictionem etat. Quæ item vel in diuinis laudibus recitandis, vel in celebrandis Miſſis, vel in peragendis Eccleſiaſticis functionibus, vel omnino in his, quæ ad diuinum cultum pertinent, raia commiſſa fuerint, ſtatim ac diuinum Officium in choro fuerit abſolutum, ſpontè roferantur. Pœnas Præpoſitus, aut qui Præpoſiti eo loco vices gerit, vnicuique debis imponat.

## *Cap.* II. *De Ritibus & Cæremonijs.*

Ritus & Cæremoniæ aptè, compoſitè & decorè exerceantur: hoc enim clericorum eſt munus, & maximè conſpicuum. Itaque Præpoſiti per ſe, aut ſi occupati fueıt, per idoneum ſacerdotem curent diligentiſſimè vt Miſſalis & Breuiarij Romani ubricæ accuratè obſeruentur. Quandoque clericos & ſacerdotes conuocent, curentıe ne in ſolemnibus priuatiſvè Miſſis aut Officijs, proceſſionibus, ſacriſvè functioniıs, quæ Maiore hebdomada, præcipuiſque ſolemnitatibus per annum ſolent celebrari, ror aliquis aut varietas ſacerdotibus vel clericis noſtris obrepat. Nihil deniq; in eiuſodi Eccleſiaſticis rebus ſeruandis prætermittatur: ſed omnia ſtudioſè, exquiſitè, matuɔcum ſilētio, modeſtia, dignitate & decore fiant. Si quid tamē eſt, cuius formula ex Ruicis peti non poſſit, à peculiari noſtro de Cęremonijs libello petatur: vel ſi ex eo planè ni non poſſit, priſtino Congregationis noſtræ more ſtetur.

## *Cap.* III. *De mundítie & nitore eccleſiæ, & ſacræ ſupellectilis.*

Eccleſiæ mundæ ſint, & omni religionis cultu ornatę. Sacerdotum veſtes, altarium ɔrnatus, ſacra vaſa & cetera, quæ ad diuinum cultum pertinent, ſplendida, munda, ida, & ſuo quaque loco, vt par eſt, collocata & diſtributa aſſeruentur. Fit enim, vt diligentia & cura, quę his rebus adhibetur, Religioſorum ſpectentur animi. Ne quid ɔd ad ſacram ſupellectilem pertineat, alienis facilè detur vtendum: nam ita ſordes & culas ſępè contrahunt.

Ne permittatur vt in ſacris indumentis familiarum ponantur Inſignia. In eccleſijs nos, in quibus nulla habentur familiarum Inſignia, ne ſine P. Generalis auctoritate ıt: at vbi adſunt, rurſus alia vt apponantur, ne facilè concedatur. Sacella ſæaribus ędificanda vel exornanda concedi poterunt, etiamſi familiarum Inſignia & criptiones, modeſtas tamen & à nobis antè probatas, velint apponere: ea tamen le& conditione, vt nequa lex aut conditio oneroſa & à noſtro inſtituto aliena nobis imponatur: vt ſunt Miſſę & Officia in perpetuum dicenda, quę nulla vnquam rae in Congregationem admittantur.

## *Cap.* IV. *De Miniſtris altaris, & Ordinibus conferendis.*

SAcerdotes & Clerici noſtri, tum vbique, tum maximè in eccleſijs, vbi omnium in ſe ſciunt oculos conijci, ita mores habeant vultu, geſtu, inceſſu, ſermone compoſitos, vt nihil niſi graue, moderatum, religionis plenum præ ſe ferant.

Nouitios in Clericorum ordinem admiſſos prima tantùm Tonſura initiari licebit, vt diuinum Officium in Choro dicere, ſacerdoti ad Miſſæ ſacrificium adminiſtrare, ceteriſque Eccleſiaſticis functionibus deſeruire poſſint. Cùm profeſſionem emiſerint, eis quattuor minores Ordines conferri poterunt, ſi Præpoſito, maiorique parti Vocalium loci, ita viſum fuerit. Pro ſacris Ordinibus, P. Generalis licentia erit impetranda. In his conferendis cunctanter agatur. Ad Subdiaconatum nemo niſi tribus minimùm annis; ad Diaconatum niſi quattuor; ad Sacerdotium niſi quinque poſt emiſſam profeſſionem, admittatur. Non quòd tum demum planè debeant admitti, ac non poſſint in tempus quamuis longinquum à Superioribus reijci; ſed ne quo pacto admittantur antè, niſi aut neceſſitas aut magnæ perſonæ alicuius ratio poſtulare videatur.

## *Cap.* V. *De adminiſtrandis Sacramentis.*

QVi ad eccleſias noſtras adierint ad ſuſcipienda Sacramenta, ijs ſacerdotes Confeſſarij præcipuam exhibeant caritatem: rem ſuam priuatam aut con modum ne ſpectent, animarum ſaluti magnopere ſtudeant.

Qui in lectis grauiter ægrotant, domi viſitari de Superioris licentia poterunt, & Sacramentum eis pœnitentiæ miniſtrari, pijſque monitis inſtitui, ac demum ad benè moriendum vt ſe diſponant, hortari. Caueant autem ne ad res temporales, ad facienda teſtamenta, ad eleemoſynas erogãdas, maximè ſi Religioni noſtræ velint relinquere, ſe admiſceant, vt auaritiæ non culpa tantùm, ſed omni prorſus ſuſpicione careant.

Sacerdotum qui confeſſionibus ſæcularium audiendis exponantur delectus habeatur: & quamuis peritus quis fuerit, & ad iuſtam ætatem peruenerit, maturè ſatis agatur; ne ad id munus admittantur, niſi qui idonei ſint reperti, nec niſi de licentia P. Generalis; qui, ſi iam annus poſt Sacerdotium fuerit expletus, licentiam, ſi ei videbitur, poterit concedere: anteà concedat nulli, niſi aut ſacerdotis alicuius præcipua virtus & doctrina, aut loci neceſſitas requirat. Antequam mittatur quis pro licentia obtinenda à locorum Ordinarijs, ſiue ad recipiendos Ordines, ſiue ad confeſſiones audiendas, domi priùs à Præpoſito & patribus ad id electis diligentiſſimè examinetur. Qui ita ad confeſſiones audiendas admiſſi fuerint, ne priùs accedant, quàm poteſtas à ſuo Præpoſito facta illis fuerit. Curent Præpoſiti, vt admittendis ad confeſſionem ſæcularibus definiatur modus: ne confeſſarij nimis occupati ſibi ipſis vacandi tempus non habeant.

Ad mulierum confeſſiones audiendas ne facilè ſacerdotes iuniores exponantur: ſed qui ætate & moribus ſunt maturi. Domos mulierum noſtri ne ſine rationabili cauſſa adeant. Qui earum confeſſionibus audiendis nondum ſunt expoſiti, ab earum viſitatione abſtineant. Permitti tamen à Superiore poſſit, vt æqua de cauſſa quandoque, ſed raro viſitentur. Qui earum confeſſiones audire ſolent, poſſint quidem de Superioris licentia illas quandoque viſitare, ſed id raro admodum & conſideratè fiat. Confeſſiones earum niſi in eccleſijs ne audiantur; dũ ne vel grauis ægrotatio, vel calamitas aliqua, vel alia quæpiam cauſſa vehemens poſtulauerit. Quæ ſi acciderit, ne ſolus cum ſola ſit, caueat; ſed comes ibi maneat vbi poſſit conſpici. Sedilia pro mulierum confeſſionibus audiendis ita in eccleſijs ſint collocata, vt & mulier & ſacerdos facilè videri poſſint. Dum earum confeſſiones audiunt, ne longiùs æquo ſermones producant, nève de ijs rebus agant, quæ ad pœnitentiæ Sacramentum pertinere minimè videantur. Virorum confeſſiones aut in eccleſijs, aut in locis ad id aſſignatis audiantur.

## *Cap.* VI. *De regendis Monialibus.*

AD Monialium, aliarumque mulierum in Congregatione viuentium confeſſiones audiendas ne quis noſtrûm mittatur. Liberum tamen ſit Præpoſitis id bis in anno aut ter, vt præſcribit Concilium Tridentinum, pro confeſſionibus extraordinarijs concedere.

Moniales monaſterij ſanctæ Mariæ de Sapientia Neapoli, quòd à ſorore Pauli IIII. Congregationis noſtræ Inſtitutoris extructum ſit, ſolas ſub noſtro regimine retinemus. P. Generalis, de Conſultorũ conſilio, ſacerdotem Confeſſarium pro illis audiendis eligat, aliumq; ex Patribus aliquem, loco ordinarij, qui eas regat & moderetur, ac de ceteris rebus curam habeat: tamen vt is eo tempore ne ſit Præpoſitus. Ordinarius & Confeſſarius quotannis, ſi videbitur, ijdem in eodem munere reficiantur. Verùm vltra triennium prorogari, aut ſibi inter ſe alter alteri ſuccedere non poſſint.

Viſitatores pro Romana & Neapolitana prouincia, cùm domos noſtras quotannis viſitabunt, Sanctimoniales iam dicti monaſterij eodem quo fratres modo & ordine viſitent. Priuata munuſcula neque ab ijs, neque à quibuſuis alijs monialibus recipiantur. Nulli noſtrûm regere Seminaria, aut curam illorum habere permittatur.

## *Cap.* VII. *De Concionatoribus.*

AD munus concionandi deputentur qui bonæ indolis ſint, virtutiſque ſpecimen dederint. Ij primùm Superioris conſenſu priuatis declamationibus inter communem refectionem ſe exercitent, deinde palàm prædicent. Facultatem ſolus Præpoſitus Generalis tribuat; & non niſi qui Philoſophiæ priùs operam dederint, & ſacræ Theologiæ ſtudium abſoluerint, vel eius Lectiones ſaltè per triennium audiuerint, & Concluſiones Philoſophiæ & Theologiæ defenderint; & præter virtutis & morum teſtimonium, à duobus aut tribus patribus, ad id à P. Generali deputatis, accuratè priùs de Philoſophiæ, Theologiæ, & Conſcientiæ caſibus examinati & approbati fuerint. Illis qui id nimis auidè, & non ex proximi caritate appetere videbuntur, ne facilè concedatur. Qui prædicare non valebunt, quin cibis Quadrageſimali ieiunio vetitis vtantur, ne cenſeantur idonei ad concionandum; niſi fortè morbus caſu acciderit.

In concionando ei rei potiſſimùm opera detur, vt Auditorum mores probè informentur, & ad Dei amorem excitentur animi, atque inflammentur. Ab inutilibus rerum & verborum lenocinijs abſtineatur. Qui contrà fecerint, eis prędicandi facultas ne detur. Quòd ſi eam habeant, & à Superioribus ſæpè moniti non ſe correxerint, à Generali Prępoſito prædicandi facultate priuentur.

In ciuitatibus, vbi nos habitare contigerit, & in eccleſijs noſtris, quoad eius fieri poteſt, noſtri prædicent. Quòd ſi iuſta cauſſa nata fuerit, de Præpoſiti Generalis licentia aliò ad prædicandum mitti poterunt: ſocium tamen quiſque habeat virum probum & modeſtum, à ſuo Præpoſito datum, qui in itinere, & dum prædicat, concionatorem comitetur; quique ei tamquam ſuo Præpoſito in rebus omnibus obediat. A domibus aſſignatis, prope tempus prædicandi, rectà proficiſcantur, nec deflectant à via. Viaticum à Patribus loci, vbi prædicauerit, perſoluetur.

Nemo noſtrûm eleemoſynas, quaſi ſuæ prædicationis ſtipendium petat, aut etiam eo nomine oblatas accipiat, ſed eas tantùm quę à fidelibus ſponté datæ fuerint, Quæ omnes, exceptis ſui itineris impenſis, illius domus eſſe cenſeantur, in cuius eccleſia ſiue ciuitate prædicauerit, niſi fortè à ſæcularibus nominatim alicui domui fuerint deſtinatæ.

Qui quotidie concionem habuerint, Chori omnino ſint immunes. Qui ſolis Dominicis & feſtis, ij ſemel ſaltem in diebus ſingulis à Choro exemptionem habeant; niſi Præpoſito æqua dę cauſſa videatur crebrior exemptio concedenda. Qui ad moniales, vel in Oratorijs ſermones habent, Superioris arbitratu exemptionem aliquam obtineant.

## *Cap.* VIII. *De Oratione mentali.*

SEmper quidem, vt ipſa Veritas pronuntiat, oportet orare: præcipuè tamen bis in ſingulos dies, ſigno dato ad communem orationem, magno iam animi quàm corporis ſilentio & quiete, per horæ dimidiæ ſpatium, nixi genibus oremus: idque fiat, primùm quidem ſtatim poſt perſolutas preces Matutinas; deinde verò ſi ſit hiems, prima nocte; ſin æſtas, ſtatim poſt meredianam quietem. Oremus autem ſimul in choro vel in eccleſia, quoad eius fieri poterit. Bis etiam in die, ſemel ante prandium, iterum antequàm eatur cubitum, rationem dicti, facti, cogitati nobiſcum putemus. Quotidie poſt cœnam & gratias de more actas, lotis cum ſilentio manibus, abeant in eccleſiam, Deum pro benefactoribus, præſertim quos in menſa recitatos audiuerint, oraturi.

## *Cap.* IX. *De ſuſcipiendis Sacramentis.*

VNà cum orationis aſſiduitate coniungendus etiam nobis eſt frequens Sacramentorum vſus. Quare clerici & laici, etſi mortiferi peccati ſibi conſcij non ſint, tamen ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramẽtum ne antè accedant, quàm ſe per cõfeſſionem, quo æquum eſt pij animi ſtudio, reddiderint puriores. Sacerdotes qui quotidie celebrant, ſi nõ ſingulis diebus, ſaltem id ſæpiùs in hebdomada faciant. Confitebitur autem quiſque noſtrûm ſuo Præpoſito, aut cui volet ex confeſſarijs, quos Præpoſitus deputauerit. Sacerdotes quotidie Miſſam celebrent; ſi impediti fuerint, re Superiori ſignificata, ab eo licentiam impetrent. Clerici & laici diebus Dominicis & præcipuis feſtis, videlicet Chriſti Domini, B. Mariæ Virginis, & SS. Apoſtolorum in hebdomada incidentibus, ſimul communicent. Miſſam audiant clerici & laici quotidie; ſacerdotes, quibus diebus ſacrum non fecerint.

Qui in lectulis diuturno morbo detinentur, ad eos ſemel in menſe ſacratiſſimum Domini Corpus deferatur. Vbi morbus ingraueſcet, curabit Præpoſitus, vt non modò Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & Vnctionis extremæ oportunè miniſtrentur, verùm etiam vt aliqui præſto ſint, qui eos moneant, conſolentur, & ad cœleſtem patriam diſponant & inſtruant. Cùm vicinam mortem intelligunt, ſigno dato, omnes vnà fratres in decumbentis cellulam conueniant, egredientemque animam pſalmis atque orationibus comitentur.

## *Cap.* X. *De Orationibus pro defunctis.*

CVm iam quis defunctus fuerit, ſiue is profeſſus, ſiue nouitius, ſiue hoſpes fuerit, deducentibus omnibus, corpus in eccleſiam deferatur. Deinde oportuno tempore totum Officium defunctorum in choro dicatur. Fiat officium ſepulturæ, & celebretur Miſſa ſolemnis: atque ſi profeſſus fuerit, ſacerdotes per triginta dies pro eius anima ſacrificent. Clerici diebus totidem dicant Veſperas defunctorum; laici tricies B. Virginis coronã. Ceteris Domibus res ſignificetur quamprimùm: vbi pariter in choro dicatur Officium defunctorum, & celebretur Miſſa ſolemnis; à ſacerdotibus dicatur Miſſa priuata; à clericis ſemel Veſperæ; à laicis corona B. Virginis. Quòd ſi quis à Domo ſua ad aliam profectus, prædicandi aut alia Congregationis negotia pertractandi gratia, diem ſuum obierit, vtraq; Domus par ei perſoluat officium, ac ſi vtrique fuiſſet aſſignatus. In obitu P. Generalis idem fiat in omnibus Domibus. In obitu Summi Pontificis totum Officium defunctorũ, & Miſſa ſolemnis cum Reſponſorijs ad tumulum vbiq; dicatur. Idem in obitu Epiſcopi ex nobis aſſumpti. Epiſcopo ciuitatis defuncto, dicatur ibi Miſſa ſolemnis, & ad tumulum Reſponſoria. Die poſt fidelium defunctorum Commemorationem dicatur Miſſa ſolemnis, & Reſponſoria ad tumulum pro defunctis fratribus noſtræ Congregationis.

# CONSTITVTIONVM PARS II.

## *Cap. 1. De tribus Religionis Votis.*

TRia Religionis Vota, quæ ſummo Deo polliciti ſumus, & ſanctè reddere,& firma tueri fide debemus. Proinde illorum conſuetudinem valde probamus, qui Patrum noſtrorum exempla ſecuti, antequam cubitum ſe recipiant, flexis coram Deo genibus profeſſionem iterare conſueuerunt.

Obedientiam accuratè ſeruare,& in ea magnopere excellere quiſque ſtudeat. In his, quę Superiores iuſſerint,ne externè tãtùm eis obediant, verùm etiam magno eos amore & intima reuerentia proſequantur. Noſtrarum actionum regula ſit Superioris voluntas; quam,dabimus operam,vt perſpectam habeamus, ſequamur, exequamur. Quem cuius rei Superior præfecerit,ei perinde ac Superiori ſine querimonia obtemperetur.

Ad Caſtitatem ſeruandam adhortari, minimè opus eſſe arbitramur. Religioſis enim viris non tam præclarum eſt eam virtutem colere, quàm turpe, non colere. Itaque nihil hoc loco adijciendum,niſi vt aſpectu,inceſſu,ſermone & totius corporis forma Angelicam quodammodo in terris puritatem imitemur.

Paupertas,expedita ad Deum via, & religioſæ Chriſti familiæ magnum certumq́ue vectigal, publicè priuatimq́ue exercenda eſt. Nemo igitur omnino aliquid poſſideat proprium,ſed omnes in communi & de communi viuant. Eleëmoſynæ ac bona omnia, ſiue Confeſſarijs,ſiue Prædicatoribus, ſiue quibuſuis alijs à quibuſcumque ſiue conſanguineis ſiue extraneis,quocumque nomine datæ ſint, ad Superiorem delatæ in communi reponantur: diuidantur autem à Superiore,prout cuique opus fuerit. Ne quis veſtem,librum aut quoduis aliud munuſculum,abſque ſui Superioris licentia & benedictione, vtendum accipiat. Apud externos ne quis horum aliquod depoſitum, quod Præpoſitus non probet, retineat: id enim proprietatis habet ſpeciem. Quæ cuipiam à Superiore cõceſſa ſunt,ea ne dentur alijs ex fratribus aut ſæcularibus abſque Superioris licentia.

Etſi neque per profeſſionem, neque per ſacros Canones prohibeamur annuos reditus in cõmuni poſſidere; per Concilium autẽ Tridentinum id nobis ſit conceſſum; nihilominus (voluntariè tamen,vt nullo vmquam vinculo adſtringamur)ab illis abſtinemus, quò à ſęcularibus negotijs liberiores paupertatem Chriſti Domini, Apoſtolorum,& multitudinis illorum,quibus cor vnum & anima vna fuiſſe legitur, imitemur; illud habentes in memoria: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis; ſcit enim Pater veſter, quia omnibus indigetis.* Matth.6. Nouitijs noſtris,dum bonis ſuis ante profeſſionem renuntiant, annuos reditus, quoad ipſi vixerint,noſtræ Congregationi vt relinquant, ne permittatur. Ne procuret item aliquis ex noſtris, ſiue Profeſſus ſit ſiue Nouitius, vt ſibi, quoad vixerit, annui reditus à parentibus, conſanguineis, aliíſue relinquantur. Ne procuret aut permittat aliquis, vt pecuniarum quidquam ſecretò ab eis erogandum relinquatur: ſed quamprimùm Superiori ſuo rem omnem aperiat.

De altari & Euangelio viuere nos clericos oportet, & de ijs, quæ ſponte à fidelibus offeruntur.Itaque neque per nos ipſos,neque per alios petantur à ſæcularibus eleëmoſynæ, ſed tota ſpes noſtra in Chriſti Domini verbis poſita ſit, qui ait: *Primùm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Sęcularibus ne permittatur, vt tamquam quæſtores petant pro nobis eleëmoſynas. Quòd ſi nobis inſcijs id facere ſint aggreſſi, cùm primùm ad nos perlata res fuerit, prohibeantur. Nec item alicui ex noſtris, aut pro ſuis propinquis, aut pro extraneis liceat eleëmoſynas petere. Si fortè pecuniarum aliquid ſponte traditum fuerit,vt pauperibus erogetur, id neque apud ſe habere, neque alicui erogare quis audeat ſine Superioris licentia.

Paupertas item priuatim eniteat in cellulis,veſtibus ac reliqua ſupellectile ſingulorũ. Nemo apud ſe habeat horologia cuiuſuis metalli ſpecie fabricata, nec aureas vel argenteas

teas reliquiarum,ſacrarumque rerum capſulas, aut libros auro vel ſericis coopertos, aut magno pretio ſculptas vel pictas Sanctorum imagines. Neque item armarijs ita ornatis, vt ſcriptoria (quę vulgò vocant) videri poſſint: aut tabulis vel oratorijs nuceis vtantur. Nemo noſtrûm armaria vel arcas clauibus obſeratas abſque Superioris expreſſa licentia habeat,exceptis ijs, qui res communes aſſeruant. Viſitentur quandoque à Præpoſito cubicula ſingulorum, ne in ijs curioſa, pretioſa & noſtræ Congregationi minimè conuenientia, vel plura quàm conceſſa ſint penes ſe retineant,& in proprietatis (quod abſit) vitium quis incidat; néve quid ſordidum, incompoſitum, aut ineptiùs ornatum apud ſe quiſquam habeat.

## *Cap.* II. *De Veſtibus.*

VEſtitus noſter niger ſit & ſimplex: videlicet qui honeſtos deceat clericos,ſacris Canonibus non repugnet,& in quo munditia cum paupertate ſit coniuncta. Veſtis interior ne ſit aperta,ſed concluſa vndique: clericorum talaris, laicorum paulò infra ſuram pertineat, honeſta tamen & religioſis viris congruens. Biretis vtantur clerici in crucem formatis,laici rotúndis:qui cùm domo egrediuntur,pileo vti poterunt.Clericis tam domi quàm foris eiuſdem qualitatis, pretij & modi inter ſe erit veſtitus: itidem inter ſe laicis. Lectuli ſint lati palmos nō ampliùs quattuor,ſine conopœo aut vlla re conſimili, ſine ornatu, vna culcitra, vno vel ad ſummum duobus puluinaribus. Ne quid vnquam reperiatur ſericum in noſtris lectis aut indumentis, vel à noſtra profeſſione alienum aut indecorum. Veſtes omnes tam laneæ quàm lineæ in communi veſtiario reponantur, exceptis ijs, quæ cuique Superioris arbitratu vtendæ diſtribuuntur. Ne quis rem ſuam propriam nominare vel habere audeat. Capillum & barbam omnes tondeant: ne nutriant, néve radant.

## *Cap.* III. *De Menſa atque Ieiunijs.*

CIborum parſimoniam & ſobrietatem (quod paupertatis proprium eſt) diligenter ſeruemus. Ieiunia ab Eccleſia indicta accuratè cuſtodiamus. Addimus ieiunium Aduentus Domini & ob præcipuam reuerentiam erga Saluatoris noſtri ſacratiſſimam paſſionem, ieiunium ſextæ cuiuſque feriæ; niſi feſtum, pro quo pridie ſit ieiunatum, aut feſtum titularis eccleſiæ,S. Stephani, S. Ioannis Euangeliſtæ, & Circumciſionis Domini in eam incidat. Ieiunamus præterea in Vigilia Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes & ſanctiſſimi Corporis Chriſti; in Vigilia Exaltationis S. Crucis, quòd ea die noſtra Congregatio ſumpſerit initium; in Vigilia Natiuitatis & Purificationis ſanctiſſimæ Virginis: in ſecunda & tertia feria ante Cineres. Quarta quaque feria, quia tum Dominus à Iuda proditus eſſe perhibetur, à carnibus abſtinemus, niſi feſtum fuerit primę Claſſis.

Primæ communi menſę omnes ſtudeant intereſſe: nec ſine rationabili cauſſa,aut ſine Superioris licentia ad eam venire quis prætermittat. Qui ad primam venire nō poterunt, ad alteram ſtatim veniant;ne tertiam cogamur ſtruere.Communis omnium menſa,communis cibus,idem omnibus ferculorū numerus,eadem qualitas. Primæ & ſecundę menſę nullum ſit diſcrimen, nullum perſonarum.

Communi menſę nunquam deſit ſacra lectio,vel ex ſacra Scriptura,vel ex SS. Patribus, vel ex auctoribus alijs valdè probatis: vt anima ęquè cœleſti, ac terreno corpus cibo nutriatur.Lectionem omnes auſcultent cum ſilentio. Eius errata corrigere,aut de ea verba facere, pręter Superiorem, audeat nemo.

Culpę, quę in alijs domeſticis operibus, vel quibuſvis alijs rebus non eccleſiaſticis, commiſſę fuerint, hę in principio menſę, flexis in Refectorio genibus,dicantur. Pœnas Prępoſitus,aut qui Prępoſiti vices in eo loco geſſerit,cuique debitas imponat.

Poſt prandium & gratias de more actas, cum ſilētio,lotis manibus,in chorum abeant,

& No-

& Nonam dicant. Poſt cœnam pari ratione abeant in eccleſiam, Deum pro benefactoribus, præſertim quos in menſa recitatos audierint, oraturi.

Ieiuniorum tempore ad ſerotinam cœnulam ſimul accedant: cibum ſedentes ſumant; ſpiritualis lectionis cibo reficiantur. Quibus ad primam non eſt viſum venire, ij non niſi ad ſecundam, poſt horæ dimidium à primo ſigno dato, conueniant; deinde Refectorij fores claudantur. Cibis, qui in communi menſa apponuntur, quiſque contentus ſit; nec aliquid ampliùs requirere, aut extra menſam ſumere ſine ſpeciali Superioris facultate liceat.

## Cap. IV. *De curandis Infirmis.*

MAgnopere curandum eſt, vt cùm in morbum quis noſtrûm incidet, ei neceſſaria miniſtrentur accuratè, ne conſanguineorum beneuolentiam aut domus ſuę commoda deſiderare poſſe videatur. Qui febri vel graui alio quouis morbo laborant, eis in cellam deferatur cibus. Lecti latiores cum duabus culcitris, & pluribus puluinaribus concedi poterunt. Præpoſitus virum ſedulum & cùm ceteris virtutibus, tum caritate & patientia præditum ægrotis curandis præficiat. Is det operam, vt medicorum mandata & omnia quæ fuerint factu neceſſaria, conficiantur tempore. Præpoſitus & ceteri (ſi modò fieri poterit) quotidie, aut ſaltem alternis diebus ægrotos viſitent, eoſque ad patientiam diuinarumque rerum deſiderium cohortentur. Multi autem ne commorentur ſimul in eorum cellulis; res friuolas ne tractent; ſubmiſſa voce loquantur; nec ſermonem æquo longiùs producant.

Senum, & qui imbecilla ſunt corporis valetudine, ratio habeatur. Si Præpoſito viſum fuerit, ieiunandi eos lege ſoluat; illiſque, ſi neceſſitas poſtulare videatur, fratrem laicum miniſtrare iubeat. Si pro ſua quis tuenda valetudine loci aut cœli mutatione indigere arbitretur, ad orationem primùm confugiat, rem deinde totam P. Generali notam faciat. Demum quæ ille decreuerit, tãquam omnium optima, ſumma animi quiete & tranquillitate recipiat, neque ampliùs vrgeat aut requirat.

Communis medicus pro infirmis omnibus curãdis à Superiore deligatur, neque alius à quoquam ſine eius licentia adhibeatur.

## Cap. V. *De recipiendis & inſtituendis Nouitijs.*

AD diuinum cultum & totius Religionis progreſſum plurimùm intereſt, vt ijs tantùm qui à Spiritu ſancto ducuntur, & ſpectatæ vitæ ſunt, quique vſui Religioni eſſe poſſunt, pateat aditus. Quare priuſquàm quis recipiatur, precationi ſe totum tradere Patres iubeant. Probetur deinde eius ſpiritus, & accuratè ac diligenter examinetur de Fide catholica, de vita, de moribus, de fama, de eruditione, de ætate; ſítne ex legitimo matrimonio natus, & vtrum in aliam Congregationem, vel etiam an alibi in noſtram dederit operam vt adſciſceretur, aut ſit aliquando adſcitus: habeátne ſorores collocandas, an parentes egentes aut infirmos; ſítne ære alieno grauatus, & ſi qua horum ſunt ſimilia. Quòd ſi diligentiſſimè & per plures hebdomadas examinatus, nihil impedimento fuerit, quominùs idoneus videatur qui admittatur, de conſenſu maioris partis Vocalium loci, modò ne Præpoſitus diſſentiat, recipi poterit. Quòd ſi fortè in aliqua Domo non adſit niſi Præpoſitus, atque alter tantùm Vocalis, ſi in recipiendis Nouitijs, aut habitu induendis, aut ad profeſſionem admittendis, Vocalis ille cum Præpoſito non conſentiat, res tota deferatur ad P. Generalem.

Qui de hæreſi vnquam ſuſpectus aut delatus fuerit; qui in alia Religione profeſſionem fecerit, nullo pacto recipiatur. Qui alius Ordinis habitu tantùm fuerit indutus, ſi P. Generali cum Conſultoribus videbitur, poterit recipi. Qui in noſtram ſemel admiſſus poſteà receſſerit; qui à Patribus cuiuſpiam Domus repulſam paſſus ad aliam ſe contulerit;

tulerit; qui ex legitimo matrimonio natus non ſit, nulla ratione niſi ex conſenſu P. Generalis recipiatur. Quòd ſi quis eiuſmodi ex rei ignorantia receptus ſit, is ne induatur habitu, néve ad profeſſionem admittatur, niſi Præpoſiti Generalis facultate impetrata. Si quis in aliquam ex noſtris Domibus vt admittatur poſtulauerit, ne recipiatur abſque illius Domus Patrum licentia, in quam priùs vt ingrederetur petierat: niſi fortè in eam ciuitatem ita ſe contulerit, ibique fuerit commoratus, vt domicilium mutaſſe cenſeatur.

Vbi primùm quis receptus fuerit, tradatur à Præpoſito inſtituendus Nouitiorum Magiſtro: cuius electio à Præpoſito, maioreque parte Vocalium (modò ne Præpoſitus diſſentiat) ſingulis fiat annis; idemque per plures, ſi videbitur, annos refici poterit. Deligatur autem ex ſacerdotibus, qui præcipua vitæ integritate, morumque grauitate ſit præditus; qui prudentia & diſcretione polleat; qui manſuetudine & ſeueritate, pro rerum & perſonarum qualitate, vti optimè nouerit; qui noſtræ Congregationis communes labores libenter & aſſiduè cum alijs ſubeat; qui rebus diuinis & eccleſiaſticis non mediocriter ſit eruditus; qui mandata Dei atque conſilia, perfectioniſque viam verbo & exemplo alios edocere valeat. Is pro facultate ſibi à Præpoſito conceſſa diligenter & ſolicitè informet Nouitios ſibi cõmiſſos, Deum ex animo amare, mundi huius voluptates & illecebras contemnere; paupertatem & humilitatem in rebus omnibus colere; obedientiam prompto & alacri animo amplecti; puritati & vitæ innocentiæ magnopere ſtudere; bis ſaltem in die conſcientiam examinare, ter in hebdomada confiteri, diebus Dominicis vnà conuenire, ac coram Magiſtro culpas ſuas dicere. Hortetur etiam eos, tentationes atque adeò cogitationes ſingulas Magiſtro ſuo quàm citiſſimè & ſua ſponte detegere; tempus in rebus inutilibus non conterere; vanas ſęculi occupationes deuitare; ſilentium opportunis locis ac temporibus ſeruare; orationis feruorem & aſſiduitatem diligere; rebus diuinis magnopere delectari, atque cetera Religionis noſtræ inſtituta diligentiſſimè tueri.

Poſtquam in noſtram Congregationem quis admiſſus fuerit, per aliquot dies ſuo habitu ſæculari, vitæ noſtræ rationem contempletur. Tum ſi perſeuerandi ſpem exhibuerit, clericali habitu indutus pro hoſpite habeatur. Si pro clerico eſt admiſſus, per menſes quattuor; ſi pro laico, per annum pro hoſpite reputetur. Hoſpites ſi in ſacris ſint, ante ſuſceptum habitum ne miniſtrent in ſuo ordine. Si ſint ſacerdotes, perrarò & non niſi diebus feſtis, de Præpoſiti licentia, Sacrum faciant. Si ſæpiùs fieri neceſſitas loci, aut alia ratio poſtulare videatur, Præpoſiti Generalis facultas erit impetranda. Nouitij ad nullum Ordinem promoueantur, ſed ſola clericali tonſura, ſi eam non habeant, initiandi ſunt. Si quis Nouitius ſit ſacerdos, nulla ratione Confeſſionibus audiendis exponatur. Ante profeſſionem, niſi aliter P. Generali certa de cauſſa videatur, nemini nec Philoſophiæ, nec Theologiæ lectionibus intereſſe facultas ſit; ſed diuino cultui, eccleſiaſticis cæremonijs, ſui ipſius abnegationi, atque deuotis & ad pietatem accommodatis legendis libris vacent.

Profeſſi cum Nouitijs ne verſentur, neque vllo pacto colloquantur; ne illi quidem, qui vt ingrederentur operam dederunt, aut eorum confeſſiones audierunt.

Qui ad functiones Eccleſiaſticas inhabilis, aut Religioni oneri futurus eſſe exiſtimatur, is nulla caritatis aut miſericordiæ ſpecie ad profeſſionem admittatur.

Laici ſcribere aut legere ne diſcant, ſed cum ſimplicitate domeſticis operibus vacent; quæ ita temporibus diſtribuant, vt ad communem orationem cum alijs veniant. Miſſę interſint quotidie. Pro Matutino Orationẽ Dominicam & Salutationem Angelicam quindecies, pro quaqua Hora ter dicant.

## *Cap.* VI. *De Studijs & Scholaſticis.*

NEceſſe eſt clericos, vtpote verbi Dei ſacrorumque miniſtros, omni quidem bonarum litterarum genere, præcipuè verò Theologiæ eruditione eſſe conſpicuos, ne diuina myſteria per imperitos cum ordinis dedecore exerceantur.

Clerici

Clerici dum ſunt Nouitij, poſt ſpiritualium rerum occupationes, humanioribus litteris, ſi neceſſe habeant, diligenter ſtudeant. Ante profeſſionem ſcientijs ne vacent, niſi à P. Generali obtenta licentia.

Nemo ad Logicam vel Philoſophiam audiendam admittatur, niſi qui Latinam linguam calleat. A Logica ad Philoſophiam, à Philoſophia ad Theologiam ne tranſeant, niſi qui à Præpoſito & Vocalibus ſuoque Magiſtro inuenti ſint idonei. Vt ſchola ſit frequentior, deſignentur certæ Domus, ad quas ex alijs ſtudiorum cauſſa demigretur. Tres deputentur anni, quibus Logicæ & Philoſophię operam nauare poſſint: Theologiæ non plures quinque, non pauciores quattuor. Per id totum tempus Lectiones à Magiſtro aſſiduè audiant, illaſque poſteà repetant, ac dubitationes de ea in orbem quotidie proponant.

Singulis hebdomadis habeantur Diſputationes, in quibus vnus Concluſiones propoſitas defendat; vnus & alter argumenta contraria obijciat. Diſputationibus & Repetitionibus huiuſmodi interſint quandoque Præpoſitus & Vocales, quò animum Scholaſticis addant. Ne legendis aliarum ſcientiarum libris diſtrahantur, dentur ſingulis à Præpoſito & Magiſtro libri, quos ſolos poſſint legere. Diebus non feſtiuis detur Scholaſticis profeſſis, ſi videbitur, alternis vicibus remiſſio, ne cum alijs in choro pro diuino Officio recitando conueniant. Si qua de cauſſa Magiſtrum diutiùs abeſſe contigerit, mutuis, quas ille præfinierit, lectionibus ſeſe exerceant, ac ſolitā vacationem habeant. Aduertant Præpoſiti, ne conceſſum Scholaſticis ſtudendi tempus rebus inutilibus aut otio abſumant, néve cùm alij ad Matutinas preces perſoluendas ſurrexerint, illi in cellulis dormiant; ſed primum omnium eſt curandum, ne qui ſtudijs fuerint deſtinati, orationis aſſiduitatem & animi modeſtiam negligant. Verùm ita eruditionem cum pietatis ardore coniungant, vt alterum alteri emolumento eſſe poſſit. Expleto ſtatim ſtudiorum curriculo, aut ſi Magiſtri actu ampliùs non legant, teneantur rurſus Horis omnibus canonicis, vnà cum alijs, intereſſe.

## Cap. VII. De Silentio.

Silentij, quod eſt cuſtos Religionis, ſemper habenda eſt ratio. Seruabitur verò præcipuè à prima nocte, Salutationis Angelicæ ſigno dato, vſque ad Solis ortum: quo quidem tempore aut in cellulis aut in eccleſia, orationi vel ſtudijs quietè & placidè vacandum eſt. In æſtate à prandio, ſigno dato, in cellulam ſe quiſque recipiat: atque donec meridiana meditatio abſoluta fuerit, ſilentium & quietem ſeruent. Hoc toto ſilentij tempore confabulationes, atque adeò colloquia & congreſſus omnes deuitent.

In Choro, in eccleſia, in Sacrario, in communi menſa, in locis communibus, dum ad focum noctu aut ſilentij tempore adſident, dum ad communes labores conueniunt, aut nihil omnino aut ſola verba neceſſaria ſubmiſſa voce loquantur, aut interim lectionem ſpiritualem audiant.

In cellam alterius nemo intret, ne Lectoris quidem, neque Concionatoris, ſine ſpeciali Superioris licentia. Cū ſæcularibus nemo præter Cōfeſſarios, Superioris iniuſſu, loquatur. Si quid inter viam quis fuerit rogatus, aut res ita nata fuerit vt Superior adiri non poſſit, quàm pauciſſimis ſe expediat: deinde rem omnem Præpoſito renuntiet. Cum mulieribus ne Confeſſarij quidem, qui mulierum confeſſionibus non ſunt aſſignati, loquantur ſine licentia; néve quis ſine ipſa externum quempiam in cellam ducat. Veſpere fores obſerentur; claues ad Præpoſitum deferantur, & apud eum maneant totam noctem.

## Cap. VIII. De recipiendis hoſpitio.

CVm noſtrûm aliquis de alia regione aut ciuitate ad noſtram peregrè aduenerit, omnem in eum humanitatis & beneuolentiæ ſignificationem conemur oſtendere. Ante altare ſanctiſſimi Sacramenti primùm ducatur. Cùm ibi pauliſper oratum fuerit, omnes

nes in eius amplexum & pacis oſculum ex animo accedant; ad cellam deinde ducant; itineris veſtes detrahant; quæ ei neceſſaria ſunt tradant; pedes lauent; lautiore cibo recreent; tum per biduum ad cibos communes, alios adiungant. Caueant tamen, ne caritatis ſpecie deſtruant Religionis obſeruantias; ne ſilentium horis locisque congruentibus violent; ne de abſentibus detrahant; ne poſt primum diem in cellam ipſius ingrediantur. Is verò poſt biduum cibis communibus ſit contentus; in chorum cum alijs conueniat & ſeruet Religionis obſeruantias reliquas.

Itidem ſi quis ierit peregrè, poſt recitatum ante altare maius clericorum Itinerarium, deducatur ad ianuam Domus, & pacis oſculo dato cum beneuolentia dimittatur.

Sæculares Domum ne facilè nec ſine vehementi cauſſa & per paucos dies hoſpitio recipiantur: nam ex eo Religionis diſciplina detrimentum capere ſolet. At recipi poterunt Eccleſiaſtici & Religioſi viri, prælertim ſi reſtricto viuant inſtituto. Præpoſitus ſacerdotem modeſtia & grauitate præditum deligat, qui eos comitetur & neceſſaria eis per miniſtrum idoneum ſuppeditanda curet: ceteros cum illis verſari ne ſine cauſſa permittat.

## *Cap. IX. De domo egredientibus.*

CVm erit egrediendum domo, impetrata licentia cum aſſignato ſibi comite, petita fixo in terram genu benedictione, breui oratione facta, & monito Oſtiario, quiſque egrediatur: ambo modeſtiam & motum grauitatem præ ſe ferentes vnà ſemper incedant. Cùm domum redierint, rurſus orent, & benedictionem pari modo petant. Quod ſi quis ex laicis ad negotia familiaria obeunda miſſus fuerit, cetera, vt clerici, ſeruet; ſolus tamen (ſi ita Præpoſito viſum fuerit) egredi poterit.

Ad quæcumque negotia gerenda quis exeat, ea priùs ſuo Superiori nota faciat: quòd ſi quid in via noui inciderit, cùm primùm domum redierit, rem omnem ſuo Superiori aperiat. Abſente Præpoſito nemini domo egrediendi facultas fiat, niſi priùs licentiam à Præpoſito obtinuerit. Quòd ſi neceſſitas aliqua fuerit, egrediatur quidem de licentia eius qui Præpoſiti locum tenet, res tamen tota Præpoſito domum redeunti nota fiat. Nulli ex noſtris liceat in aliam ciuitatem regionemque proficiſci, abſque Præpoſiti Generalis facultate. Si neceſſitas vrgeat, de Præpoſiti & Vocalium & (ſi Viſitationis ſit tempus) de Viſitatorum licentia, ire poterit. Tum res ad P. Generalem deferatur. Licentiam Superioris manu ſubſcriptam & obſignatam ſecum deferat, & ad Superiorem eius Domus, in quam deuenerit, ſtatim legendam tradat. Quòd ſi quis abſque ſui Præpoſiti commẽdatitijs litteris venerit, pro admiſſa culpa puniatur grauiter. Cùm quis ab alia ciuitate ad aliam mittitur, ne permittatur, vt ſolus ſit in itinere, ſed comes aliquis ex noſtris ei adiungatur, aut ſaltem viro aliquo ſæculari probatæ vitæ bene comitatus rectà iter faciat, nec deflectat de via.

## *Cap. X. De honeſta remiſſione animi.*

SAnctorum Patrum auctoritate & exemplis, ac quotidiana experientia docemur, ad regularem diſciplinam tuendam non obeſſe, ſed prodeſſe plurimùm, ſi permittatur quandoque noſtris, vt ab aſſiduis litterarum ſtudijs, ab arctis Religionis obſeruantijs, iucundis interdum (honeſtis tamen) & cum virtute coniunctis remiſſionibus animum recreent. Præpoſiti igitur Domorum permittant hieme, vt à prandio per horam adloquantur: tum ſigno dato ad ſua ſe quiſque opera recipiat. In æſtate poſt cœnam colloquendi licentiam permittant: Salutationis Angelicæ ſigno facto, ſilentium ſeruetur. Semel in hebdomada concedant ſcholaſticis, vt æſtatis tempore ſummo manè extra ciuitatem animi cauſſa deambulent & ad prandium ſe domum recipiant. Hieme paulò poſt prandium exeant; ante Solis occaſum domi ſint: ceteris fratribus hoc idem alternis hebdomadis con-

concedatur. Cùm plures iuniores animi cauſſa foras mittuntur, eos ſacerdos aliquis morum grauitate præditus comitetur.

Semel in menſes ſingulos, bis menſibus proximis ante Aduentus & Quadrageſimæ ieiunium facultas fiat, vt ab hora prandij vſque ad principium noctis in æſtate, vel vſque ad peractam cœnam in hieme, domi animum recreent. Quòd ſi viſum fuerit poſt meridianam horam in æſtate, hieme verò poſt preces Veſpertinas incipere, bis in menſes ſingulos id concedi poterit. Hoc tempus præter id, quod inſumendum eſt pro diuino Officio horis conſuetis in choro recitando (cui etiam ſcholaſtici alioquin immunes interſint) honeſtis oblectationibus, mutuis colloquijs, ſpiritualibus vocum, non autem inſtrumentorum cantilenis, inter ſe iucundè traducant. Extra Refectorium ſimul veſcantur: & poſteaquàm in menſe principio aliquantulum lectum fuerit, ſinat Superior ſilentium ſolui. Semel aut iterum in anno pro ea animi remiſſione, quæ domi concedi ſolet, permitti poterit, vt extra domum in amici alicuius ſuburbana villula cibum ſumant ac totũ diem maneant, abſque tamen ſæcularium præſentia. Aliàs nulli liceat neque domi neque foris ciborum aliquid abſque Superioris ſui ſpeciali licentia ſumere. Neque item ijs indulgentiæ diebus, neque aliquo vnquam tempore audeat quis in hortis noſtris pomum aut fructum aliquem decerpere aut comedere. Ceterùm ſiue foris ſiue domi ſe noſtri recreent, ita ijs rebus oblectentur, vt Religioſos Deoque dicatos ſe eſſe meminerint. Morum grauitatem ſeruent atque modeſtiam; ne vociferentur; ſcurrilia verba ne proferant; dicacitate & manuum licentia prorſus abſtineant. Denique ita ſpirituales exercitationes tantiſper intermittant, vt non diſſoluatur animus, ſed alacrior & vegetior euadat, promptiorque ad labores, ſacrarumque rerum ſtudium.

# CONSTITVTIONVM PARS III.

## *Caput* 1. *Quinam ex Patribus Capitulo Generali debeant intereſſe.*

AD Regularem obſeruantiam tuendam, & ad totius Religionis progreſſum plurimùm conferunt Generalia Capitula, modò ritè & ordine habeantur. Igitur Præpoſiti omnes veniant ad Capitulum Generale. Quòd ſi eorum aliquis fuerit impeditus, ſuo loco mittere poterit, quem voluerit ex Vocalibus in ſua ipſius Domo aſſignatis. Veniant etiam Viſitatores ſinguli etiam Vocales à Patribus ſuæ cuiuſque Domus electi. In qua Domo plures ſunt Vocales, ijs liberũ ſit, quem volent, eligere. Vbi vnus eſt Vocalis, is ne accedat. Electioni Vocalis nec Præpoſitus nec Viſitator ſe immiſceat. Vocalis electio hoc tempore & modo fiat. Secunda die Nouembris, ſi triennio, vt fit, Capitulum erit celebrandum; vel ſtatim ac Conſultores propter P. Generalis obitum, vel eius muneris abdicationem, vel quauis alia ratione Capitulum Generale per literas indixerint, Præpoſitus cuiuſq; Domus vocabit omnes Vocales in ſua ipſius Domo præſentes & aſſignatos, illiſque tempus electionis adeſſe notum faciat: in nulla præterea ſe re immiſceat. Vocales inter ſe abſque Præpoſito electionem faciant, quam ſi per quinque dies præter primum non perfecerint, nemo electus aut ampliùs eligendus intelligatur.

Patres Conſultores pro Vocali eligendo priùs eum ceteris S. Silueſtri Patribus Vocalibus conueniant, & vnà cum illis actiuam & paſſiuam habeant, ac more ceterorum ſuam electionem faciant. Si Vocalis electus ex Conſultorum fuerit numero, nulla præterea fiat electio; ſin ſecus, rurſus Conſultores inter ſe alium ex ſuo ipſorum numero eligere poterunt. Ad Vocalem in ſingulis Domibus eligendum conueniant Vocales ceteri, ac nemo ſe excuſet.

Nulla electio in Congregatione noſtra per Procuratorem fiat. Excipimus Præpoſitum, qui ad Capitulum ſuo nomine mittere aliquem poterit ex Vocalibus in ſua ipſius



Digitized by Google

Domo aſſignatis,vt paulò antè dictum eſt.In nulla vnquā electione poſſit quis accedere ad ſeipſum, augendo numerū, & electiorem perficiendo;niſi priùs omnes & ſinguli Electores id fieri conſentiant. Nemo alba ſchedula in aliqua electione vti poſſit. Quæ ſi fortè reperiatur aliquando à Scrutatoribus, ſi quidem maior numerus in aliquem conſenſerit, bona erit eius electio: ſin ſecus,rurſus ad aures Scrutatorum ſinguli ſuffragium voce proferant.

Qui aliquem nominare nolit,de Electorum moueatur numero,& ad reliquos electio pertineat. Cùm primùm in ſingulis Domibus Vocalis electio facta fuerit, ceteris publicetur fratribus; tum alijs Domibus per litteras ſignificetur.

Si Vocalis aut Conſultor electus poſteà moriatur, aut graui morbo, legitimóve impedimento detineatur, alius in eius locum eligatur ab eiſdem Electoribus, eodem ſeruato ordine & temporis ſpatio.

A Dominica in Septuageſima, ſi Paſchali tempore Capitulum celebretur, vel ſtatim atque Vocales ſinguli per Domos fuerint electi,ſi alio quouis tempore, propter P. Generális mortem aut eius muneris abdicationem habeatur; vſque dum Capitulum ſit, quiſque noſtrûm ſcribere poſſit cuilibet ex Patribus, qui Capitulo ſunt interfuturi,ac ſuis Prępoſitis litteras non oſtendere: ij verò reſpondere etiam poſſint, inſcio Præpoſito. Idem de Viſitatoribus, dum munus ſuum exequuntur, ac etiam per menſem, poſtquam Viſitationem abſoluerint.

Ad ciuitatem in qua Capitulum Generale habetur, ne veniant Patres aut Prædicatores, quibus iure Capitulo intereſſe non competit,niſi eidem ciuitati ſint aſſignati, & non ampliùs quinquaginta paſſuum millibus diſtent,

## *Cap. 11. De modo, loco & tempore celebrandi Capitulum Generale.*

TErtio quoque anno, & quotieſcumque P. Generalem mori, vel quauis alia ratione munus eius contingat deficere, Capitulum Generale Romæ in Domo S.Silueſtri in monte Quirinali celebretur. Dies conſtituta pro eo incohando eſt feria quinta hebdomadæ ſecundæ poſt feſtum ſanctiſſimi Paſchatis, ſi tertio vertente anno fiat: vel quam ſenior Conſultorum ſuique collegæ præſcripſerint, ſi mors P. Generalis aut eius muneris acciderit abdicatio. Qui ex Patribus poſt cœptum Capitulum venerit, ingrediatur quidem cum alijs, firma tamen ſint quæcumque in eam diem fuerint ſancita.

Modus habendi Capitulum Generale hic erit. Pridie quàm Capitulum incohetur, P. Generalis, vel ſi is quauis ratione Capitulo non interſit, ſenior ex Præpoſitis vnà reliquos Capituli Patres conuocet, eiſque ſignificet poſtera die incohandum eſſe Capitulum, neque longiùs differri poſſe. Quare ſe quiſque animi puritate diligenter præparet. Die conſtituta,manè omnes vnà Patres, ij præcipuè qui Capitulum ſunt ingreſſuri, Miſſam Spiritus ſancti ſolemnem celebrent: idem fiat in eccleſijs omnibus noſtri Ordinis. Quotidie etiam, donec Capitulum habebitur,tum in Domo S.Silueſtri,tum etiam in ſingulis alijs recitetur hymnus Spiritus ſancti cum Verſiculis & Orationibus deſignatis: vt Deus ea Patribus ſuggerat, quæ in ſuam gloriam & religionis vtilitatem vertant. Poſt orationem meridianam P. Generalis, vel antiquior Præpoſitus ad locum deſignatum conuocabit Patres Capitulum ingreſſuros; ac Spiritus ſancti hymno cum Verſiculo & Orationibus, vt moris eſt, deuotè & genibus flexis (quod ſemper ſeruandum eſt quoties pro qualibet re deliberanda vnà conuenerint) recitatis,antequàm alia pertractentur, ſimpliciter & ſola rei veritate inſpecta, ſoluant dubitationes, ſi quæ ortæ fuerint,an quis iure Capitulo debeat intereſſe cum alijs. Primùm admittantur omnes cum proteſtatione: deinde ſinguli, cùm res ſua agitur, foras exeant. Qui compertus fuerit iure Capitulo Generali adeſſe non poſſe, admitti à maiori parte non poterit, niſi omnes & ſinguli Patres Capitulum iure ingreſſuri conſentiant,& nemo omninò diſſentiat. Statim poſt Pręſes & Secretarius per ſecreta ſuffragia eligantur.

Qui

Qui tunc eſt Generalis, & qui præſes Capitulo proximè præterito fuerit, Præſes ne eligatur.

Secretario curę ſit litteras vndique ad Capitulum ſcriptas recipere, ac ſuo loco & tempore, Præſidis primùm, deinde P. Generalis iuſſu, vel coram omnibus legere, vel rerum proferre capita, & reſpondere ſingulis ſuo tempore.

Geſta quoque omnia & Decreta per Capitulum facta diligenter & accuratè perſcribere, atque exemplar omnium, antequàm Capitulum diſſoluatur, ſigno publico obſignatum & ſingulorum Patrum manu ſubſcriptum relinquere.

Cùm Præſes creatus fuerit, in primo collocetur loco. Tum P. Generalis genibus ante eum flexis munere ſe ſuo abdicet. Congregationis ſigilla ſtatim, ſcripturas quamprimùm poterit, tradat. Negligentiæ culpas in munere obeundo admiſſas fateatur. Quam correctionem ei Capitulum imperauerit, ſpondeat ſe libenter ſuſcepturum. Annuat Pręſes, eiuſque abdicationem accipiat. Is verò non iam in profeſſionis ſuæ loco, ſed proximè infra Præſidem ſedeat. Tum ſinguli Præpoſiti, onere ſuo quiſque in Præſidis manibus depoſito & culparum (vt moris eſt) venia petita, ad profeſſionis ſuæ locum reuertantur. Præpoſitus Generalis extra Capitulum exeat, quò liberam de ſe omnibus dicendi faciat facultatem.

Deputentur duo vel tres Patres idonei cauſſarum Cognitores: duo item alij, quibus vnà cum Præſide curæ ſit ex ijs rebus, quæ ad Capitulum deferuntur, ea deligere, quæ coram omnibus viſa fuerint proponenda.

Præſes priuſquam ad Præpoſitum Generalem reficiendum vel de nouo creandum deueniat, de ſacerdotibus in Vocalium numerum cooptandis agat. Poterit etiam proponere & pertractare, quæ ſibi ad Congregationis progreſſum vtilia vel neceſſaria viſa fuerint. Deinde Generalis ſic eligatur.

Præſes habito breui ſermone ad rem, de qua agitur, accõmodato, & recepta ab eo, qui primum locum poſt ſe obtinet, abſolutione, det ipſe ceteris omnibus abſolutionem generalem à cenſuris omnibus ad hunc canonicæ electionis effectum.

Tum ad orationem mentalem omnes genu flectant, Deum exorantes, vt in re tam graui ſuam illis voluntatem aperiat. Hymnum Spiritus ſancti cum Verſiculis & Orationibus deuotè dicant. Sigillatim poſteà quiſque, profeſſionis ſeruato ordine, complicatam ſchedulam, in qua nomen eius, quem eligent, ſcriptum ſit, in vrnam ſupra menſam in medio collocatam inijciat, & ad ſuum locum redeat. Duo vel tres probi & fidi fratres ex ijs qui Capitulo non interſunt conuocentur. Eis graui pœna impoſita prohibeatur, ne quid eorum, quæ in Capitulo fiunt, alijs quoquo pacto dicant. Tum per Præſidem quid faciant edocti, vrnã aperiant, ſchedulas effundãt, numerent, explicent, ſubmiſſa voce legant. Si maior pars in cuiuſquam electionem conſentiat, iubente Præſide, clara voce electionem eſſe factam dicant: tum quiſnam ille ſit publicent. Sin ſecus, ſchedulas reuoluant: deinde ſinguli ſuo prænotatam ſigno reſumant & rurſum in vrnam reponant ſchedulas: atque eadem, quæ ſuperiùs dicta ſunt, iterum ac ſæpiùs repetant, donec maior ſuffragiorum pars in aliquem conueniat. Simul atque P. Generalis eſt electus, omnes ſigno dato ad eccleſiam, tum ad deſignatũ locum vnà ſe recipiant, & P. Generalis electio coram omnibus publicetur. Duo Patres, qui poſt Generalem ſunt proximè, ad ſellam in medio poſitam Generalem deducant. Te Deum laudamus, cum Verſiculis & Orationibus dicant. Singuli ordine, ante eum genua flectant, manum oſculentur, obedientiam ac reuerentiam polliceantur. Qui Præſes fuerat, ad profeſſionis ſuæ locum ſtatim reuertatur. Qui fuerat Generalis, ſedeat vt antè Pręſidi, ita nunc P. Generali proximus, vel exaduerſum ei ad læuam, nec ad locum profeſſionis redeat, niſi poſt dimiſſum Capitulum. P. Generalis electus ſi non adſit, ad eum vocandum mittatur. Interim Præſes & Patres proſequantur Capitulum. Si autem P. Generalis adſit, vnà cum Patribus Capituli pertractabit quæcumque ei ad communem vtilitatem pertinere viſa fuerint. Si qua res, de qua in Conſtitutionibus fit mentio, proponatur, Conſtitutionum verba à Secretario coram omnibus legantur. Pater Generalis primus rem proponat, primus ſententiam dicat,

deinde

deinde reliqui omnes profeſſionis ordine ſubſequantur. Dei cultum & gloriam, totius Ordinis vtilitatem atque progreſſum priuatis cõmodis anteponant. Patres in Capitulo generali congregati Conſtitutiones & Decreta per vniuerſam Congregationem ſeruanda facere poterunt. Eligant deinde per ſecreta ſuffragia quattuor P. Generalis Conſultores: tum etiam ex ijs, qui Capitulo interſunt, octo Definitores; de quorum ſingulis ſuo loco dicetur.

Cùm iam Præpoſiti & Viſitatores à P. Generali & Definitoribus fuerint creati, & definita omnia, Patres Capituli vnà omnes ſigno dato conueniant. P. Generalis ſermonem breuem habeat: Præpoſitorũ & Viſitatorum nomina pronuntiari iubeat. Tandem recitatis de more Pſalmis, Verſiculis & Orationibus, Capitulum dimittat.

Quidquid in Capitulis generalibus à maiori parte ſancitur, id ratum & firmum apud omnes per vniuerſam Congregationem habeatur. Quare poſteà nemo eorum, qui Capitulo interfuit, contrà ſenſiſſe aut diſputaſſe dicat; nec qui abfuit, contradicere aut repugnare vllo pacto audeat. Qui ſecus fecerit, puniatur grauiter. Quæcumque item vel à toto Capitulo, vel à ſolis Definitoribus, vel à Conſultoribus, vel à Vocalibus in priuata aliqua domo pertractantur, præſertim ſi prolata pacem violare poſſe videantur, ſedulò celentur: ac ne illa quidem, quæ paulò pòſt publicanda ſunt, ante tempus indicentur: neue quis cui aduerſatus, cui ſuffragatus ſit, ſignificet. Qui contrà fecerit, itidem grauiter puniatur.

Si probetur, quempiam per ſe vel per interpoſitas perſonas quærere, vt Generalis Præpoſitus ipſe eligatur, de Capitulo ſtatim, ne cum alijs interſit, moueatur, & per decennium actiuo & paſſiuo ſuffragio careat: neque vllo pacto pœna ei per hoc tempus remitti poterit.

Præpoſiti, Viſitatores, aut ſi quibus alijs Patribus delictorum cognitio commiſſa ſit, ij cùm primùm ſuum abſoluerint munus, rem totam & ſcripta omnia contra quoſcumque acta fuerint, ad P. Generalem & PP. Definitores referant, nec apud ſe quiſpiam aliquid retineat: tum in Generali Capitulo decernatur, quænam ſeruanda ſint. Reliqua igni tradantur.

## *Cap. III. De Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis.*

SAcerdotes in Vocalium numerum adſcribere ad ſolum ſpectat Generale Capitulum. Ad id muneris ij deligantur, qui eruditione, prudentia, vitæ integritate polleant, qui alijs exemplo eſſe, Religionis obſeruantias tueri, atque adeò augere valeant. Meminerint autem omnes, peccati adſtringi vinculo eum, qui odio, amore aut priuato commodo ductus aut non idoneum eligit, aut idoneum prætermittit. Antequàm de hac electione agatur, Patres à Deo diuinum lumen expoſcant: tum quò liberiore animo ſuam quiſque ſententiam proferat, iureiurando arctiſſimo ſe omnes, & quiſque ſingillatim adſtringat perpetuo ſilentio ſeruaturum, quæ de huiuſmodi negotio vel mutuo inter ſe collocutos, vel à collegis audiuiſſe contigerit: ita vt nullo vmquam tempore & nulla ratione poſſit quis dicere, nec de quouis alio collegarum, nec ipſemet de ſeipſo cui refragatus aut ſuffragatus fuerit. Diligenter deinde inquirant ſingulorum merita. Et primùm quidem Viſitatores de ſacerdotibus ſuæ quiſque Prouinciæ; tum Vocales electi à Domibus vbi illi adſunt: tum ceteri omnes, ſuam quiſque ſententiam palàm abſque vlla animi perturbatione dicant ingenuè. Deinde per ſecreta ſuffragia ſingillatim cuiuſque, de quo tractari debet, ritè & ordine agitetur electio. Quibus à profeſſione duodecim anni elapſi ſunt, à maiori parte Capituli ad ſuffragia ferenda admitti poterunt, ſi eorum qualitates reliquæ reſpondeant. Ante id tempus nulli ea facultas concedatur, niſi ob præcipuam viri alicuius eruditionem, aliaſque inſignes virtutes, atque ætatis maturitatem id concedendum viſum fuerit; modò in ea re duæ partes Vocalium ex tribus eorum qui

Capi-

Digitized by Google

Capitulo interſunt,conſentiant, & ſex anni poſt profeſſionem elapſi ſint. Qui nondum ſunt Confeſſarij, qui communia Congregationis onera ferre nequeunt (vt ſunt, diu noctuque chorum frequentare,communi menſa victitare,& ſi qua horum ſunt ſimilia)eligi non poterunt. Qui ex legitimo matrimonio nati non fuerint, quamuis alioqui idonei,ius tamen ferendi ſuffragij, actiuæ tantùm vocis primò, poſt aliquot verò annos (ſi viſum fuerit) paſſiuæ concedi poterit. Quòd ſi eiſdem ſimpliciter & ſine additione aliqua huiuſmodi ius à Generali Capitulo conceſſum ſit, actiuæ tantùm vocis conceſſum fuiſſe intelligatur.

Vbi primùm quis ad ſuffragia ferenda admiſſus fuerit, ius quidem conueniendi vnà cum ceteris Vocalibus eius Domus, in qua eſt aſſignatus, habeat; ſuffragium tamen atque ſententiam ſuam ne priùs dicat,quàm à loci Præpoſito & Vocalibus facultas ei facta ſit. Quæ in quartum à dimiſſione Capituli menſem,& ſecundum, poſteaquàm Vocales fuerint publicati,differatur.

## *Cap.* IV. *De Definitoribus.*

PAter Generalis & Definitores à Capitulo electi iuriſiurandi vinculo ſe primùm obſtringant,nullo ſe vnquam tempore dicturos, quæ in Definitorio dixiſſe, vel à collegis audiuiſſe contigerit, quæ prolata pacem turbare vel quoquo pacto minuere poſſe videantur. Tum diligentiſſimè perquirant, quinam ex Vocalibus totius Congregationis ad alios regendos ſint apti. Per ſecreta deinde ſuffragia eligant Præpoſitos ſingularum Domorum,& Viſitatores binos in Prouincias ſingulas. Hi creentur in annum: reficiantur autem, ſi P. Generali & Conſultoribus viſum fuerit, vſque ad annum tertium. Qui Præpoſiti munere tres continuos annos vel in eadem Domo, vel in eadem ciuitate in diuerſis Domibus functus eſt, is nec in eadem rurſus Domo, nec in eadem ciuitate Præpoſitus creari poterit,niſi poſt tres alios annos elapſos.At alibi in alijs Domibus poterit is idem eligi Præpoſitus,modò in ſingulis Domibus triennium non excedat.Qui inter ſe ſunt primo vel ſecundo gradu conſanguinei,alius alij nullo interiecto anno ne ſuccedat. Qui ex Vocalibus non poſſunt ſubire onera communia Religionis, vtpote chori & communis menſæ, Præpoſiti & Viſitatores ne eligantur. Conſultoribus ne Viſitatoris munus imponatur. Præpoſiti itidem Viſitatores ne fiant. Si quis Viſitatoris munus per tres continuos annos iam obiuit, iterum ad eamdem Prouinciam creari ante tres alios annos non poſſit.

Præpoſitus S.Siluestri Romæ, cùm ſit Præpoſitus Generalis, ac totius Religionis caput, à toto Capitulo (vt dictum eſt) eligitur. Ceteri Præpoſiti creantur à P. Generali & Definitoribus,antiquitatis ſeruato ordine, tum Viſitatores bini pro Romana & Neapolitana Prouincia; bini pro Prouincia Galliæ Ciſalpinæ, ceterarumque Domorum. Abſoluta Generalis Capituli Congregatione, ſtatim Definitorum ceſſat auctoritas.

## *Caput* V. *De electione & auctoritate Patrum Conſultorum.*

SIngulis triennijs à Capitulo Generali eligantur quattuor Conſultores, vt ſuprà dictum eſt, qui P. Generali intra triennium præſtò ſint, eique in his, quæ ad regimen Congregationis pertinent, opitulentur. Vnus eorum tantummodò per aliud triennium à Capitulo Generali refici poterit: reliqui tres de nouo creentur.Hi nullum ius habent præcedendi Patres reliquos,ſed in profeſſionis ſuæ loco ſint.Quotannis poſt Paſcha vnà cum P. Generali, perſpectis rebus quas vel in Actis Viſitationis repererint, vel à Viſitatoribus aut aliunde renuntiatæ fuerint,deliberent quis Præpoſitus aut Viſitator reficiendus,quis amouendus à munere,quis in amoti vel demortui locum ſit ſufficiendus. Nam licet tota facultas regendæ Congregationis ſit penes P. Generalem,tamen in huiuſmodi

 rebus

rebus exequendis & in Conſtitutionibus pro re graui declarandis, ſi quæ fortè dubitationes oriantur, ac in pœnis grauioribus imponendis Conſultorũ conſenſus adhibeatur.

Si dum P. Generalis autumnali tempore, vt fit, vnà cum conſuetis Prouinciæ Viſitatoribus, Domum quampiam extra Vrbem viſitauerint, res grauis aut conſultatione digna pro ipſamet Viſitatione, aut pro quouis alio negotio nata fuerit, expectare oportebit tantiſper, dum Romam reuerſus cum ſuis Conſultoribus deliberet. At ſi celeritate opus ſit, & res differri minimè poſſit, de conſenſu PP. Viſitatorum, qui Conſultorum eo caſu loco ſint, rem totam expediet.

Si Conſultorum aliquem diem ſuum obire, vel munus quauis ratione contingat deponere, P. Generalis conuocet, præter Conſultores reliquos, Præpoſitum S. Andreæ & Viceprępoſitum S. Silueſtri, & vnà cum illis per ſecreta ſuffragia de cõſenſu maioris partis in demortui vel abdicati Conſultoris locum ſufficiat alterum. Quòd ſi Conſultoris defectus intra tres menſes ante Capitulum accidat, Conſultoris ne fiat electio, niſi fortè quis Præpoſitus intra illos menſes creandus ſit. Tunc enim ſtatim Conſultor eligatur; deinde qui ſufficiendus ſit, Præpoſitus creetur.

Si Conſultor ad Generale Capitulum electus intra dictos tres menſes ante Capitulum moriatur (ſi quidem non ſit creandus aliquis Præpoſitus) Conſultoris electio ne fiat: ſed reliqui Conſultores, quinam ex eis Capitulum ingrediatur, eligere poterunt, modò ne Capitulum poſt meridianam orationem cœptum ſit.

Si ad aliud domicilium alicubi collocandum euocabimur, P. Generalis rem omnibus Præpoſitis & Vocalibus impertiat: hi re maturè conſiderata, quid ſibi viſum fuerit reſcribant. Acceptis litteris, P. Generalis conuocet Conſultores ac Præpoſitos, qui vel ibi præſto fuerint, vel longiùs non abfuerint quàm quinquaginta millibus paſſuum: tum de ſententia maioris partis locum aut recipiat aut reſpuat. Iidem fiat ſi qua Domus intra triennium, poſtquam recepta in Congregationem fuerit, erit repudianda: nam expleto triennio Capitulum expectabitur.

Per P. Generalis obitum, aut eius muneris abdicationem, Vicepræpoſiti S. Silueſtri ceſſat auctoritas, iſque in profeſſionis ſuæ locum ſtatim redit. Ex Conſultoribus profeſſione ſenior Patris Generalis vicem obtineat. Primus omnium Domi ſuæ ſedeat, ſed non in Generalis loco. Si P. Generalem diem ſuum obire, aut quauis alia ratione ſedem eius vacare contingat, Patres cuiuſque Domus publicis ſtatim litteris faciat certiores. Capitulum, die cum collegis conſtituta, quàm primùm conuocet; menſes tamen Iuniũ, Iulium & Auguſtum ob acres calores intermittat. Vocales de domo in domum ne transferat: quòd ſi id fieri neceſſitas coëgerit, fiat poſt electionem Vocalis, qui ad Capitulum veniat. Quæ in Capituli generalis tempus differri poterunt, differat: quæ celeritate opus habent, vnà cum ceteris Conſultoribus deliberet & expediat. Generale Capitulum ingrediendi ius ne habeat, niſi à ſuis Vocalibus vel collegis de more eligatur.

## *Cap. VI. De Cognitoribus cauſſarum.*

EX ijs, qui interſunt Capitulo, duo vel tres Patres eruditi (ſi videbitur) conſtituantur, qui de cauſſis ad Capitulum delatis & controuerſijs ortis cognoſcant. Ij res cognitas, totius Capituli iuſſu, vel apud Definitores vel apud vniuerſum Capitulum narrent paucis. Dimiſſo Capitulo eorum ceſſat auctoritas.

## *Cap. VII. De Præpoſito Generali.*

VNiuerſi Ordinis adminiſtratio Præpoſiti Generalis eſt præcipua. Ei igitur, vtpote qui noſtræ Congregationis caput & pater eſt, promptè obediant omnes, ſcilicet
Heb.13. Apoſtolorum verbi memores; *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Is verò (vt idem Apoſtolus ſubdit) peruigilet, quaſi rationem pro animabus ſubditorum redditurus. Quocirca ſummo ſtudio & fide in rebus ſpiritualibus & temporalibus Congregatio-

nis

nis regimen gerat: & iuxta Conſtitutiones à Capitulo factas, aut pro tempore faciendas, illam regendi habeat facultatem.

Præpoſitus Generalis creatur à Capitulo per triennium: reficitur autem ab eodem, ſi viſum fuerit, vſque ad aliud triennium. Eius non ceſſat auctoritas ſtatim vt triennium eſt elapſum, ſed durat ad Capituli tempus, videlicet donec in eo munus ſuum depoſuerit. Idemque Generalis creari minimè poterit, etiamſi triennium tantùm Generalis munere functus ſit, niſi poſt ſex lapſos annos: qui ipſe tamen ad quæcumque alia Religionis obeunda munera idoneus cenſeri poterit.

P. Generalis, neque etiam de Conſultorum ſententia, nouas Leges aut Conſtitutiones edere aut editas abrogare, ſiue in parte aliqua immutare poterit: id enim ad Generale Capitulum ſolum ſpectat. Interpretari tamen ex Conſultorum conſenſu poterit. Suffragium eius ſimplex ſit: at ſi ſententiarũ inter ſe pugnantium par ſit numerus, eius ſuffragium duplex erit. Cùm transferendi erunt de Domo in Domũ fratres laici, clerici ſacerdotes, aut Vocales, ſolus Præpoſitus generalis abſque Conſultorum conſenſione, ſed ijs tamen in conſilium adhibitis, transferre poterit: priùs verò (ſi commodè fieri poteſt) certiores faciat Præpoſitos earum Domorum ad quas & ex quibus ſunt tranferendi. Anno autem ante Capitulum proximo, niſi conſentiant Conſultores, Vocales ne transferat. Poteſt ſolus P. Generalis concedere facultatem clericis, vt ad ſacros Ordines promoueantur; ſacerdotibus, vt confeſſiones ſæcularium virorum ac mulierũ audiant: Scholaſticis item, vt publicè concionentur: ſeruatis tamen ijs quæ de Concionatoribus & de ſacerdotibus ad confeſſiones admittendis ſuperiùs dicta ſunt. Poteſt item ſolus quem voluerit ex Patribus, etiam ex Conſultoribus, creare Vicepræpoſitum S. Silueſtri, eiuſque auctoritatem augere vel minuere, & ad nutum dimouere. Is verò Vicepræpoſitus ante quidem Vocales ceteros, ſed poſt Præpoſitos quoſcumque aliarum Domorum, & poſt Viſitatores (Viſitationis tempore) ſedeat.

Etſi plurima ſunt, in quibus diſponendis P. Generalis Conſultorum conſenſum habere non cogitur; in iſtis tamen eorum conſilium ſtudeat adhibere, videlicet in diſtribuendis Concionatoribus, in transferendis de loco ad locum Vocalibus, ac denique in rebus omnibus quæ conſultatione aliqua indigere videbuntur.

Meminerit P. Generalis ſubditos exemplo magis quàm verbo docere. Dum integra eſt corporis valetudine, regularem diſciplinam, communeſque labores, quoad eius fieri poterit, vnà cum ceteris ſubeat; ad communem menſam aſſiduè ſe conferat; communi victu & veſtitu ſit contentus; vnam aut ad ſummum duas habeat cellas, eaſque nullo ornamento decoratas; Lectum ſine conopæo, ſupellectilem ſine apparatu, ſed ad formam communem. Ob negotia tamen plurima, quibus ferè ſemper eſt occupatus, laicũ habere poterit vnum, qui vbi ei opus fuerit adminiſtret. Si qua de cauſſa (quod Deus prohibeat) amouendus erit P. Generalis à munere, Conſultores rem maturè perpendant, nec niſi grauiſſimis rationibus moueantur: tum de conſenſu maioris partis eorum, Capitulum generale Romam vel aliò conuocent. Ibi cauſſa probè cognita, P. Generalis deponi, & alius in eius locum eligi poterit. Cauſſæ autem, ob quas eſſet amouendus, hæ ſunt: Crimen hæreſis, carnis incontinentia, bonorum Congregationis diſſipatio, ſiue ea in ſuum, ſiue in aliorum conuertat commodum: ſi regularis diſciplinæ & rerum gerendarum ita ſocors ſit ac negligens, vt deſtructio noſtræ Religionis aut diſſolutio timeatur: ſi Conſtitutiones in rebus grauibus non ſeruet, nec curet ab alijs ſeruandas: ſi eas ſpernat ac reijciat: denique ſi quod crimen commiſerit, quod vel per Leges ciuiles pœna capitis, vel iuxta ſacros Canones depoſitione puniatur.

## *Cap.* VIII. *De Viſitatoribus.*

VIſitatores bini pro ſingulis Prouincijs à Præpoſito Generali & Definitoribus in Congregatione generali per annum eligantur. Deinde ſingulis annis intra triennium à P. Generali, & à Conſultoribus refici poterunt: vt ſuperius dictum eſt. Ij non in

eadem, ſed in diuerſis ſuæ Prouinciæ ciuitatibus & Domibus habitent. Conſultoribus & Præpoſitis nullo pacto Viſitationis munus imponatur. Poſt eaquàm ſe æſtatis calores remiſerint, ſingulis annis Viſitatores bini ſuam Prouinciam viſitent. In obeundo munere parem auctoritatem habeant, nec ſine altero alter quidquam facere poſſit: in exequendis tamen rebus profeſſione ſenior præcedat, cui eidem ſit curæ in itinere pecuniam ferre, & impenſas facere.

Si viſitanda ſit Domus eius Præpoſiti, qui alteri ex Viſitatoribus in primo vel ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctus ſit, alter Viſitator ſocium ex Vocalibus eiuſdem Domus ſibi adiungat. Idem faciendum eſt, ſi Viſitatorem alterum de altero aliquid cognoſcere oporteat. Si quis noſtrûm ad alterum tantummodò ex Viſitatoribus quippiam deferre voluerit, is ſua manu ſubſcribat.

Cùm primùm ad Domũ viſitandam peruenerint, munus ſuum aggrediantur, ac quàm citiſſimè poterunt ſe expediant. Vnà omnes ad locum deſignatum conuocent, ſermonem breuem de rebus ad Viſitationem ſpectantibus habeant: cunctos moneant, vt quæ correctione indigẽt, liberè ſibi aperiant; néue odio aut amore ducti quæ dicenda ſunt taceant: aut è contrà emendata iam, ſiue quæ caritatem violare poſſint, ea ipſi proferant. Tum Viſitationem aggrediantur à rebus diuinis, ſi commodè fieri poterit. Eant viſum quà diligentia aſſeruetur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Oleum infirmorum & Sanctorum reliquiæ: quàm nitidè & decorè curentur ſacra vaſa, ſacerdotum veſtes, & quæ ad Eccleſiaſticam pertinent ſupellectilem. Deinde ſingulos in ſenioris Viſitatoris cellam per miniſtrum idoneum ordine conuocent: prudenter & vt res poſtulat, ſciſcitentur, an Prępoſitus, Patres & ceteri diu noctéque Horis canonicis frequentes interſint; an pax & concordia cuſtodiatur; an ſilentium horis locíſque congruentibus ſeruetur; an Nouitij & Profeſſi adoleſcentiores in Dei timore, maiorumq́ue reuerentia educentur; an Scholaſtici bonis litteris erudiantur; an tempus rebus vtilibus, vt par eſt, inſumatur; an noſtrę Conſuetudines ab vnoquoque ſeruentur. Viſitent etiam ſingulorum cellas; ne quid fortè vſquam ſit ab inſtituto noſtro alienum; tum communes domos, officinas, & ſupellectilem. De ratione demum accepti & expenſi accuratè cognoſcant: vbi cognouerint, ſi videbitur ſubſcribant. Toto Viſitationis tempore cuique noſtrûm liceat peccata confiteri vtri placuerit ex Viſitatoribus, abſque Præpoſiti licentia. Viſitatores poſt biduum quàm aduenerint, communi victu vtantur. Nulla recipiant munera neque à noſtris, neque à noſtrûm conſanguineis, ipſorum opera procurata. Impenſæ verò itinerum à ſingulis ſuæ Prouinciæ Domibus, iuxta præſcriptum, eis tribuantur. Anteaquàm vltimam Viſitationi manum imponant, de ijs rebus, quæ occulta correctione indigent, aut Præpoſitum loci, aut ipſoſmet qui culpa tenentur, admoneant. Tum palàm apud omnes ſermunculum habeant: vbi quæ videbitur, vniuersè probent aut improbent. Quæ leuiora ſunt, per ſeipſos corrigant, nullaḿque de rebus leuibus ſiue apud P. Generalem, ſiue in Generali Capitulo faciant mentionem. Si quid graue (quod Deus auertat) comperetint, & remedium ſtatim adhibendum eſſe viſum fuerit, ſuum munus ſine mora exequantur: rem tamen (ſi videbitur) aut cum Vocalibus loci, aut ſaltem cum Prępoſito, prout res poſtulauerit, communicent, pòſt ad P. Generalem omnia ſcribant aut referant. Quæ notatu digna viſa fuerint, manu vtriuſque Viſitatoris ſubſcripta habeantur. De Domibus, quas viſitauerint, narrent benè: errata & incommoda reticeant.

Pater Generalis triennio ſemel, ſi ei videbitur, vel Congregationem totam ſimul, vel partes ſeorſum viſitet. Id ſi poſt calores æſtiuos fecerit, cum Viſitatoribus faciat vnà: ſin alio tempore, integrum ei erit velítne alio quolibet adſcito ſocio, an ipſe ſolus rem omnem exequi. Nec tamen Viſitatores à Capitulo conſtituti ſuum officium ſuo tempore intermittant. Atque hos ſolos Viſitationis iure Capitulo intereſſe oportebit; illos alios adſcitos nequaquam.

Cap.

Digitized by Google

## Cap. IX. De Præpoſito & Vocalibus cuiuſque Domus.

SVo quiſque Præpoſito promptè, vt par eſt, obediat: P. verò Præpoſitus, vt omnibus ſe præbeat exemplum diſciplinæ, ad chorum & ad communem menſam aſſiduè pro virili conueniat. Silentium horis lociſque congruentibus ſeruet; labores communes vnà cum alijs ſubeat; Religionis obſeruantias diligentiſſimè colat; & ſi intereà eum prædicare contingat, Domum nihilominùs curet præcipuè; atque in choro & in communi menſa interſit. Ad alias ciuitates in Quadrageſima tantùm, nec niſi de cauſſa graui & de P. Generalis licentia, proficiſcatur. Poſt Præpoſitos, vnuſquiſque reuerentiã præſtet atque obediat Vicarijs, tum ſenioribus, demum fratribus ſingulis inter ſe tamquam caritatis vinculo colligatis ſuus cuique honor mutuus habeatur: ita tamen, vt iuxta Apoſtoli ſententiam, *omnia ſecundùm ordinem fiant*: neque aliquis Superioris, ſiue alterius officij dignitatem, aut iubendi auctoritatem ſibi quoquo pacto vendicet. Nemo quamuis profeſſus & ſacris initiatus Vocem habet, neque ad ferendum ſuffragium poterit conuenire, niſi ij tantùm ſacerdotes, qui ad id in Capitulo generali ſunt admiſſi. De qua re Nouitij, antequàm Religionis induantur habitu, publicè ſunt præmonendi. Licet nullum ius Vocalibus tribuatur antecedendi alios ſacerdotes ſeniores, ſed profeſſionis ordo vbique ſeruandus ſit; abſente tamen Præpoſito, iura Præpoſiti, & quæ ad regimen ſpectant, Vocales tantùm exerceant; ſacerdotes verò reliqui, abſentibus Vocalibus. 1. Cor. 14.

Qui voce caret paſſiua, eligi non poteſt Generalis, Præſes, Præpoſitus, Viſitator, Vicarius, Conſultor, neque vt ad Generale Capitulum veniat. Abſente tamen Pręposito & Vicario, in rebus omnibus Pręposſiti vicem gerat. Duo ſaltem Vocales pręter Pręposſitum in vnaquaque Domo à P. Generali aſſignentur; imò plures, ſi ita ei videatur expedire. Vocales in quacumque Domo adſint: ſi in ea aſſignati non fuerint, extranei cenſeantur. Suffragium ibi ferre non poterunt, neque Pręposito abſente, in Choro, Refectorio aut alibi iura Pręposſiti exercere; niſi omnes & ſinguli Vocales loci conſenſerint.

In ſingulis Domibus ſinguli Vicarij eligantur. Si duo domicilia in eadem ſint ciuitate, duo Vicarij debent eligi. Pręposſitus igitur ex ijs ſuę domus Vocalibus, qui actiuam & paſſiuam vocem habent, duos vel tres deſignabit, & ad P. Generalem ſecretò referet; qui etiam ſecretò vnum ex deſignatis eligat. Is tamen Vicarius ad nutum Pręposſiti ſit amouibilis; poſt Præpoſitum & Viſitatores Viſitationis tempore ſedeat; abſente Præpoſito eius vices gerat; dum adeſt, nihil agere aut præcipere, neque in Domus regimine ſe ingerere audeat, niſi ijs quæ Pręposſitus commiſerit. Si Vicarius menſes aliquot Domo abſit, ne cogatur Præpoſitus alium Vicarium eligere. At ſi Vicarium & Præpoſitum abeſſe contingat, priuſquàm abeant, deſignetur Vicarius. Ad Generale Capitulum ne accedat Vicarius, niſi ab alijs Vocalibus electus fuerit. Vicarius S. Marię de Thoro in agro Æquenſi à P. Generali ſolo deſignetur & eligatur. Abſente Pręposito & Vicario, antiquior ex loci Vocalibus, etiamſi actiuam tantùm vocem habeat, eius vices gerat. Abſente Pręposito Vicarius, vel Vicario abſente ſenior qui Pręposſiti vices gerit, ea tantùm exequatur, quę in aduentum Pręposſiti commodè differri non poterunt: caueat autem ne minimum quid agat, quod à Superioris ſui voluntate ſenſerit eſſe alienũ.

Si contingat plures adeſſe Vocales coniunctos inter ſe primo vel ſecundo conſanguinitatis gradu, duo tantùm ex eis, qui antiquiores Vocales fuerint, ſuffragium ferant, tum in Capitulis generalibus, tum etiam in ſingulis Domibus. Sacerdotes Vocalibus loco ſuperiores, etiam ipſi Patres nominentur; ab inferioribus Vocalibus benedictionem ne petant: tamen foras ituri & licentiam petant & comitem, & quò ſint ituri, & quę acturi ſignificent.

Pręposſitus quandoque omnes vnà conuocet: nonnulla, vt res poſtulabit, de quotidianis erratis verba faciat. Idem conſulat Patres Vocales, cùm aliquis eſt in Ordinem noſtrum accipiendus, cùm induendus habitu, cùm admittendus ad profeſſionem, cùm ad Ordines promouendus, cùm ad audiendas confeſſiones exponendus; item ſi quis

ante profeſſionem à Religione dimittendus ; de magnis etiam atque extraordinarijs ſumptibus faciendis ; denique in rebus omnibus grauioribus : cuiuſmodi non ſunt quæ ad victum & vtenſilia pertinent.

Nulla ex noſtris Domibus poſſit ære alieno grauari, etiam de cõſenſu Vocalium ; niſi pro neceſſario victu atque veſtitu & pro neceſſaria fabricæ reſtitutione, vel tamdem pro euidenti vtilitate in re quę differri minimè poſſit, vt puta pro emendis contiguis Domui noſtræ locis. In erogandis autem eleëmoſynis iungatur caritati Chriſtiana prudentia. Præpoſitus plus duos aureos in menſem ne elargiatur, niſi cum Vocalibus rem antè communicet, atque illi aſſentiantur.

Cùm Vocales conuocati aliquid tractant, id fiat quod maior pars Vocalium cenſuerit eſſe faciendum. Præpoſitus quidem liberam Vocalibus dicendi faciat facultatem : ij tamen nec cum Prælato, nec inter ſe immodeſtè, moroſè, pugnaciter ſe gerant. Qui ſecus fecerit, ei pœna Superioris arbitrio imponatur. Quòd ſi interdicendus ei congreſſus & facultas conueniendi cum alijs Vocalibus videatur, res à Præpoſito cum ceteris Vocalibus antè agitata ad Generalem referatur, eiuſque ſententia expectetur. Ne liceat Præpoſito res nouas inducere, aut veteres noſtræ Congregationis conſuetudines immutare. Communes litteras obſignare, & aliundè datas reſignare ac legere ſolus poteſt : poſteà tamen Vocalibus legendas tradere teneatur. Sigillum Congregationis apud ſolum Præpoſitum ſit ; ac nemini liceat litteras huiuſmodi ſigillo non ſignatas alicui mittere. Nemo litteras, munera ſeu quid aliud cuiuſque generis mittere vel recipere audeat, ſine Superioris licentia. Qui ſecus fecerit, Præpoſiti ſui arbitrio puniatur. Ad P. Generalem ſcribere litteras quiſq; poteſt : eas neque Prępoſiti locorum, neque alius vllo pacto legant aut aperiant : exceptis P. Generalis vel ad P. Generalem litteris & ad Viſitatores circa Viſitationis tempus, & ad Vocalem electum. Poſt Septuageſimam poſſint Præpoſiti legere aut aperire quaſcumque alias, quas ſiue Vocales ſiue alij miſerint aut receperint. Abſente Pręposito, nemo ſcribere alicui litteras, aut aliquid alicuius ponderis innouare audeat. Quòd ſi quid horum ſtatim fieri neceſſitas coëgerit, res tota Præpoſito, cùm domum reuerſus fuerit, aperiatur.

Nemo noſtrûm ſuam ſententiam in ſcripto ponat de re quapiam controuerſa : nec ſe cuiuſpiam excepiſſe Confeſſionem, vel eum à cenſuris abſoluiſſe fidem faciat, quin antè & viderit Præpoſitus & probauerit.

Curæ ſit Præpoſito Annalium librum conficere, in quo vt quidque acciderit notatu dignum referat : vtpotè quo quiſque die Religionem ſit ingreſſus, habitum ſuſceperit, profeſſionem emiſerit, ad Ordines & Cõfeſſiones ſit admiſſus : quicquid denique ortum fuerit, quod ad communem Domus vtilitatem pertinere videatur. Librum etiam conficiat accepti & expenſi, vt poſſit rationem reddere quotannis Viſitatoribus, & ſuo tempore Patribus in Capitulo generali congregatis. Etſi verò Præpoſitus accepti & expenſi rationem Vocalibus ſuæ Domus reddere non teneatur, vltrò tamen offerat eis libros Viſitationis tẽpore, & antequàm ad Generale Capitulum proficiſcatur. Præpoſitus, etiamſi iam annus elapſus ſit, in ſua tamen adminiſtratione permaneat, quouſque alius Præpoſiti munus adierit.

Si quis Præpoſitus moriatur, alius ſtatim vel ad ſummum intra tres menſes à P. Generali & Conſultoribus ſufficiatur. Interim Vicarius, vel eo abſente ſenior ex Vocalibus Præpoſiti vices ſuſcipiat, eique omnes obediant & præſtent reuerentiam : is tamen in Præpoſiti loco ne ſedeat, nec item ius habeat veniendi ad Capitulum generale, niſi à ſuis Vocalibus de more eligatur.

## *Cap. x. De ordine & loco cuiuſque inter ſe.*

PRæpoſitus in ſua quiſque Domo primum locum obtineat. Si plures Præpoſiti conueniant, omnes poſt Præpoſitum, ſuo quiſque profeſſionis loco, collocentur. Poſt Præpoſitos Vicarius, tum ceteri ſacerdotes, iuxta profeſſionis ordinem, ſiue ij Voca-

les

Digitized by Google

les ſint ſiue non ſint; tum Clerici profeſſi pro ſuo quiſque ordine; poſt hos Nouitij; tum hoſpites; poſtremò fratres laici locum habeant. Viſitatores cetero quidem anno profeſſionis locum teneant: Viſitationis tamen tempore poſt Præpoſitos collocentur. Licet ij, qui maioribus Ordinibus initiati ſunt, præcedant eos, qui minoribus; his tamen ad eumdem Ordinis gradũ euectis, non amplius Ordinis ſed profeſſionis ratio habeatur: niſi quis ſua culpa & pro pœna ad Ordines non fuerit admiſſus: quod ſpeciatim de vnoquoque erit declarandum.

Qui ſua culpa locũ profeſſionis amiſerint, ijs ſi pœna poſt aliquot annos remiſſa fuerit, in priſtinum profeſſionis locũ reſtitui eſſe ne intelligantur: ſed poſt eos omnes, qui ſuperiores aliquos ordines iuxta conſtitutum à Capitulo tẽpus ſuſceperint, maneant. Eos verò qui ante id tẽpus neceſſitate, aut rationabili cauſſa promoti fuerint, præcedant: niſi iam anteà elapſum ſit tempus à Capitulo & à Conſtitutionibus conſtitutum. FINIS.

# APPENDIX

## Ex Antonij Caraccioli, Ioannis Bap. Caſtaldi, Siluestri Maurolici, Auguſtini Barboſæ, aliorumquè ſcriptis ab AVBERTO MIRÆO concinnata.

## *Caput 1. Origo & inſtitutio Clericorum regularium, quos vulgò Theatinos nuncupant.*

EXortis, auctore Luthero, fœdis illis hæreſibus, quæ Aquilonares pleraſque prouincias ſuperiore ſæculo infecerunt, in media etiam Italia, atque in ipſa Vrbe Roma (vt malum ex malo ſeritur) praui mores indies pullulabant; quibus non ſolùm populi, ſed etiam clerici ac religioſi homines paſſim contaminabãtur: atque adeò qui imperitæ & infirmæ plebi ad virtutem præire debuiſſent, ſuo eam exemplo ad vitia inflectebant. Nonnulli igitur, qui Romæ erant, ſolida probitate viri, vt tantis malis aliqua ratione pro ſua virili parte occurrerent, & labantem Eccleſiaſticum ordinem ad priſtinam vitæ integritatem dignitatemq́ue reuocarent, Leone X. Pontifice, ſodalitium inſigne in ipſa Vrbe fundarunt, eiq́ue à DIVINO AMORE cognomentum nobile impoſuerunt. Primi & præcipui ſodales *Gaſpar Contarenus, Iacobus Sadoletus, Mattheus Gibertus, Ioannes Petrus Carafa, Caietanus Thienæus, Bonifacius à Colle, Paulus Conſiliarius, Aloyſius Lippomanus, Latinus Iuuenalis, Tullius Criſpoldus* & *Iulianus Dathius* memorantur. Acceſſere poſtmodùm, vt fit, complures alij, ad quinquaginta ſcilicet Romanæ aulæ proceres. Tanta eſt in vtramque partem vis exemplorum. Locus, quò ad conciones ſacraſq́ue preces conueniebant, erat ædicula SS. Siluestri & Dorotheæ in regione Tranſtiberina, cuius procuratio ad *Iulianum Dathium* (qui & presbyteris Pœnitentiarijs in Lateranenſi baſilica præerat) eo tempore pertinebat. Quocirca cùm, eius hortatu, probi ij proceres ſtatis diebus illò cõcederent, reuiuiſcere paulatim cœpit priſtinus Chriſtianorum feruor: ab eoq́ue poſtmodum ſodalitio alia, in pleriſque Italiæ vrbibus, eamdem rituum morumq́ue formam ſumpſerunt.

Et verò poſtquam aliquamdiu pijs ſeſe operibus, vnà cum Diuini Amoris ſodalibus, *Caietanus* Romæ, Vicetiæ & alibi exercuiſſet, ampliſſimo patrimonio in pauperes diſtributo, atque opulentis ſacerdotijs quæ poſſidebat abdicatis, de noua Clericorum regularium familia inſtituenda, deq́ue primæua illa atque Apoſtolica communis vitæ ratione inſtauranda ſeriò cogitare cœpit. Excitari ſcilicet oportebat mortalium animos nouo atque Apoſtolico ſpiritu, & clericis, quos ingenti populorum exitio improbitas &

inſcitia

Digitized by Google

inſcitia corrupiſſent, Clericos alios ſuffici, quorum operá damnũ, quod illi prauo exemplo atque ignorantia intuliſſent, ſarciretur. Caietanus igitur ea quæ ſecum diu, Deo incitãte, agitauerat, cum *Bonifacio à Colle* amicè communicat: probat ille & ſe tam præclaro facinori ſocium offert. Hanc rem non multò pòſt olfecit *Ioannes Petrus Carafa*, Epiſcopus tunc Theatinus; qui diu cupiuerat ex mundi fluctibus in portum aliquem emergere. Iunctis itaque animis hi Triumuiri quartum ſibi ſocium adſciſcunt, *Paulum* videlicet *Conſiliarium*, fidum Carafæ amicum, & Ioannis Bap. Conſiliarij Cardinalis fratrem.

1524. Igitur anno redempti orbis 1524. feſto die Crucis inuentæ, à IV. Viris iſtis res cœpta eſt apud Clementem VII. ſedulò agitari, nec ſine contradictione multorum. Ad rationes, quæ in contrarium obijciebantur, diluendas magnum robur attulit *Matthæus Gibertus*, laudatiſſimus Veronæ Epiſcopus, qui apud Clementem gratia, apud Cardinales auctoritate plurimùm valebat. Itaque cùm feſto die Crucis inuentæ, vt dixi, res agi cœpta eſſet, in Crucis itidem exaltatæ ſolemni luce feliciter confecta eſt: vt proinde hęc Clericorum regularium familia, ordine prima & antiquiſſima, non immeritò Crucis inſigne ſibi velut proprium aſſumpſiſſe videatur. Clemens igitur Papa *Ioanni Bap. Bonziano*, Caſertę Epiſcopo & Apoſtolico Datario mandauit, vt Pontificio nomine dictorum IV. Virorum vota ſolemnia exciperet, atque Apoſtolica auctoritate roboraret. Ergò die feſto quem nominaui, ipſi, vnà cum Bonziano, ad Vaticanam S. Petri ędem ſeſe contulerunt; vniuerſo Clero & maxima omnium ordinum multitudine proſequente. Exinde poſt celebratum à Caſertano Antiſtite, ad aram S. Andreę, ſolemne ſacrificium, candidati cęleſti pane refecti, ad altare S. Petri, quod illius baſilicę eſt primarium ac ſacratiſſimum, bini proceſſerunt; ibique Clementis Papę diplomate per Notarium clara voce recitato, primus *Ioannes Petrus*, tum *Caietanus*, deinde alij duo ſolemnia Religionis vota religioſiſſimè nuncuparunt: quorũ formulas à ſingulis ſignatas Bonzianius Pontificis nomine recepit ac probauit. Poſt hæc, quoniam dicto diplomate ipſis concedebatur, vt Præpoſitum ſibi quem vellent eligerent, nonnihil ab adſtantium cœtu ſecedentes, cùm de ea re inter ſe aliquantiſper deliberaſſent, in *Ioannem Petrum* cunctorum ſuffragia conuenerunt. Ipſum igitur iam electum primum Clericorum regularium Præpoſitum Caſertanus Epiſcopus, qua pollebat poteſtate, confirmauit.

His rebus ingenti ipſorum religione atque adſtantium applauſu peractis, abeunt IV. Viri in pauperem domunculam, quam Bonifacius via Leonina ad Campum Martium poſſederat. Eam verò inhabitarunt fermè biennio, in ſumma, & quidem voluntaria, omnium rerum egeſtate: illud ſcilicet Apoſtolicum inſtitutum religioſè ſeruantes, vt nullos cenſus poſſiderent, nihil à quoquam peterent; ſi quid vltrò deferretur, id ſolum cum gratiarum actione reciperent. Quod quidem eximium paupertatis ſtudium hodieque ipſorum poſteri religioſiſſimè ſeruant; eò magis admirandum, quò rarior ea virtus exiſtere ſolet.

1526. Poſtea verò, anno ſcilicet eius ſæculi viceſimo ſexto, è dicta domo Martiana ad aliam
in monte Pincio ſitam Patres migrarunt: quam vſque ad anni proximè ſequentis menſem Iunium incoluerunt; quando ſcilicet clade Borbonia diriùs vexati, Vrbe relicta, ſe-
1527. dem ac domicilium Venetias tranſtulerunt. Et verò licet procul à conſpectu hominum, nempe ad Pinciana Vrbis mœnia receſſiſſent, ægrotis nihilominus in noſocomio, vt pridem cœperant, aſſiduè inſeruire; ijs alijſque noxas ſuas confitentibus aurem præbere; agentibus animam ad vltimum vſque ſpiritum adeſſe; languentes egenoſque verbis ac rebus, quà poterant, ſubleuare; Sacramentorum vſum, qui inſolens ea ætate erat, modis omnibus inſtaurare ſtudebant. Porrò vt eiuſmodi ſalutaria officia præſtare poſſent commodè, auxit illorum numerum Deus: quippè ijs aggregati fuere *Bernardinus Schottus* Sabinus, *Hieronymus Conſiliarius* & *Andreas Verſus* Romani, *Iacobus Iuannius* Hiſpanus, *Thomas Guerrerius* Siculus, *Marcus Paſqualinus* Venetus, *Matthæus Seraualenſis* & *Petrus Laicus* Peruſinus.

Numero ad duodecim iam aucto, dum ſtudijs iſtis magna ſanctitatis opinione incumbunt, ecce Vrbem Cæſareus exercitus, ductore *Borbonio*, occupat ac diripit. Erant in ijs

copijs

copijs non pauci Germani, qui natiuam ferociam hæretica immanitate cumulauerant. Reliquarum gentium cohortes Eccleſiaſtico auro (quod ijs Toloſanum certè extitit) iamdudum inhiabant. Igitur in Vrbem pari furore irrumpentes *Carafam, Caietanum*, eorumque ſocios omnes comprehenderunt, & in diuerſas cuſtodias abripuerunt. Sed extremo demum periculo ereptos Deus ipſe, per medias Vrbis flammas, medioſque hoſtes, quaſi nube tectos ad Oſtia Tiberina perduxit incolumes. Inde, ductore *Auguſtino Amulio*, Venetæ claſſis Præfecto, Venetias nauigarunt; amantiſſimè ab Andrea Gritto illius Reipublicæ tunc Principe, Contarenis, Maurocenis, Venerijs, Beltranis, Bartholinis, alijſque patricijs excepti. Venetijs porrò antequam firmè domicilium figerent, primò ad S. Euphemiæ, mox ad B. Gregorij ædem pauliſper ſubſtiterunt. Hîc verò, dte Crucis exaltatæ, anno eodem congregatus grex puſillus ſibi Præpoſitum elegit *Caietanum*, dignum vtique Carafæ ſucceſſorem. Subſtitit autē Venetijs B. Caietanus annis circiter quinque, & inde cum Ioanne Marinonio Veneto, ſuo ſodale, Neapolim anno 1533. 1533. ſe tranſtulit; euocante illius vrbis Senatu, & Clemente VII. Papa mandante. Numero 1538. hîc mirificè auctis Patribus baſilica *S. Pauli maioris* anno 1538. donata fuit; Petro Toletano Prorege in primis agente.

Sub id tempus *Ioannes Valdeſius, Bernardinus Ochinus* & *Petrus Martyr Vermilius* impia ſua dogmata Neapoli ſpargere cœperant. Caietanus (vt erat perſpicaci ingenio atque eximia vir doctrina) primus ſceleſtas iſtorum Triumuirorū fraudes ac nequitias detexit, moxque de ijs veterem ſuum ſodalem *Ioannem Petrum Carafam*, nuper S.R.E Cardinalem creatum (qui tunc Romæ Paulum IV. Pontificem ad inſtituendum in Vrbe ſupremum Inquiſitionis magiſtratum vrgebat) certiorem fecit; & Neapolitanos interim cùm publicè ex ſuggeſtu (erat enim facundiſſimus eccleſiaſtes) tum priuatim monuit, vt porrò ſibi cauerent. Quo factum eſt, vt patefactis paulatim promiſcuis & pudibundis virorum ac feminarum cœtibus, quos noctu clanculum cogebant, impij homines ſibi ab Vrbe metuentes, alius aliò aufugerent. Ad fugæ iſtius nuntium Carafa Cardinalis, miſſa ad *Ochinum* epiſtola longa ac pereruditа, quà demulcendo, quà increpando, conatus eſt errantem reducere ad veritatem. Sed fruſtrà id fuit: nam paulò pôſt, relicta Italia, ad Heluetios impius apoſtata, vnà cum ſuo Pſeudomartyre, & inde Geneuam transfugit. Caietanus porrò, Marinonius, cotumque ſocij, fugatis iam hoſtibus, magnam apud ciues alioſque illius regni incolas gratiam inierunt: confluebatque ad *S. Pauli* ædem ex præcipua Nobilitate ac plebe innumerabilis multitudo, vt hodieque confluit, ad ſalutaria Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramenta percipienda, & pias de rebus diuinis ſermocinationes audiendas.

## *Cap.* 11. *Elogia breuia B. Caietani, Marinonij, B. Andreæ Auellini, Pauli* IV. *Papæ, Antonij Agellij, & aliorum virorum illuſtrium ex ordine Theatinorum.*

B. CAIETANVS THIENÆVS, Vicetiæ ſub ditione Veneta anno 1480. natus, parente vtroque generis illuſtris, dictus eſt Caietanus, ad memoriam patrui maioris Caietani reuocandam, qui ſummus Philoſophus cùm eſſet, eruditos in naturalem Ariſtotelis Philoſophiam commentarios ſcripſit. Triennio poſt Caietanum natum, hoc eſt, anno 1483. Martinus Lutherus in Saxonia ortus eſt, humani generis pernicies ac peſtis. Diceres Caietanum cælitus præmiſſum, vt Lutherianæ hæreſi in regnum Neapolitanum, operâ Ioannis Valdeſij, Bernardini Ochini & Petri Martyris Vermilij, fraudulenter irrupturæ ſe obijceret, eamque velut in herba opprimeret ac iugularet. Fuit porrò is primus parens ac conditor Clericorum regularium, qui nunc Theatini dicuntur. Romę primùm ad ſe attraxit *Bonifacium à Colle*, dein *Ioannem Petrum Carafam*, Epiſcopum Theatinum, ac demum *Paulum Conſiliarium*. Nec ſuo tantùm ſexui, ſed & femineo Thienęus profuit.

Inter alia procurauit, vt *Maria Longa*, matrona nobiliſſima, cœnobium monialium Capucinarum Neapoli ędificaret, quod nunc S. Marię in Hieruſalem nuncupatur. Ætate demum grauis & caritate ditiſſimus, die 7. menſis Auguſti, 1547. ad Chriſtum migrauit, Neapoli in clauſtro S. Pauli conditus hoc addito elogio:

*B. Caietano Thienao Vicetino, genere & dignitate praſtanti, Apoſtolici ſpiritus viro, miraculis claro, ſincerioris diuini cultus reſtitutori, Clerici regulares Congregationis & huiuſce adis fundatori inclyto PP.*

IOANNES MARINONIVS, origine Bergomenſis, 1490. Venetijs natus, eadē in vrbe Caietano, Carafæ, eorum que ſocijs anno 1528. menſe Decembri ſe adiunxit. Inde 1533. cum eodem Caietano Neapolim profectus eſt, ad nouam ibi Domum ſui inſtituti fundandam. Anno 1556. cùm Carafa ex Archiepiſcopo Neapolitano creatus eſſet Pontifex Maximus, vacantem Archiepiſcopatum ſibi oblatum, ſtupente vniuerſa Italia, vir modeſtiſſimus fortiſſimè recuſauit: hos verſiculos vſurpare ſolitus; *Spernere mundum, Spernere nullum, Spernere ſeſe, Spernere ſperni, quattuor iſta beant*. Fuit diſertiſſimus ſui æui in templis orator, obijtque ſenex admodùm Neapoli 1562. die 13. Decembris.

B. ANDREAS AVELLINVS in Caſtro nouo, regni Neapolitani & prouinciæ Baſilicatæ municipio, an. 1521. natus, Theatinis 1556. ſe aſſociauit. In Nouitiatu collegam habuit *Paulum Aretinum*, poſteà Cardinalem & Epiſcopum Placentinum. Theologiæ, Philoſophiæ ac litterarum ſtudia ſuos inter ſodales mirificè promouit; cum Dauide ſolitus dicere frequenter: *Bonitatem interiorem & diſciplinam in cultu diuino, & ſcientiam doce me*. Demum ad vitam meliorem anno 1608. tranſijt Neapoli: eum que miraculis
Bullarij 104 clarum Vrbanus VIII. Papa 1624. die 13. Auguſti in numerum Beatorum retulit; Neapolitani verò & Panormitani in ſuæ ſinguli ciuitatis protectorem poſteà adoptarunt. Horum trium ſanctitatis opinione illuſtrium virorum vitas Italicè ſcripſit *Ioannes Baptiſta Caſtaldus*, profeſſione itidem Theatinus, & typis Vicentiæ 1627. publicauit.

IOANNES PETRVS CARAFA, Theatinus Epiſcopus (qui poſteà Pōtifex Paulus IV. eſt appellatus) vir nobilitate generis & litterarum eruditione ſpectatiſſimus, cum alijs tribus æquè pijs ac nobilibus viris, vt dixi, Ordinem Clericorum regularium 1524. condidit; quibus ab Epiſcopo ceteris clariore *Theatinorum* nomen apud vulgus manſit. Vnde factum eſt, vt Societati Ieſu & alijs nonnullis Clericorum regularium familijs (quę paucis pòſt annis natæ ſunt, nec veſtium magno diſcrimine diſtinguuntur) nomē idem Theatinorum multis in locis adhæſerit. Ceterùm Carafæ, in baſilica S. Mariæ ſupra Mineruam, tumulum marmoreum cum ſtatua Pius V. poſuit, hoc elogio:

*Ieſu Chriſto. ſpei & vita fidelium. Paulo IV. Carafa, Pontifici Maximo. eloquentia, doctrina, ſapientia, liberalitate, animi magnitudine praſtanti, ſcelerum vindici integerrimo Catholica fidei acerrimo propugnatori, Pius V. Pont Max. grati & pij animi monumentum poſuit. Vixit annos 83. menſem vnum, dies 20. Obijt 1559. decimo quinto Kalendas Septembris, pontificatus ſui anno quinto.*

Quod ad duos alios Ordinis Theatinorum conditores attinet, *Bonifacius à Colle* 1558. Venetijs, *Paulus Conſiliarius* 1557. Romæ viuere deſierunt. Thienæi, Bonifacij & Conſiliarij vitas Latinè ſcripſit Antonius Caracciolus; qui & Collectanea hiſtorica de vita Pauli IV. Coloniæ Aggrippinæ 1612. edidit. Idem Romæ 1610. Notas pereruditas ad Conſtitutiones Clericorum regularium Theatinorum publicauit.

ANTONIVS AGELLIVS Epiſcopus Acernenſis, vir trium linguarum eruditarum, Hebraicæ, Grǽcę & Latinæ peritiſſimus, in Prophetam *Habacuc* ſcripſit commentarium typis Plantinianis publicatum. Idem Romæ, iuſſu Pontificis, præfuit editioni Gręco-Latinæ Conciliorum generalium.

Omitto Bernardinum Schottum & Paulum Aretinum, S. R. E. Cardinales: ſileo Thomam Golduellum Anglum, Epiſcopum Aſaphenſem; qui cum Reginaldo Polo in Britanniam miſſus fortiter ibi rem geſſit & ab Eliſabetha Regina in exilium pulſus, apud Inſubres Vicarius S. Caroli Borromęi in adminiſtrando Archiepiſcopatu fuit. Pręterea Saluatorem Caracciolum Compſæ; Marcellum Maioranam primùm Cotronæ, pòſt

Acerng;

Acernæ; Ioannem Bap. Tuſum Acernæ; Vincentium Tuſum, Ioannis fratrem, Oriæ; Silueſtrum Tuſum, Ioannis & Vincentij fratrem, Motulæ; Ioannem Vitellium Carinolę; Ioannem Bap. Milanum Bergomi; Baſilium Pignatellum, Scipionis Marchionis Bauri filium, Aquilę; Benedictum Mandinam Caſertę; Vincentium Capecium Gallipoli; Thomam Montium Cotronę; Antonium Veſpolum Potentię; & alios alibi laudatiſſimos Antiſtites. Vt meo quidem iudicio Congregatio Theatinorum iure merito *Seminarium Epiſcoporum* dici poſſe videatur.

## *Cap. III. Domus Clericorum regularium Theatinorum.*

PRofitetur hęc familia cùm in communi tum in particulari ſummam paupertatem; nec eleëmoſynas oſtiatim petit, ſed viuit tantùm ex ſponte oblatis & allatis ſibi à fidelibus. Religioſi viuntur habitu clericali, & in caligis tantùm ac tunica differunt à Patribus Soc. Ieſu; cùm Theatini caligas inferiores portent albas. Per Italiam habent domicilia plùs minùs triginta ſex, eaque religioſiſſimis ac doctiſſimis viris plena. Habent item Generalem Prępoſitum triennalem. De ijs ex profeſſo tractat Ioannes Baptiſta Tuſus, Epiſcopus Acernenſis, in Chronico huius ſui Ordinis. Sic ferè Auguſtinus Barboſa lib. 1. Iuris eccleſiaſtici cap. 41. Ceterùm ex iſtis XXXVI. domicilijs hęc ad noſtram notitiam peruenerunt.

Venetiis, Domus ad ędem S. Nicolai Tolentinatis, anno 1527. *Vinegia.*

Neapoli:
- ad ędem S. Pauli maioris, in vrbis vmbilico, 1538. procurante Petro Toletano, Prorege Neapolitano. *Napoli.*
- ad SS. Apoſtolorum 1576. beneficio Col-Antonij Caraccioli Marchionis Vicani, eiuſque coniugis Mariæ Geſualdę.
- in regione vrbis quę dicitur Ecchia; fundum 1587. donante Conſtantia Carretta Doria, Principe Sulmonenſi.

Romæ:
- ad S. Silueſtri ędem, in monte Quirinali, 1560. auctam poſteà beneficio Gregorij XIII. *Roma.*
- ad S. Andreę de Valle. Conſtantia Picolominea, Dux Amalphitana, palatium huic templo vicinum, quod olim Pij II. Papę fuerat, 1587. donauit. Ædem nouam Alfonſus Geſualdus Cardinalis incohauit; N. Perettus item Cardinalis auxit.

Mediolani ad S. Antonij 1570. beneficio S. Caroli Borromęi Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis. *Milano.*

Cremonę ad S. Abundi; procurante eodem S. Carolo apud Pontificem Maximum. Fuit olim Ordinis Humiliatorum. *Cremona.*

Genuę ad S. Syri ędem: cuius ędis meminit S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 53. & Baronius ad Martyrol. Rom. 29. Iunij. *Genoua.*

Placentię 1571. euocante Paulo Aretino, Card. & Epiſcopo tunc Placentino, pòſt Archiepiſcopo Neapolitano. *Piacenza.*

Florentię ad ędem B. Virginis Annuntiatę. *Fiorenza.*

In agro Æquenſi ad ędem S. Marię de Thoro: ſuprà pag. 45.

Patauij, ſub ditione Veneta. *Padoua.*

Vlicetię ſeu Vicentię, ſub dominio Venetorum. *Vincenza.*

Meſſanę in Sicilia, ad ędem B. Virginis Annuntiatę, in meditullio vrbis. *Meſſina.*

Palermi in eadem inſula, ad ędem S. Ioſephi. *Palermo.*

Ceterùm (quod ſuprà indicare mihi excidit) Caietanum Thienęum, primarium familię Theatinæ fundatorem, Vrbanus VIII. in Beatorũ claſſem an. 1629. retulit. Diploma pontificium apud Cherubinum tomo 4. Bullarij, Romę 1632. edito, reperies.

FINIS.

# CONGREGATIO CLERICORVM REGVLARIVM S. PAVLI.

## *Cap. 1. Origo Clericorum regularium S. Pauli; qui & Barnabitæ nuncupantur, ab æde S. Barnabæ, quam Mediolani primam poſſederunt.*

TRes fuerunt huius Congregationis conditores *Antonius Maria Zacharias, Bartholomeus Ferrarius, & Iacobus Antonius Morigius.* A Zachariæ regimine & auctoritate pendebant ceteri ante conſtitutam Præpoſituram. Ferrarius magno ſuis fuit adiumento ad diploma à Clemente VII. Papa facilè impetrandum. Morigius ætate prouectior, eximia in ſocios ſuos magnificentia ac dexteritate in rebus agendis floruit, primuſque Præpoſitus an. 1536. fuit renuntiatus. Hoſce tres parentes ſemper cognouit & coluit Congregatio Paulina; illo ordine, quem diximus, inter ipſos ſeruato. Primus erat ſacerdos & patricius Cremonenſis, ex vetuſta Zachariarum familia; ceteri duo patricij Mediolanenſes: omnes pietate, doctrina, prudentiaque præſtantes. Hi Triumuiri anno circiter triceſimo ſupra ſeſquimilleſimum, Mediolani conuenientes, de iſtius Congregationis inſtitutione ſæpè ac feriò deliberarunt; auctique duobus ſocijs, facultatem ritè collegendi alios, ac Statuta condendi ab Apoſtolica Sede in primis impetrandam cenſuerunt. Sedebat eo tempore ad B. Petri nauis clauum Clemens Septimus. Acturis ſocijs cum Pontifice de re in primis ardua, quæ plerumque aut reijci omninò, aut in plures annos differri ſolet, adfuit egregia oportunitas, diuinitùs ſcilicet parata, ſpem felicis adferens euentus. Clementi ab Apoſtolicis tunc litteris erat *Baſilius Ferrarius* Bartholomæi vnius ex primis Triumuiris frater germanus; ob ingenium, prudentiam ac ſolertiam Pontifici apprimè carus. Huius opera vtentes ſocij, votum exponunt, & quamuis abſentes, ignoti facie, famaque tantùm cogniti, vnico conſequuntur rogatu, quod ab alijs religioſarum familiarum conditoribus, vitæ ſanctimonia etiam conſpicuis, vrgente præſentia, & Regum aliorumque Principum implorata auctoritate, vix legimus obtentum.

1533. Diploma autem anno 1533. die 18. Februarij ſcriptum, ſic habet: *Clemens* VII. *Papa dilectis filijs Bartholomæo Ferrario & Antonio Maria Zacharia.* Qua inſcriptione nihil auctoritati Zachariæ detrahitur: id namque profectum eſſe conſtat à Ferrarij ſcriptoris humanitate erga ſuum germanum. Siquidem in ceteris Pontificum litteris ad eoſdem duos ſocios directis, prior nominationis locus ſemper Zachariæ tribuitur; ipſo etiam Baſilio mendum ſuum corrigente.

Paupertatis porrò vigor initio ſummus fuit: nihil omninò nequidē in communi poſſidebatur, neque tamen oſtiatim neceſſarius victus quærebatur, ſed à ſola Dei prouidentia expectabatur. Ob grauiſſimas tamen cauſſas, anno 1552. communibus omnium ſuffragijs in eam itum eſt ſententiam, vt Congregatio reditibus mediocribus & pro tempore ſufficientibus in communi vteretur. Quod ad regimen attinet, vniuerſæ Congregationi præeſt *Præpoſitus generalis*; ſingulis item Prouincijs (quæ tres hactenus, vſque ad annum 1634. ſcilicet, conſtitutæ ſunt) præficitur vnus qui ſuam regit Prouinciam, & *Præpoſitus Prouincialis* dicitur; ſingulis quoque domicilijs præficitur vnus qui ſimplici nomine *Præpoſitus* appellatur. Quæ ad vniuerſam Congregationem pertinent, vnà cum Præpoſito generali definiunt quattuor alij viri ætate prudentiaque graues, qui perpetuò ipſi aſſiſtunt, inde *Aſſiſtentes* dicti. Tempus ſupremæ Præfecturæ ad triennium extenditur:

quo

quo exacto comitia habentur generalia, & ordinariè quidem Mediolani,in qua vrbe na-
ta eſt Congregatio. Domicilia verò ſua Paulini vocant *Collegia*, non Conuentus, Mona-
ſteria aut Domos. In templo ſimplicem Pſalmodiæ cantum adhibent, vtpote ſeuerioris
diſciplinę cultoribus magis conſentaneum; ſecuti priſcorum Patrum ritum, qui, referen- Lib. 2. c. 5.
te Caſſiano, ab Angelo edocti Pſalmorum duodenarium numerum, & ſimplicem ca-
nendi formam, parili ſemper pronuntiatione ab ipſo oſtenſam deinceps tenuerunt. Ad
quem ritum ſe quoque magis propenſum S. Auguſtinus aſſeruit: *Tutiùs mihi*, inquiens, Lib. 10. cap. 33.
*videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpè mihi dictum cõmemini,qui tam modico
flexu vocis faciebat ſonare Lectorem, vt pronuntianti ſimilior eſſet quàm canenti.* Quamuis
autem apud Paulinos ſimplex in vſu ſit cantus, non omnis tamen modulatio Muſica
ab ipſorum eccleſijs eſt eliminata, ſed in quibuſdam feſtiuitatibus & ſolemnibus pietatis
exercitationibus admittitur cum cantoribus externis.

Errant autem, qui ſcribunt hanc Paulinam & Theatinam Congregationes,ex ſpeciali
inſtituto non ordinari ad actiones Clericatus,quæ in ſalute proximi procuranda verſan-
tur, ſed peculiariter ad eas quæ ad diuinum cultum pertinent. Contra quos ſcribens
*Anacletus Sicens*,in ſua Synopſi De Congregatione Paulina breui typis Platinianis eden-
da, ſolidè docet Paulinos ex inſtituto teneri ad Conciones, Catecheſes, Miſſiones, Cu-
ram animarum, aliaſque id genus pias exercitationes. Adeò quidem, vt totus liber ter-
tius Conſtitutionum Paulinarum ex profeſſo tractet de procuranda proximorum ſalute.
Ideoque iuxta inſtitutum ſuum, magna cum laude ac fructu Curam animarum habent &
parochijs præſunt Paulini in Italia, Germania & alibi.Quod verò ad Cõſtitutiones Pau-
linas attinet, fuerunt eæ primùm à Congregationis iſtius conditoribus, Apoſtolico fauo-
re munitis, deſcriptæ, poſteà anno 1552. adſiſtente *Leonardo Marino* Epiſcopo Laodi- 1552.
ceno, Apoſtolicę Sedis Delegato, in generalibus comitijs auctæ, ac demum in generali
itidem conuentu Mediolani 1579. habito, ad perfectionem perductæ, *S.Carolo Bor-
romæo* adiutante. Quam poſtremam editionem Gregorius XIII. eodem illo anno
approbauit.

Ceterùm nonnulli Congregationem hanc Paulinam ſub S. Auguſtini, alij ſub S. Be-
nedicti Regula inſtitutã ſcribunt: ſed falſò. Nã ipſa ſibimet initio *Conſtitutiones*, benigna
Apoſtolicæ Sedis gratia annuente (vt dixi) condidit, infanti idoneas; incremento dein
ætatis & locorum auxit, ac plenè tandem 1579. abſoluit, ab eadem Apoſtolica Sede
confirmatas: quibus pro Regula vtitur, adeoque nec aliam Regulam præter iſtas Con-
ſtitutiones agnoſcit. Vulgus nimirũ cenſet,quoſlibet religioſos Ordines vni ex quattuor
cõmunibus & in antiquo Iure Pontificio approbatis Regulis (nempe SS. *Baſilij,Auguſti-
ni,Benedicti, Franciſci*) adſcribendos eſſe. At ſapientiores probè nouerunt plures Ordi-
nes religioſos nullam ex memoratis Regulis profiteri; veluti *Cartuſianorum*, *Trinitario-
rum*, *Carmelitarum*, *Minimorum*, *Annuntiatarum*, *Theatinorum*, *Societatis Ieſu*, *Clericorum
Minorum*,*Miniſtrantium infirmis*, & aliorum: quorum quilibet ſui eſt iuris, ſuiſque tan-
tummodò Regulis aut Conſtitutionibus vtitur. Nicolaus Cruſenius in ſuo Monaſtico
Auguſtiniano, nominum ſimilitudine (vt arbitror) deceptus ſcribit hanc Congregatio-
nem Barnabitarum eſſe inſtaurationem ordinis Apoſtolicorum ſeu Fratrum S. Barnabæ;
ſed fallitur. Nam confundit duos Ordines tempore, inſtitutis & Regula omnino diſcre-
tos. Ordo enim ille Apoſtolicorum, ſeu Apoſtolorum, vt alij vocant, fuit ab Inno-
centio VIII. primùm approbatus,pòſt ab Alexãdro VI. Regulæ S.Auguſtini addictus,ac
demùm à Paulo V. cum ordine Fratrum S. Ambroſij ad Nemus vnitus: vt ex Laërtio
Cherubino in Bullario, & Flauio Cherubino in Compendio eiuſdem conſtat.

## *Cap. 11. Clemens* VII. *Congregationem Paulinam approbat.*

CLEMENS Papa VII. dilectis filijs *Bartholomæo Ferrario* & *Antonio Maria Za-
charia*, presbyteris, Mediolanenſi & Cremonenſi. Vota, per quæ vos in humilitatis
ſpiritu perenni vitę pręmio digniores effici, veſtręque & aliorum animarum ſaluti con-

ſulere poſſitis, libenter ad exauditionis gratiam admittimus, eaque fauoribus proſequimur oportunis. Exponi ſiquidem nobis feciſtis, quòd vos cum tribus alijs veſtræ voluntatis ſocijs,vt liberiùs diuinis beneplacitis inſiſtere, & quæ Dei ſunt perquirere poſſitis, cupitis profeſſionem trium votorum ſubſtantialium Religionis, in manibus venerabilis fratris Archiepiſcopi Mediolanēſis, ſeu eius in ſpiritualibus Vicarij generalis emittere,& inſimul in aliquo loco ciuitatis ſeu diœceſis Mediolanenſis, per vos eligendo morari & permanere. Quare nobis feciſtis humiliter ſupplicari, vt piæ veſtræ intentioni huiuſmodi paternè annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & veſtrûm ſingulis,vt profeſſionem ipſam in eiuſmodi Archiepiſcopi ſeu Vicarij; qui verò de cetero ad vos conuerti voluerint,in alterius veſtrûm ſeu Præpoſiti veſtræ Congregationis pro tempore exiſtentis manibus, profeſſionem trium votorum eorundem emittere, & inſimul,ſub obedientia tamen Ordinarij loci, in ipſo loco per vos eligendo cohabitare,ac in communi viuere, necnon pro veſtro & rerum veſtrarum ſalubri ſtatu & directione, quæcumque Statuta & Ordinationes, rationabilia & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, condere & facere,illaque,vt vobis pro temporum qualitate expedire videbitur, mutare & in totum tollere, aliaque illorum loco de nouo facere,liberè & licitè valeatis (Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Concilijs editis, generalibus vel ſpecialibus Cōſtitutionibus & Ordinationibus, ceteriſque contrarijs nequaquam obſtantibus) Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus & indulgemus; eiſdem præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris, die 18. Februarij 1533. pontificatus noſtri anno X.
1533. Congregationem iſtam poſteà Paulus III. Iulius III. Gregorius XIII. & Sixtus V. varijs priuilegijs ditarunt: quæ Cherubinus in ſuo Bullario recitat.

## *Cap.* III. *Collegia Congregationis Clericorum D. Pauli.*

CLericorum regularium S. Pauli decollati ordo (ſic dictus, quòd S. Paulum Apoſtolum in præcipuum elegerit patronum) inſtitutus eſt à tribus nobilibus viris, ***Antonio Maria Zacharia. Bartholomæo Ferrario*** & ***Iacobo Antonio Morigio.*** Dicuntur huius ordinis Religioſi vulgò ***Barnabitæ***, ab æde S. Barnabæ Apoſtoli, quam primam Mediolani habuerunt. Eligunt vnum Præfectum generalem ad triennium: & habent Prouincias tres in Italia, ***Mediolanenſem*** ſcilicet, ***Romanā*** & ***Pedemontanam***; præterea in Gallia & Germania aliquot Collegia. Domos itaque poſſident numero quinquaginta plus minùs. Floret hæc Congregatio eruditiſſimis & piſſimis viris,& S. ***Carolum Borromæum***, ſuum ſingularem benefactorem,veluti parentem ac protectorem colit & veneratur. Sic ferè Auguſtinus Barboſa libro 1. Iuris eccleſiaſtici cap.41.

## *In Mediolanenſi Ducatu.*

Mediolani:
- Collegium SS. Apoſtolorum Pauli & Barnabæ; vbi ſedes eſt Præpoſiti Generalis, & à quo templo cognomen Barnabitarum. ***Milano.***
- Collegium S. Alexandri, cum onere parochiali & publico ſcientiarum gymnaſio.

In Caſali maiore Collegium. ***Caſal maggiore.***
Cremonæ Collegium, cum duplici eccleſia, vrbana & ruſtica, habentibus curam parochialem. ***Cremona.***
Dertonæ Collegium. ***Tortona.***
In Laude Pompeia Collegium, cum publico gymnaſio. ***Lodi.***
Modoëtiæ, Domus religioſi tirocinij ſeu Nouitiatus. ***Monza.***
In Monte acuto Collegium. ***Montu.***
Nouariæ Collegium. ***Nouara.***

Ticini

Ortæ Collegium. *Orta.* Ticini ſeu Papiæ Collegium. *Pauia.*
Vigleuani Collegium. *Vigeuano.*

## *In Pontificia ditione.*

Romæ { ad S. Pauli ædem, prope Columnam Traianam. *Roma.*
ad SS. Blaſij & Caroli, cum onere parochiali. }

Bononiæ { ad S. Andreæ, cum onere fori pœnitentialis in metropolitana.
ad S. Michaëlis, cum onere parochiali.
ad S. Pauli. }

Foroſempronij Collegium. *Foſſombrone.* Fulginij Collegium. *Foligny.*
Maceratæ Collegium, cum munere fori pœnitentialis in cathedrali. *Macerata.*
Peruſij Collegium, cum munere fori pœnitentialis in cathedrali. *Perugia.*
Septempedæ Collegium. *Sanſeuerino.*
Spoleti Collegium, cum munere fori pœnitentialis in cathedrali. *Spoleto.*
Zagaroli, Domus religioſi tyrocinij. *Zagarolo.*

## *In Neapolitano regno.*

Neapoli { ad S. Caroli ad myrtea. *Napoli.*
ad S. Mariæ portæ nouę.
Reſidentia Pœnitentiariorum in metropolitana. }

Aquilæ in Samnitibus. *Aquila.* Arpini. *Arpino.*

## *Sub ditione Magni Ducis Etruriæ.*

Florentię Collegium. *Fiorenza.* Piſcię Collegium. *Piſcia.*
Liburni, cum munere fori pœnitentialis in maiori templo. *Liuorno.*
Piſis Collegium, cum publico gymnaſio. *Piſa.*

## *In Genuenſis Reipublicæ ditione.*

Genuę Collegium, cum onere parochiali. *Genua.*

## *In Mantuani Ducis ditione.*

Mantuę Collegium. *Mantoa.*
Aquis Collegium, in Ducatu Montisferrati. *Acqui.*
In Caſali S. Euaſij, in eodem Ducatu. *Caſale.*
Regij Collegium. *Reggio*, in Mutinenſis Ducis ditione.
Placentię Collegium, cum onere parochiali. *Piacenza*, in Parmenſis Ducis ditione.

## *In Pedemontano Principatu, & Sabaudia.*

Auguſtę Taurinorum, cum onere parochiali. *Turino.*
Aſtę, cum onere parochiali & publico gymnaſio. *Aſti.*
Cherij Collegium. *Cheri.* Vercellis Collegium. *Vercelli.*
Aneſſiaci in Sabaudia Collegium, cum publico ſcientiarum gymnaſio. *Aneſſy.*
Tononi in Sabaudia, Domus religioſi tyrocinij, cum publico ſcientiarum gymnaſio. *Tonone.*

## *In Galliarum regno.*

Lutetię Pariſiorum, Domus religioſi tyrocinij. *Paris.*
Aquis Sextijs, cum publico ſcientiarum gymnaſio. *Aix en Prouence.*

Laſca-

Laſcarij, cum publico gymnaſio. *Laſcar.*
Montargij, cum publico gymnaſio. *Montargis.*
Stampis, cum publico gymnaſio. *Eſtampes.*

## *In Germania.*

Pragę Collegium in Bohemia. *Praga.*
Viennę Collegium in Auſtria, cum onere parochiali. *Vienna.*

Cæterùm Congregatio Paulina non celeres, more torrentum, progreſſus habuit, ſed lento procedens curſu mirum in modum augeſcit; more fluminum, quę modicis exorta fontibus leniter fluunt, & longo poſtmodùm locorũ decurſu vires ſumunt ac creſcunt. Quę verò paulatim creſcunt, firmiora eſſe ſolent.

Haut abs re fuerit hoc loco Congregationem Angelicarum monialium memorare, quam *Antonius Maria Zacharias* eodem ſpiritu, quo Paulinam clericorum Congregationem, Mediolani inſtituit, & poſt *Zacharię* obitum, eiuſdem ſodales nutriuerunt, quamque Paulus III. Papa anno 1534. die 15. Ianuarij Regulę S. Auguſtini addixit ac probauit. Primum huius inſtituti monaſterium, in honorem S. Pauli Apoſtoli. *Ludouica Taurella*, Vaſtallæ Comes, vidua nobiliſſima ac religioſiſſima, in *vrbe Mediolanenſi* ædificauit ac dotauit. Eſt autem Vaſtalla opidum non ignobile, ad Padum fl. inter Parmam & Mantuam ſitum, quod nunc titulo Principatus gaudet. Mediolano nouam monialiũ coloniam *Valeria de Alerijs*, nobilis item vidua, *Cremonam* deduxit, & illuſtre ibi monaſterium S. Marthę dicauit. Horum duorum cœnobiorum regimen ad Congregationem Paulinam hodieque pertinet: ſed reliquarum omnium monialium & mulierum quarumcumque in communi viuentium certam ac diuturnam curam, decreto in comitijs generalibus edito, ab ſe abdicauit.

## *Cap. IV. Viri libris editis, alijſq; titulis clari ex Congregatione Clericorum D. Pauli.*

ANTONIVS MARIA ZACHARIAS Cremonenſis, primarius huius Congregationis conditor, ſcripſit Sententias ſeu *Aphoriſmos ſpirituales*, Venetijs, Mediolani & Lugduni editos. Obijt Cremonę 5. Iulij anno Chriſti 1539. ætatis 39. vt vbi ſpiritũ vitæ naſcens hauſerat, ibi eumdem moriens Creatori redderet. Corpus inde tranſlatum eſt Mediolanum, & conditum apud Angelicas moniales ad D. Pauli. Idem Zacharias primus inſtituit Preces quadraginta horarum Cremonæ, Mediolani, Vicetiæ & alibi: quod inſtitutum poſteà varij Ordines religioſi ſunt æmulati.

Iuxta Zachariam apud Angelicas ſepultus eſt eius collega *Bartholomæus Ferrarius*, qui anno 1544. die 24. Nouembris ad Chriſtum migrauit. *Iacobus Antonius Morigius*, annos circiter 54. natus, obijt 1546. Marliani (quod opidum Mediolano 15. milliaribus diſtat,) ibidem conditus.

ALEXANDER SAVLIVS, Congregationis S. Pauli Præpoſitus generalis, S. Caroli Borromæi Confeſſarius, Alerienſem in Corſica Epiſcopatum, ſibi nihil tale cogitanti adeoque reluctanti à Pio V. oblatum, ſummo inſulanorum fructu annis aliquot adminiſtrauit: vnde & *Corſicæ Apoſtolus* dici meruit. Obijt demum Papienſis ſeu Ticinenſis Epiſcopus, cum ingenti ſanctitatis opinione.

ANACLETVS SICCVS Cremonenſis Viennæ in Auſtria diu egit, & edidit libros tres pereruditos ac clericis omnibus vtiles *De Eccleſiaſtica Hymnodia*; qui auctiores typis Plantinianis 1634. Antuerpiæ recuſi fuerunt. Moriens 1636. manuſcriptam reliquit *Synopſim de Clericorum regularium D. Pauli Congregatione*, deque eiuſdem conditoribus Antonio Maria Zacharia, Bartholomæo Ferrario & Iacobo Antonio Morigio. Quam Synopſim ex eadem Officina Plantiniana breui prodituram ſperant eruditi.

AVGVSTINVS TORNIELLVS Nouarienſis ſcripſit *Annales ſacros & profanos*,

ab

ab orbe condito ad eumdem Chriſti paſſione redemptum; quos Mediolani primùm excuſos Carolo à Baſilica Petri, Epiſcopo tunc Nouarienſi inſcripſit. Fuêre ijdem poſteà bis Francofurti ad Mœnum recuſi, inſcio auctore. Quapropter quartam editionem recognitam, & ſexcentis locis auctam idem Torniellus typis Plantinianis anno 1520. tomis duobus in folio edendam curauit, & Paulo V. Pontifici dedicauit. Obijt ætate grandæuus anno 1623. Mediolani.

BARTHOLOMÆVS CASTELLINVS, pòſt Laurentius Dauidicus dictus, libros varios *De rebus ſpiritualibus* publicauit.

BARTHOLOMÆVS GAVANTVS Mediolanenſis, S. Romanæ Rituum Congregationis Conſultor, *Theſaurum ſacrorum Rituum*, ſeu Commentaria in Rubricas Miſſalis & Breuiarij Romani typis Plantinianis 1634. euulgauit. Ad calcem attexuit *Vitam S. Pauli Apoſtoli*, per annos digeſtam, & *Diſſertationem de S. Bartholomæo Apoſtolo*, quem eſſe eumdem cum Nathanaële per Chriſtum laudato, conatur probare. Ioan. 1.

CAROLVS A BASILICA PETRI primùm Canonicus Mediolanenſis, pòſt Congregationis Paulinæ Præpoſitus generalis, ac demùm Epiſcopus Nouarienſis, vir morum integritate, doctrina & legationibus obitis clariſſimus, ſcripſit *Vitam S. Caroli Borromæi*, Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis; cum eiuſdem Borromæi Concilijs Mediolanenſibus, Brixiæ 1603. editam. Obijt circa annum 1614.

IOANNES AMBROSIVS MAZENTA tres libros De initijs, progreſſu & ſtatu Congregationis S. Pauli poſteris reliquit; quos Anacletus Siccus in ſua Synopſi de eadem Congregatione non ſemel citat.

IOANNES ANTONIVS GABVTIVS Pij V. ſanctiſſimi Pontificis vitam eleganti ſtilo conſcripſit & Romæ 1605. in folio edidit. Hiſtoria Congregationis Paulinæ, ab eodem litteris conſignata, citatur à Flauio Cherubino in Compendio Bullarij, vbi de Clemente VII. agit.

IOANNES PETRVS BESVTIVS multa *De rebus aſceticis* ſeu *ſpiritualibus* edidit; præter *Notationes apologeticas ad librum Angelicæ Paulæ Antoniæ de Nigris*, à Ioanne Bap. Fontana de Comitibus conſcriptum.

INNOCENTIVS ECCLESIA, vir in Hiſtoria eccleſiaſtica verſatiſſimus, *vitam S. Syri* Epiſcopi Papienſis cum Notis pereruditis publicauit: in quibus inter alia probat, communem Clericorum viuendi vſum ſub vno tecto ſeu clauſtro, vt vulgò appellant, vnà cum communi cantu in Choro, fuiſſe ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum, & à præcipuis primorum ſæculorum Epiſcopis (qui certè monachi non erant) ſedulò cultum. Idem plurium aliorum Epiſcoporum Hiſtorias in lucem edidit, & librum De viris illuſtribus Congregationis Paulinæ poſteris reliquit.

Libet hìc ſubnectere quę Anacletus Siccus l. 3. citato c. 17. de Scholis Paulinorũ narrat: Tantum abeſt, *inquit*, vt vſus publicę Hymnodiæ ſit aut litterarum ſtudijs, aut concionum muneri, aut animarum directioni, aut infidelium conuerſioni, aut quibuſcumque alijs præclaris muneribus exercendis contrarius; vt potiùs ijſdem occupationibus ſit maximè carus & vtilis. Experientia item reſte cognoſcimus, prędicta munera cumulatiſſimè Suprà
expleri ab Ordinibus vſum Chori profitentibus. Si in re litteraria id velit quis manifeſtè pag. 21.
videre, is primùm reſpiciat Ordines omnes antiquiores vitam profitentes monaſticam: qui dubio procul ſicut fuerunt publicæ Hymnodiæ egregij cultores, ita à cordatis viris Baron. an.
dicti ſunt Seminaria omnium bonarum diſciplinarum, ex quibus illuſtriores Epiſcopi, 328.
Doctoreſque Eccleſiæ primarij prodierunt. Si autem vis fiat in ijs litterarum ſtudijs, quæ cum exteris communicantur, aperiendo ſcilicet Scholas ad publicæ rei commodum, in quibus variæ traduntur ſcientiæ & diſciplinę; poſſumus, omiſſis antiquioribus, adferre quę hiſce temporibus feliciter explentur ab Ordine noſtro Paulinorum. Hic multis in locis, intra & extra Italiam, publicas omnium ferè diſciplinarum Scholas iuuentuti erudiendæ aperuit, haut ſine magna ciuitatum vtilitate; nihilominùs ibidem publica in Choro minimè omittitur Hymnodia, ſed ea ſuſtinetur quotidiana.

FINIS.

# SOCIETAS
# IESV
# A S. IGNATIO LOYOLA
# CONDITA.

## *Caput 1. Paulus* III. *Papa Societatis Ieſu inſtitutum anno* 1540. *approbat.*

Bullarij tomo 1.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimine militantis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino, præſidentes, & animarum ſalutem, prout ex debito paſtoralis officij tenemur, ſolicitis ſtudijs exquirentes, fideles quoſlibet, qui vota ſua in id exponunt, Apoſtolici fauoris gratia confouemus, aliàſque deſuper diſponimus, prout temporum & locorum qualitate penſata, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem accepimus, quòd dilecti filij *Ignatius de Loyola* & *Petrus Faber*, ac *Iacobus Laynez*, necnon *Claudius Iayus*, & *Paſchaſius Broët*, ac *Franciſcus Xauier*, nec non *Alphonſus Salmeron*, & *Simon Rodericus*, ac *Ioannes Codurs*, & *Nicolaus de Bobadilla*, presbyteri Pampilonenſis, Gebennenſis, Seguntinæ, Toletanæ, Viſenſis, Ebredunenſis & Palentinæ, ciuitatum & diœceſium, reſpectiuè, in Artibus Magiſtri in Vniuerſitate Pariſienſi graduati, & in Theologicis ſtudijs per plures annos exercitati, Spiritu ſancto (vt piè creditur) afflati, iam dudum è diuerſis mundi regionibus deſcendentes, in vnum conuenerunt, & ſocij effecti, abdicatis huius ſæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque noſtro & aliorum ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſeruitio dedicarunt, & iam quàm pluribus annis laudabiliter in vinea Domini ſe exercuerunt, verbum Dei, præuia ſufficienti licentia, publicè prædicando, fideles priuatim ad benè beateque viuendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, Hoſpitalibus inſeruiendo, pueros & perſonas rudes ea, quæ ad Chriſtianam hominis inſtitutionem ſunt neceſſaria, docendo, & demum omnia caritatis officia, & quæ ad animarum conſolationem faciunt, vbique terrarum, vbi peregrinati ſunt, multa cum laude obeundo. Cumque ad hanc almam Vrbem ſe contulerint, & in caritatis vinculo perſiſtentes, ad perficiendam & conſeruandam eorum Societatis in Chriſto vnionem, quandam viuendi formulam, iuxta ea quæ ad propoſitum ſibi finem conducere vſu didicerunt, Euangelicis conſilijs & canonicis Patrum ſanctionibus conformem ediderint; factum eſt, vt ipſorum Sociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula comprehenſum, non ſolùm à multis probis viris & Deum zelantibus laudetur, verùm etiam à quibuſdam ita approbetur, vt illud etiam ſequi velint. Formulæ autem prædictę tenor ſequitur, & eſt talis:

Quicumque in Societate noſtra, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult ſub Crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino atque Romano Pontifici eius in terris Vicario ſeruire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis votum, proponat ſibi in animo ſe partem eſſe Societatis ad hoc potiſſimùm inſtitutæ, vt ad profectum animarum in vita & doctrina Chriſtiana, & ad Fidei propagationem, per publicas prędicationes & verbi Dei miniſterium, ſpiritualia exercitia & caritatis opera, & nominatim per puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, ac Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis ſpiritualem

con-

conſolationem præcipuè intendat, curetque primò Deum, deinde huius ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum, ſemper ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi: vnuſquiſque tamen, ſecundùm gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & vocationis ſuæ proprium gradum. Et ne quis fortè zelo vtatur, ſed non ſecundùm ſcientiam proprij cuiuſque gradus iudicium, & officiorum diſcretio ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti ſeu Prælati per nos eligendi: vt congruus ordo ſeruetur, in omni bene inſtituta Communitate neceſſarius. Qui quidē Prępoſitus de conſilio cōſociorum Conſtitutiones, ad conſtructionem huius propoſiti nobis finis conducentes, in Concilio condendi auctoritatem habeat, maiore ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi ius habente. Concilium verò intelligatur eſſe, in rebus quidem grauioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quę à Præpoſito commodè conuocari poterit; in leuioribus autem & temporaneis, omnes illi, quos in loco, vbi Præpoſitus noſter reſidebit, præſentes eſſe contigerit. Iubendi autem ius totum penes Præpoſitum erit.

Sciant omnes Socij, & non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus, ſed quoad vixerint, quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuerſam, & ſingulos ſub S. D. N. Pauli Papæ, & aliorū Romanorum Pontificum, ſucceſſorum eius, fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euāgelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus ac firmiter profiteamur omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Ieſu Chriſti Vicario ſubeſſe, ad maiorem tamen noſtræ Societatis humilitatem, ac perfectam vniuſcuiuſq; mortificationem & voluntatum noſtrarum abnegationem ſummoperè conducere iudicauimus, ſingulos nos, vltra illud commune vinculū, ſpeciali voto adſtringi. Ita vt quidquid modernus & alij Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint, ad profectum animarum & Fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque prouincias nos mittere voluerit, ſine vlla tergiuerſatione aut excuſatione, illicò quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, ſiue miſerit nos ad Turcas, ſiue ad quoſcumque alios infideles, etiam in partibus quas Indias vocant exiſtentes, ſiue ad quoſcumque hæreticos, ſeu ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſuis fideles. Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, & antequam huic oneri humeros ſupponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta conſilium Dominicum poſſint conſummare, hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuante, ſe laturos ſperent: & poſtquam, Domino inſpirante, huic Ieſu Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum ac prouinciarum huiuſmodi aut ambitio vel detrectatio; profiteantur ſinguli, ſe numquā directè aut indirectè de huiuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos, ſed omnem hanc curam Deo & ipſi Pontifici, tamquam eius Vicario, & Societatis Præpoſito dimiſſuros. Qui Præpoſitus, ſicut cęteri, etiam profiteatur, ſe nihil de ſuimet ipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice eſſe curaturum.

Voueant ſinguli, ſe in omnibus quæ ad Regulę huius noſtrę obſeruationem faciunt, obedientes fore Societatis Præpoſito. Ille autem iubeat ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo & à Societate finis cognouerit eſſe oportuna. In prælatione autem ſua benignitatis ac manſuetudinis, caritatiſque Chriſti, Petri Paulique formulę ſemper ſit memor, & tam ipſe quàm Concilium ad normam hanc aſſiduè ſpectent. Et nominatim commendatam habeant inſtitutionem puerorum ac rudium in Chriſtiana doctrina decem præceptorum, atque aliorum ſimilium rudimentorum, quæcumque ſecundùm circumſtantias perſonarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur. Etenim maximè neceſſariū eſt circa prouidētiam huius rei diligenter Præpoſitum & Concilium inuigilare, cùm & in proximis ædificiū Fidei ſine fundamēto non poſſit conſurgere, & in noſtris periculum ſit, ne vt quiſque erit doctior, ita prouinciam hanc tamquam primo aſpectu minùs ſpecioſam forſitan detrectare conetur; cùm tamen re vera nulla ſit fructuoſior vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad caritatis & humilitatis ſimul officia



Digitized by Google

exercenda. Subditi verò tum propter ingentes Ordinis vtilitates, tum propter numquam ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, Præpoſito in omnibus ad inſtitutum Societatis pertinentibus parere ſemper teneantur, & in illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, & quantum decet venerentur.

Cùm autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam ab omni auaritiæ contagione quàm remotiſſimam, & Euangelicæ paupertati quàm ſimillimam; cumque ſciamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſeruis ſuis regnum Dei ſolùm inquirentibus neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturũ; voueant ſinguli & vniuerſi perpetuam paupertatẽ, declarantes quòd non ſolùm priuatim, ſed neque etiam communiter poſſint pro Societatis ſuſtentatione aut vſu ad bona aliqua ſtabilia, aut ad prouentus ſeu introitus aliquos ius aliquod ciuile acquirere; ſed fint contenti vſum tantùm rerum ſibi donatarum, ad neceſſaria ſibi comparanda, recipere. Poſſint tamen habere in Vniuerſitatibus Collegium ſeu Collegia habentia reditus, cenſus ſeu poſſeſſiones, vſibus & neceſſarijs Studentium applicandas; retenta penes Præpoſitum & Societatem omnimoda gubernatione ſeu ſuperintendentia ſuper dicta Collegia & prędictos Studentes, quò ad Gubernatoris ſeu Gubernatorum ac Studentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, Statutorum ordinationem, circa Studentium inſtructionem, ędificationem ac correctionem, victus veſtituſque eis miniſtrandi modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam. Sic tamen vt neque Studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios vſus conuertere poſſit, ſed Studentium neceſſitati ſubuenire: qui quidem, poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint. Socij omnes, quicumque in ſacris fuerint, quamuis beneficia eccleſiaſtica aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen ſinguli priuatim ac particulariter, & non communiter ad dicendum Officium, ſecundùm Eccleſiæ ritum.

Hæc ſunt, quæ ſub præfati domini noſtri Pauli & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtra profeſſione, typo quodam explicare potuimus. Quod nunc fecimus, vt ſummatim ſcriptione hac informaremus tum illos, qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos, Deo volente, imitatores vmquam habebimus huius vitæ. Quam cùm multas magnaſque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus etiam ſtatuere, ne quis in hac Societate recipiatur, niſi diu ac diligentiſſimè fuerit probatus. Cumque prudens in Chriſto, & vel doctrina ſeu vitæ Chriſtianæ puritate apparuerit conſpicuus, tunc demum admittatur ad IESV Chriſti militiam: qui tenuibus cœptis noſtris fauere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus & honor in ſæcula. Amen.

Cùm autem nihil in præmiſſis reperiatur, quod pium non ſit aut ſanctum, nos, vt ijdẽ Socij (qui nobis ſuper hoc humillimè ſupplicari fecerunt) in eorum pio viuendi propoſito eò promptiores exiſtant, quò ſe maiori Sedis Apoſtolicę gratia complecti cognouerint, & præmiſſa per nos approbari viderint, præmiſſa omnia & ſingula, tamquam ad ſpiritualem profectum eorumdem Sociorum & reliqui Chriſtiani gregis oportuna, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ex certa ſcientia approbamus, confirmamus & benedicimus, ac perpetuę firmitatis munimine roboramus, ipſoſque Socios ſub noſtra & huius S. Sedis Apoſtolicę protectione ſuſcipimus; eis nihilominus concedentes, quòd particulares inter eos Conſtitutiones, quas ad Societatis huiuſmodi finem, & Ieſu Chriſti Domini noſtri gloriam, ac proximi vtilitatem conformes eſſe iudicauerint, condere liberè & licitè valeant. Non obſtantibus generalis Concilij, & fel. rec. GREGORII Papę X. prędeceſſoris noſtri, ac quibuſvis alijs conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd in Societate huiuſmodi vſque ad numerum ſexaginta perſonarum normulam viuendi huiuſmodi profiteri cupientium, & non vltrà, admitti & Societati pręfatę aggregari dumtaxat valeant. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Da-

Datum Romę apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicę milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, V. Kalendas Octobris, pontificatus noſtri anno ſexto.

## *Cap.* II. *Iulius* III. *Societatis Ieſu inſtitutum, à Paulo* III. *probatum, denuò probat, & quæ in Pauli litteris obſcuriora erant, ſuo diplomate declarat, anno* 1550.

IVlius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, &c. Dudum per fel. rec. Paulum Papã III. prædeceſſorem noſtrum accepto, quòd dilecti filij Ignatius &c. *vt ſuperiore capite*. Vt autem prædicta omnia priùs ab eodem prædeceſſore conceſſa magis confirmentur, & ſimul omnia quæ ad inſtitutum Societatis prædictæ pertinent, eiſdem in litteris aliarum ſummam continentibus comprehendantur, & vt aliqua obſcuriùs dicta, & quæ ſcrupulum ac dubitationem poſſent inijcere, per nos exactiùs explicentur; nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt formulam, qua prædictæ Societatis inſtitutum exactiùs & diſtinctiùs quàm anteà (edocente experientia ac rerum vſu) expreſſum, eodem tamen ſpiritu, comprehenditur, confirmare dignaremur. Cuius tenor ſequitur, & eſt talis: Bullarij to. 1.

Quicumque in Societate noſtra, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult ſub Crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino ac Eccleſiæ ipſius ſponſæ, ſub Romano Pontifice, Chriſti in terris Vicario ſeruire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis, paupertatis & obedientiæ votum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis ad hoc potiſſimùm inſtitutæ, vt ad Fidei defenſionem & propagationem, & profectum animarum in vita & doctrina Chriſtiana, per publicas prędicationes, lectiones & aliud quodcumque verbi Dei miniſterium ac ſpiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis ac ceteris Sacramentis adminiſtrandis ſpiritualem conſolationem præcipuè intendat, & nihilominùs ad diſſidentium reconciliationem, & eorum qui in carceribus vel in hoſpitalibus inueniuntur piam ſubuentionem & miniſterium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam & commune bonum expedire viſum erit, exequenda gratis omnino & nullo, pro ſuo in prædictis omnibus labore, ſtipendio accepto, ſe vtilem exhibeat, curetque primò Deum, deinde huius ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi: vnuſquiſque tamen, ſecundùm gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratã, & vocationis ſuæ proprium gradum. Ideoque ne quis fortè zelo vtatur, ſed non ſecundùm ſcientiam, proprij cuiuſque gradus iudicium, & officiorum diſcretio ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti generalis ſeu Prælati, per nos quocumque tempore eligendi, vel eorum quos ipſe ſibi ea cum auctoritate ſubſtituerit: vt congruus ordo ſeruetur in omni benè inſtituta communitate neceſſarius. Qui quidem Præpoſitus, de conſilio conſociorum, *Conſtitutiones*, ad constructionem huius propoſiti nobis finis conducentes, condendi, maiori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi ius habẽte, & quæ dubia eſſe poterunt in noſtro inſtituto hac formula comprehenſo, declarandi auctoritatem habeat. Concilium verò neceſſariò conuocãdum ad condendas vel immutandas Conſtitutiones & alia grauiora, vt alienare vel diſſoluere Domos ac Collegia ſemel erecta, intelligatur eſſe maior pars totius profeſſæ Societatis (iuxta Conſtitutionum noſtrarum declarationem) quæ ſine magno incommodo poteſt à Præpoſito generali conuocari. In alijs, quę non ita magni momenti ſunt, idem Prępoſitus adiutus, quatenus ipſe oportunum iudicabit, fratrum ſuorum conſilio, per ſeipſum ordinandi & iubendi quæ ad Dei gloriam & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat; prout in Conſtitutionibus eiſdem explicabitur.

Quicumque autem in hac Societate profeſſionem emiſerint, non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus intelligant, ſed quoad vixerint memores ſint, Societatem hanc vniuerſam & ſingulos, qui in ea profitentur, ſub S. D. N. Pauli Papæ III. & aliorum Roma-

norum Pontificum, ſucceſſorum eius, fideli obedietia, Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus ac firmiter teneamus, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Ieſu Chriſti Vicario ſubeſſe; ob deuotionem tamen maiorem ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & maiorem voluntatum noſtrarum abnegationem, & certiorem ſancti Spiritus directionem, ſummoperè conducere iudicauimus; ſingulos nos, & quicumque eamdem in poſterum profeſſionem emiſerint, vltra illud commune trium votorum vinculum, ſpeciali ad hoc voto adſtringi, vt quidquid modernus & alij Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint ad profectum animarum & Fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque prouincias nos mittere voluerint, ſine vlla tergiuerſatione aut excuſatione illico, quantùm in nobis fuerit (ſiue nos ad Turcas ſiue ad quoſcumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, ſiue ad quoſcumque hæreticos, ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſuis fideles mittendos cenſuerint) exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, antequam huic oneri humeros ſupponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta conſilium Dominicum poſſint conſummare, hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuãte, ſe laturos ſperent; & poſtquam, Domino inſpirante, huic Ieſu Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum aut prouinciarum huiuſmodi ambitio vel detrectatio, intelligant ſinguli, ſibi per ſe vel alium de huiuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice non eſſe curandum, ſed omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici tamquam eius Vicario, & Societatis Præpoſito dimittendam: cui quidem (ſicut ceteris) nihil de ſui ipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice curandum erit.

Voueant etiam ſinguli, ſe in omnibus quæ ad Regulæ huius noſtræ obſeruationem faciunt, Societatis Præpoſito (qui ad hoc munus quàm fieri poſſit idoneus, ad plura vota, prout in Conſtitutionibus declarabitur, eligetur) obedientes fore. Ille autem omnem eam auctoritatem & poteſtatem habeat ſupra Societatem, quæ ad bonam eiuſdem Societatis adminiſtrationem, correctionem & gubernationem vtilis erit. Iubeat autem ea, quæ ad conſtructionẽ propoſiti ſibi à Deo & à Societate finis cognouerit eſſe opportuna: & in prælatione ſua benignitatis ac manſuetudinis, caritatiſq; Chriſti, Petri Paulique formulæ ſemper ſit memor: & tam ipſe quàm Concilium prædictum ad normam hanc aſſiduè ſpectent. Singuli verò ſubditorum, tum propter ingentes Ordinis vtilitates, tum propter numquam ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitiũ, non ſolùm Præpoſito, in omnibus ad inſtitutum Societatis pertinentibus, parere ſemper teneantur, ſed in illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, & quantum decet venerentur.

Cùm autem experti fuerimus, iucundiorem, puriorem & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam ab omni auaritiæ cõtagione quàm remotiſſimam, & Euangelicæ paupertati quàm ſimillimam; cùmque ſciamus D. N. Ieſum Chriſtum ſeruis ſuis regnum Dei ſolùm inquirentibus, neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum; ſic voueant ſinguli & vniuerſi perpetuã paupertatẽ, vt non ſolùm priuatim, ſed neque etiam communiter poſſint Profeſſi, vel vlla eorum Domus aut eccleſia, ad aliquos prouentus, reditus, poſſeſſiones, ſed nec ad vlla bona ſtabilia (præter ea quæ opportuna erunt ad vſum proprium & habitationem) retinenda ius aliquod ciuile acquirere, rebus ſibi ex caritate donatis ad neceſſarium vitæ vſum contenti. Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipſius, & non ad ſcholaſtica ſtudia exercenda deſtinandæ erunt; cùm valdè opportunum fore alioqui videatur, vt ex iuuenibus ad pietatem propenſis, & ad litterarum ſtudia tractanda idoneis, operarij eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis noſtræ, etiam profeſſæ, velut quoddam ſeminarium exiſtant; poſſit Profeſſa Societas, ad ſtudiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, vbicumque ad ea conſtruenda & dotanda ex deuotione aliqui mouebuntur: quæ ſimul atque conſtructa

& do-

& dotanda, ex deuotione aliqui mouebuntur: quę ſimul atque conſtructa & dotata fuerint (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apoſtolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apoſtolica erigi ſupplicamus, ſeu pro erectis haberi: quæ Collegia poſſint habere reditus, cenſus ſeu poſſeſſiones, vſibus & neceſſitatibus Studentium applicandas; retentâ penes Præpoſitum vel Societatem omnimodâ gubernatione ſeu ſuperintendentiâ ſuper dicta Collegia & prædictos Studentes. quò ad Rectorum ſeu Gubernatorum ac Studentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, & circa Studentium inſtructionem, eruditionem, ædificationē ac correctionem, victus veſtitusque & aliarum rerum neceſſariarum eis miniſtrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam; vt neque Studentes dictis bonis abuti, neque Societas Profeſſa in proprios vſus conuertere poſſit, ſed Studētium neceſſitati ſubuenire. Qui quidem Studentes ingenij & morum indole tales eſſe debebunt, vt meritò ſperetur, poſt abſoluta ſtudia, ad Societatis functiones idoneos fore; & ſic demum poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint. Socij autem omnes cùm presbyteri eſſe debeant, ad dicendum Officium ſecundùm communem Eccleſię ritum, ſed priuatim & non communiter vel in choro teneantur. Et in ijs, quæ ad victum & veſtitum & cetera exteriora pertinent, honeſtorum ſacerdotum communem & approbatum vſum ſequentur: vt quod inde pro cuiuſque neceſſitate, vel ſpiritualis profectus deſiderio ſubtractum fuerit, ex deuotione & non ex obligatione rationabile obſequium corporis Deo, prout expediet, offeratur.

Hæc ſunt quæ ſub præfati domini noſtri Pauli & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtra profeſſione, typo quodam explicare potuimus; quod nunc fecimus, vt ſummatim informaremus tum illos qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros, ſi quos Deo volente imitatores vnquam habebimus huius vitæ. Quam cùm multas magnaſque habere annexas difficultates fuerimus experti, oportunum iudicauimus etiam ſtatuere, ne quis ad profeſſionem in hac Societate emittendam, niſi diuturnis & diligentiſſimis probationibus (prout in Conſtitutionibus declarabitur) eius vita & doctrina explorata fuerit, recipiatur: quia re vera hoc inſtitutum omnino humiles & prudentes in Chriſto & in Chriſtianę vitæ puritate ac litteris conſpicuos exigit. Imò & ij, qui in Coadiutores tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorum vtrique, poſt ſufficientes probationes & tempus in Conſtitutionibus expreſſum, vota ſua, ad deuotionem & meritum maius, nō quidem ſolemnia (præter aliquos, qui de licentia Prępoſiti generalis, propter ipſorum deuotionem & perſonarum qualitatem, tria vota huiuſmodi ſolemnia facere poterunt) ſed quibus teneantur, quamdiu Prępoſitus generalis in Societate eos retinendos eſſe cenſuerit, emittere debeant, prout in Conſtitutionibus latiùs explicabitur, non niſi diligenter examinati & idonei reperti ad eumdem finem Societatis, admittantur ad hanc Ieſu Chriſti militiam; qui tenuibus cœptis noſtris fauere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus & honor in ſæcula. Amen.

Quapropter conſiderantes, nihil quod pium ſanctumque non ſit in dicta Societate eiuſque laudabilibus inſtitutis, ac exemplari Ignatij & aliorum Sociorum prædictorum vita & moribus reperiri, eaque omnia ad ſuorum & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, & Fidei exaltationem tendere; Socios ac illorum Coadiutores prædictos, & ipſius Societatis Scholares à quibuſuis excommunicationis, &c. ſententijs abſoluentes, illoſque ſub noſtra & Apoſtolicę Sedis protectione ſuſcipientes, motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, erectionem & inſtitutionem Societatis, ac extenſionem numeri illius Sociorum, ac receptionis & admiſſionis Coadiutorum, ac omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates & condendi & alterandi Statuta & Ordinationes, ac alia quæuis indulta eidem Societati & illius Præpoſito, per prædeceſſorem noſtrum & Sedem huiuſmodi conceſſa &c. perpetuò approbamus & confirmamus &c.

Da-

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1550. XII. Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

## *Cap. III. De Regulis & Conſtitutionibus Societatis Ieſu. Excerptum ex Iulij Nigroni Commentarijs in Regulas communes eiuſdem Societatis.*

PEr *Regulam*, numero ſingulari ſumptã, à priſcis vſque ſæculis dico ſignificari præcipuè inſtitutum ſeu formam viuendi religioſam, non tam à reliquis Chriſtianis Religioſos diſtinguentem ( à quibus per tria vota ſubſtantialia ſatis ſuperque omnes ſecernuntur) quàm ab alijs ordinibus Religioſorum ſeparantem ; qui omnes in trium votorum, paupertatis, caſtitatis & obedientiæ obſeruatione conueniunt . Itaque religioſè viuendi præcepta, *S. Pachomio* tradita ab Angelo, S. Hieronymus interpretans, Regulam nominauit : formam à *S. Baſilio* monachis conſcriptam S.Benedictus Regulam appellauit. Quam *S.Benedictus* poſteà præſcripſit ſuis, Regulam item S. Gregorius Papa & S. Bernardus nuncuparunt. Eodem nomine notarunt formulas à ſe compoſitas S. *Iſidorus*, *S.Fructuoſus* & alij multi. Eadem eſt ſignificatio in Canonico Iure, cùm Innocentius II. Regulam *S.Benedicti, Baſilij* & *Auguſtini* nominat ; cùm Innocentius III. nouas Religiones fieri prohibens, iubet accipi Regulam de probatis, ab ijs qui de nouo religioſam domum erigunt, & Concilium Tridentinum, cùm præcipit puniri proprietarios iuxta ſuæ Regulæ conſtitutiones.

Regulæ ſub hac notione conueniunt illæ definitiones, quas ex Iſidoro Gratianus collegit; quarum optima mihi cũ Hugone Victorino videtur illa qua dicitur eſſe. *qua normam rectè viuẽdi præbeat.* Cui ſi addas, *hominibus religioſis*, erit magis propria, hoc modo : *Eſt præceptio qua modum rectè viuendi præbet hominibus religioſis.* Quæ non procul abeſt à deſcriptione Guilielmi Pariſienſis, cui dicitur vel *Doctrina, vel Ars, vel Prudentia, qua ſcitur vel docetur qualiter ſit viuendũ profeſſoribus ipſius.* Niſi fortè mauis breuiorem Innocentij VII. deſcriptionem : *Forma religioſè viuendi.* Ex eadem notione Regulæ denominantur *Regulares*, quemadmodum à Canone *Canonici* ( vt obſeruat Hugo ) religioſi, qui in monaſterio conſtituti, iuxta regularia præcepta SS.Patrum canonicè atque apoſtolicè viuunt. De hac ipſa Regula ſic accepta vera eſt doctrina Ioannis Andreæ, Iuris canonici conſultiſſimi, relata probataque à S.Antonino (quem cum alijs multis ſequitur Ioãnes Azor) ſolere *Regulam* à Papa probari : proinde hoc à *Conſtitutionibus* diſtingui, quòd illæ mutari poſſunt ab illis qui parem cum primis conſtituentibus auctoritatem habent. Regula verò mutari non poteſt niſi per Papam. Quæ diſtinctio verum habet in illis Ordinibus, qui poſt Regulam probatam à Papa, Conſtitutiones cõdiderunt; non autem in illis, quibus Cõſtitutiones ſunt pro Regula : vt docent poſt S.Antoninum Angelus de Clauaſio, Petrus Sutor, & alij communiter. Quæ limitatio facta eſt potiſſimùm propter Ordinem Cartuſienſem, qui Statutis pro Regula vtitur ; vt multis probat idem Petrus Sutor.

His poſitis dico, nos quoque *Regulam* habere ab Sede Apoſtolica per plures Pontifices ſummos approbatam. Etenim quamdam viuendi formulam, qua finis & alia ſubſtantialia comprehendebantur, B. Ignatius Paulo III. Pont. Max. probandam obtulit: qui anno 1540. probauit eam diplomate dato V. Kalendas Octobres. Eadem rurſus oblata Iulio III. decimo pòſt anno, diſtinctiùs & exactiùs inſtituti noſtri rationem exprimens, confirmata fuit XII. Kalendas Auguſti. Huius approbationis mentionem facit Concilium Tridentinum ſub Pio IV. excipiens Ordinem noſtrum à quadam lege generali. Verba ſunt hæc: *Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Soc. Ieſu iuxta pium eorum inſtitutum à S. Sede Apoſtolica approbatum, Domino & eius Eccleſiæ inſeruire poſſit.* Approbationis eiuſdem & confirmationis, eam renouando & corroborãdo, meminerunt item Gregorius XIII. Gregorius XIV. & Paulus

Suprà pag. 58. & 61. & tom. 1. Bullarij.

Bullarij to. 2. & 3.

lius V. in bullatis diplomatibus, quibus inſtitutum Societatis explicatiùs confirmauerunt.

Hanc formulam toties approbatam, *Regulam* noſtram appello; nec temerè. Nam duces ſequor Patres noſtros, in quinta Congregatione generali congregatos anno 1593. & 1594. qui in hæc verba decreuerunt: *Subſtantialia noſtri inſtituti ea in primis ſunt, quæ in formula ſeu Regula Societatis Iulio* III. *ſummo Pontifici propoſita, & ab eo aliiſque eius ſucceſſoribus confirmata continẽtur.* Ipſi verò tum auctoritatem B. Ignatij & Pontificum, tum rationem ſunt ſecuti. Nam B. Ignatius in Formula Iulio III. Papæ exhibita, quam anno 1550. comprobauit Pontifex, hæc verba ſcripſit: *Voueant etiam ſinguli ſe in omnibus, quæ ad Regulã huius noſtræ obſeruationẽ faciunt, Societatis Propoſito obediẽtes fore.* Quo loco liquidò apparet, eam Formulam Regulæ nomine decorari. Fauet huic appellationi Paulus III. cùm definit, appellari non poſſe à correctione Regulæ Societatis ſecundùm Ordinationes facta. Rationem quoque ſecuti ſunt; quia formulæ huic conuenit aptiſſimè definitio Regulæ religioſæ, quam diximus eſſe *Formam religioſè viuendi.* Conueniunt & alia, quæ Doctores in Regula perfecta requirunt: quòd à Papa ſit approbata; quòd mutari ſit nefas; quòd ex ea totus Ordo viuat, hoc eſt, ad eius præſcriptum regatur, & Deo famuletur.

Hîc objiciat aliquis, qua ratione dixerim habere nos Regulam approbatam, quando certum eſt (vt poſt Aluarum Pelagium S. Antoninus docuit, & communiter Doctores) quattuor tantùm eſſe Regulas ab Eccleſia probatas, *Baſilij, Auguſtini. Benedicti, Franciſci;* nec inter eas noſtram numerari, nec vllam ex illis enumeratis eſſe. Petrus Sutor, ſui Ordinis Cartuſienſis defendendi ſtudioſus, reſpondit multis ab hinc annis, id commentum eſſe ſine fundamento ſolido ſparſum in vulgus. Tradit enim viuendi formam *Cartuſianorum* à S. Brunone ex doctrina religioſa S. Hieronymi, Caſſiani & S. Benedicti collectam, ore atque vſu traditam diſcipulis, ſine ſcripto multos annos in Ordine obſeruatã; tandem in Statutis, quibus pro Regula vtuntur, deſcriptam, fuiſſe probatam, cum toto eorum viuendi modo, ab Alexandro III. & Cæleſtino III. Pontificibus. Proinde non poſſe dici, tantùm quattuor eſſe Regulas approbatas: quia eorum forma viuendi primæua, cum alijs Conſtitutionibus aggregata, ſub appellatione Statutorum approbata eſt. Equidẽ neque recedendum exiſtimo à cõmuni modo loquendi Doctorum; neque poſſum negare, plures quàm quattuor eſſe Regulas approbatas. Video Regulam ordinis *S. Trinitatis* ab Innocentio III. probatã fuiſſe; quod apparet in Regiſtro Epiſtolarum Decretalium ipſius: Regulam *Carmelitarum* ab Alberto Patriarcha Ieroſolymorum compoſitam, ab Innocentio V. confirmatam proprio diplomate. Legi quoque approbationem Regulę noui Ordinis *Clericorum qui miniſtrant infirmis*, factam 1591. à Gregorio XIV. Nec dubito quin aliæ multæ ſint Regulæ probatæ; cùm videam in Eccleſia Dei religioſos Ordines planè diuerſos ab illis quattuor, quorum Regulæ probatæ feruntur, non habitu ſolùm, ſed etiam inſtitutis. Neque verò, poſt decretum Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. de non inſtituendis nouis Ordinibus religioſorum ſine permiſſu & approbatione Sedis Apoſtolicę, renouatum ſub Gregorio X. à Concilio Lugdunenſi, credibile eſt nouas Regulas ſine approbatione fuiſſe toleratas. Itaque vera eſt doctrina S. Antonini de quattuor Regulis hoc ſenſu; Quattuor eſſe tantùm Regulas approbatas Iure communi, ſiue quarum vel mentio vel confirmatio in Corpore Iuris canonici reperitur. Etenim ex Regula *S. Baſilij*, Latinè à Ruffino reddita, Gratianus non vno in loco Decreta collegit tamquam ex octaua Synodo: quod arguit in ea vel approbatam fuiſſe, vel inſertam. E Regula *S. Auguſtini* multa item excerpſit, & in Cauſſam XII. & in alias tranſtulit. Adde, videri probatam à Gelaſio, vbi approbat opuſcula S. Auguſtini, inter quæ Regula numeratur: vt in Controuerſia cum Caſinenſibus coram Pio IV. fuit allegatum. Quod pro Regula S. Baſilij valerę quoque poteſt, cuius opuſcula probantur ab eodem Gelaſio. Regulam *S. Benedicti*, manu ipſius ſcriptam legiſſe, laudaſſe, confirmaſſe in Synodo quadam S. Gregorium Papam, traditur à Caſinenſibus, ex quodam priuilegio monaſterij Sublacenſis. Eamdem approbaſſe viſus eſt, cùm *diſcretione præcipuam & ſermone luculentam vocauit.*

Suprà pag. 58.

Meminit eiuſdem Honorius III. in Decretalibus de ſtatu monachorum. Trium ſimul *SS. Baſilij, Auguſtini, Benedicti* mentio fit ab Innocêtio II. *in c. Perniciosam in Decretis.* Regulæ quartæ, ſcilicet *S. Franciſci*, quamuis approbatio facta per diploma ab Honorio III. non inueniatur in Iure; tamen eius mentio eſt in Conſtitutione Nicolai III. in libro ſexto Decretalium, & Clementis V. in Clementinis. Itaque Regula noſtra, licet nulla de ea ſit in Iure canonico mentio (quia recentior eſt illo) tamen æquè probata eſt à Sede Apoſtolica, atque illæ quattuor; ſi non magis: quoniam à multis Pontificibus, æqualis auctoritatis cum illis antiquis, probata eſt & confirmata, præuia conſultatione, re bene perpenſa, verbis expreſſis, & inſuper commendata luculenter. Paulus III. atteſtatur eam *Euãgelicis conſilijs & canonicis Patrum ſanctionibus*, Iulius III. *Euangelicæ veritati & SS. Patrum ſanctionibus eſſe conformem.*

Solent quidam ſciſcitari ex nobis, vtrum ex Regula viuamus, an ex Conſtitutionibus. Quæ diſtinctio eſt vſitata Iuriſperitis, qui vident pleroſque Ordines ſub aliqua ex quattuor approbatis Regulis militare, quoſdam verò proprijs Conſtitutionibus pro Regula dirigi, quemadmodum de Cartuſianis & alijs diximus. Huic quæſtioni ſic opinor reſpondendum; Viuere nos tum ex *Regula* ab Apoſtolica Sede probata, tum ex noſtris *Conſtitutionibus*, quæ breuitatem Regulę ſuppleuerunt; quia & his & illa regimur in diuino famulatu. Hactenus de prima parte Iuris noſtri ſcripti, cui Regulæ nomen conuenit. Suprà pag. 53.

II. Secunda pars noſtri Iuris ſcripti eſt liber *Conſtitutionum*, quas B. Ignatius, iuſſu Pontificis, aliorum Ordinum exemplo, rationeque ſuadente ſcripſit accuratiſſimo ſtudio, & multis precibus ac lacrymis diuinum lumen expoſcens. Has ante mortem ex Hiſpanico ſermone Latinas factas in Societatem vniuerſam tamquam in experimentum miſit; poſt mortem prima generalis noſtra Congregatio probauit; tum Pontifices Maximi Gregorius XIII. Gregorius XIV. & nouiſſimè Paulus V. nominatim confirmauerunt. Nomine verò Conſtitutionum Nouitij doceantur intelligi librum illum, qui tria continet; primò *Examen*, quod Conſtitutionibus præmittitur tamquam præambulum, & legendum traditur ijs qui Societatem ingrediuntur; deinde *Conſtitutiones* ipſas in decem partes diſtributas; poſtremò *Declarationes*, quæ tamquam ſcholia Conſtitutionibus adiunguntur. Hæ non minorem habent auctoritatem Conſtititutionibus, ſed æqualem vt dicitur in proœmio: proinde ſub nomine Cõſtitutionum allegantur, quia ſcriptæ ſunt à B. Ignatio: quemadmodum liquidò patet ex actis primæ Congregationis generalis, vbi verſio Latina, ex autographo B. Ignatij Hiſpanico recognita, probatur, & edi iubetur, anno 1558. die 10. Septembris. Hîc, quod inſtitutæ diſputationi congruit, dico primùm, eas numero multitudinis Regulas appellari poſſe; & nonnumquam à maioribus noſtris appellatas hoc nomine. Poſſe dici, ratio duplex manifeſtò docet. Prior eſt ex eo, quòd Regulæ nomen aptè conuenit Legibus, vt ſuprà probatum eſt. At ex Iſidoro & Gratiano Lex non eſt aliud quàm Conſtitutio ſcripta. Quod patet etiam in toto Titulo De Conſtitutionibus, quaſi dicatur, De legibus eccleſiaſticis: vbi Gloſſa docet agi de Iure ſcripto. Quamobrem cùm noſtrę Conſtitutiones non ſint niſi ſcriptæ leges, quibus vniuerſus Ordo regitur, vt quæuis Reſpublica & ciuitas legibus ſuis, fatendum eſt, Regulas dici poſſe. Ratio poſterior eſt, quia Regulę definitiones omnes à Gratiano collectæ (*quòd rectè ducat, nec aliquando alior ſum trahat, quòd regat, quòd normam rectè viuendi præbeat, quòd diſtortum prauumque corrigat*) & ſi quæ ſunt aliæ, facilè ad Conſtitutiones accommodantur, quæ in primæ Regulæ ſubſidium & declarationem ſcriptæ ſunt. Quam ob cauſſam, vt tradit Ioannes de Indagine, Theologus Cartuſianus, Statuta Cartuſianorum Pontifices appellarunt Regulas. Vocitatas verò Regulas, planum eſt ex decreto LXXVI. ſecundæ Congregationis, vbi habentur hæc verba: *Regulæ generales, quæ incipiunt, Summa ſapientia, integra conſeruentur.* Eſt autem ſermo de Summario Conſtitutionum, quod Kalendis vniuſcuiuſque menſis legitur in menſa. Dico deinde hunc librum non eſſe librum Regularum, quem commentari cupimus: quia communiter ille Conſtitutionum liber dicitur, hic verò Regulas alias continet, prętér Summarium Conſtitutionum.

III. Tertia pars ſcripti Iuris complectitur Congregationum generalium leges; quę cùm ſiunt

ſiunt in Congregatione, vocantur à maioribus noſtris Decreta, quia decernendo ſiunt. Cùm verò vulgantur, vt ad omnium notitiam perueniant, ea Decreta quæ debent ab omnibus obſeruari, *Canones* nominantur: quia tamquam leges omnibus imponuntur. Cùm ergò probatum ſit idem eſſe planè Canonem & Regulam, quis non videt & Regulas potuiſſe nuncupari? Verùm obtinuit vſus, vt Græco vocabulo Canones dicantur, non Regulæ Latino. Propterea patet librum Regularum, quem interpretaturi ſumus, non eſſe librum Canonum qui eduntur à Congregationibus, ſed aliarum quarumdam Regularum, de quibus mox agendum. Hîc obiter pro iuuenibus, Nouitiorum Magiſtris ſuggero, non eſſe vllam arrogantiæ notam in hac appellatione Canonum; licet ea vox œcumenicis Cõcilijs vſitata ſit. Nam Patres primi noſtri Ordinis qui eam vſurpauerunt, id humili ac religioſa imitatione, pioque affectu fecerunt; rati ſe rectè facturos, ſi vocabulis ſacrarum Synodorum in re ſimili vterentur: pręſertim quòd *Canon*, vt ſæpè dictum eſt, non aliud ſonet niſi Regulam. Quòd ſi non licuit id verbum ad res noſtras transferre, quia Synodis ſit in vſu: neque licebit *Decretum* dicere, quia vox hæc Tridentino Concilio eſt vſitata: neque vlli Ordini Religioſorum ſuas leges licitum erit appellare *Conſtitutiones*; quoniam Pontificię leges ſcriptæ, tum in libris Decretalium, tum in ipſis Pontificijs diplomatibus, quę ſingulis diebus emanant in vulgus, *Conſtitutiones* vocitantur. Sed ſpero fore, vt nemini poſthac dubitatio de hac re veniat in mentem, quando Paulus V. in diplomate confirmatorio Societatis, Canones quoque noſtros & Decreta probat, hæc ipſa vocabula vſurpans.

IV. Quarta pars ſcripti Iuris noſtri habet *librum Regularum*, quem nunc manibus & cogitatione verſo. Hic tria genera Regularum continet, à quibus inſcriptionem accepit. Primę Regulę *Summarij* dicuntur, eę que omnes è libro Conſtitutionum exſcriptę ſunt & in ſummulam collectę, quę *Summarium* dicitur. Secundo loco ſunt *Regulæ*, quę dicuntur *Communes*: has ego Commentarijs aſceticis illuſtrare inſtituò pro meo virili. Tertium genus Regularum, quę hoc libro comprehenduntur, eſt earum quę nõ omnes obligant, vt alia duo priora, ſed particulares perſonas, quæ illa munera & officia adminiſtrant. Hæ ſunt Regulæ Superiorum, qui Societatem ſub Præpoſito generali gubernant; Sacerdotum, Concionatorum, Æditui, Coqui, & aliorũ Coadiutorum, qui aliquod publicum officium exercent. In Ordine *Prædicatorum* (qui pręter S. Auguſtini Regulam quam profitentur, habent Conſtitutiones cum Declarationibus & Decreta Capitulorum generalium) exſtat etiam liber De inſtructione Officialium, ab Humberto Generali V. conſcriptus: cui planè reſpondent noſtræ Regulę Officiorum poſtremi generis. Quę appellatio placuit quoque *Clericis regularibus S. Pauli*; qui ſimiles Ordinationes, quibus in ſuis officijs Adminiſtri & Gubernatores Ordinis diriguntur, Regulas appellauerunt. Verùm non ampliùs licet nec de re, nec de nomine huius libri Regularum dubitare, poſt Pauli V. confirmationem. In qua præter cetera monet, ne quis machinetur aliquid *contra Societatis Inſtitutum*, *Conſtitutiones*, *Decreta*, *Canones*, *Regulas*, *Ordinationes*. Nam Inſtituti nomine formulam ſeu *Regulam* videtur intellexiſſe: *Conſtitutiones* ſuo libro continentur: *Decreta* ſunt Congregationum generalium definitiones: *Canones* ſunt earumdem Decreta, quę vulgantur: *Ordinationes* à Præpoſitis generalibus emanant. Itaque ſupereſt vt per *Regulas* Pontifex hunc librum intellexerit: qua nominatione probare illum atque confirmare putandus eſt. *Sic ferè Nigronus initio ſuorum Commentariorum ad Regulas communes Soc. Ieſu.*

## *Cap. IV. Regulæ communes Societatis Ieſu.*

I. Singuli præfinitum ſibi tempus ſuæ conſcientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant, cum omni diligentia in Domino. II. Omnes quotidie Sacro decenter interſint, & concionem lectionémve ſacram, cùm in templo noſtro habebitur, audiant. III. Singuli ſtatuto die, & aſſignato ſibi Confeſſario confiteantur, & non alteri, ſine Superioris facultate. IV. Omnes (qui profeſſi

aut formati Coadiutores non ſunt) bis in anno ſua vota renouabunt, præmiſſa Confeſſione generali: quo tempore rationem ſuæ conſcientiæ reddent, & quoties etiam Superiori viſum fuerit, iuxta morem Societatis. V. In Abſtinentia ſextæ feriç Societatis conſuetudo ſeruetur. VI. Nullus mortificationem publicè faciat, nec concionetur, niſi Superiore approbante. VII. Nemo pecuniam apud ſe habeat; apud alium verò nec pecuniam, nec quidquam aliud. VIII. Libros nemo habeat ſine facultate: in ijs verò, quibus vti licet, nec ſcribat quidquam, nec notam vllam imprimat. IX. Nemo rem vllam ex domo, vel ex alterius cubiculo ſibi vſurpet, aut ab externo, quouis modo, ſibi aut alij accipiat, ſine Superioris licentia.

X. Ad maiorem vnionem eorum qui in Societate viuunt, maiuſque auxilium eorum apud quos habitant, ſinguli addiſcant eius regionis linguam, in qua reſident; niſi fortè ipſorum natiua illic eſſet vtilior: ſalua tamen Latini ſermonis lege in ijs qui litteris dant operam. XI. Nullus ita cubiculum ſuum claudat, quin aperiri extrinſecus poſſit, aut arcam ſeu quidquam aliud habeat obſeratum, abſque Superioris facultate. XII. Aperta feneſtra nemo noctu dormiat, nec ſine induſio aut non coopertus. XIII. Nemo cubiculo egrediatur niſi decenter veſtitus. XIV. Nemo eorum, qui ad domeſtica miniſteria admittuntur, aut legere diſcat aut ſcribere; aut ſi aliquid ſcit, plus litterarum addiſcat; nec quiſquam eum doceat, ſine Præpoſiti generalis facultate: ſed ſatis eis erit, ſancta cum ſimplicitate & humilitate Chriſto Domino noſtro ſeruire. XV. Signo campanæ, cōſtitutis horis, audito, omnes ſtatim, vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocātur, ſe conferant. XVI. Vt conſulatur valetudini, nemo extra conſueta tempora bibat, nec extra domum cibum ſumat abſque facultate Superioris. XVII. Qui malè ſe habere præter ſolitum ſenſerit, id Infirmario, vel Præfecto ſanitatis, aut Superiori referat. Nemo verò medicinā vllam accipiat, aut medicum eligat vel conſulat, niſi approbāte Superiore. XVIII. Singuli, etiamſi ſacerdotes ſint, cùm primùm ſurgunt, lectum operiant, eumque & reliqua componant hora conſueta, & ſcopis cubiculum verrant, tertio ſaltem quoque die; exceptis ijs qui ob occupationes maioris momenti aut valetudinis cauſſa, indicio Superioris ſubleuandi ſunt. XIX. Munditieſ, quæ & ad valetudinem & ad ædificationem confert, omnibus curç ſit, tam circa ſeipſos, quàm circa alia omnia.

XX. Qui grauem tentationem alicuius nouerit, Superiorem admoneat, vt ei ipſe, pro paterna in ſuos cura ac prouidentia, conuenienti remedio poſſit occurrere. XXI. Quç à Superioribus circa adminiſtrationem agenda ſunt, nemo curioſè ab alijs exquirat, aut coniecturā faciendo de ijs ſermonē miſceat; ſed vnuſquiſque ſibi ac muneri ſuo attendēs, quidquid de ſe atque alijs conſtituendum erit, tamquam de manu Dei expectet. XXII. Omnes caput aperiāt ſuis Superioribus, & ſacerdotibus ij qui ſacerdotes non ſunt; diſcipuli etiam ſuis præceptoribus. Vnuſquiſque autem Superiores alloquatur magna cum reuerentia: is verò, quē Superior alloquitur aut reprehendit, humiliter & ſine interpellatione audiat. XXIII. Si cui à Superiore denegatum aliquid fuerit, alium Superiorem ne audeat ſuper ea re, quin ei aperiat quid ſibi ab alio fuerit reſponſum, & quas ob cauſſas negatum. XXIV. Cui fuerit alicuius rei cura commiſſa, ſi impedimentum aliquod interuenerit, maturè admoneat aliquem è Superioribus, vt prouideat. XXV. Nemo cùm ex vno loco in alium proficiſcitur, quidquam ſecum aſportet, ſine facultate Superioris. XXVI. Extra tempora recreationi aſſignata, hac ratione ſilentium ſeruandum eſt, vt nemo loquatur, niſi obiter & perpaucis, aut de rebus neceſſarijs, præſertim in Eccleſia, Sacriſtia & Refectorio: in Miſſa verò, concione, menſa, lectionibus & diſputationibus, ſi quid priuatim neceſſe erit, breuiſſimè & ſubmiſſa voce ſuggeratur. XXVII. Nemo præter eos qui à Superiore deputati fuerint, loquatur cum ijs qui in prima probatione verſantur. Excipiuntur tamen vſitatæ ſalutationes, quas, cùm alij alijs obuij fiunt, caritas religioſa exigit. XXVIII. Omnes demiſſa voce, vt Religioſos decet, loquātur, nulluſque cum alio contendat: ſed ſi qua in re nobis eſt diuerſa ſententia eaque videtur manifeſtanda, rationes modeſtè & cum caritate afferantur, eo animo vt ſuus veritati ſit locus, non vt in ea re ſuperiores videantur. XXIX. Qui facultate accepta ægro-

tos

tos inuiſent, non ſolùm demiſſa voce loquantur, ſed tanta etiam moderatione, vt illis moleſti non ſint: atque de ijs agant quæ & exhilarare & conſolari ægrotos, circumſtanteſque ædificare in Domino poſſint.

XXX. Caueant ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de alijs nationibus ſiniſtrè ſentire aut loqui ſolent: quin potiùs & benè ſentiant, & peculiari affectu diuerſas à ſua nationes proſequantur in Domino; ac proinde nemo bella, contentioneſúe inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat. XXXI. Nemo præter eos, quibus per Superiorem licet, quidquam alijs iubeat, alioſúe reprehendat. XXXII. In alterius officium nemo ſe ingerat; in locum verò alieno miniſterio deputatum nullus ingrediatur, ſine facultate Superioris, aut Præfecti illius loci, in rebus neceſſarijs. XXXIII. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, ſine generali aut ſpeciali Superioris facultate; quòd ſi aliquis intus ſit, non priùs aperiat oſtium quàm poſt pulſum audiat, Ingredere, & tamdiu aperta ſit ianua, quamdiu intus vnà fuerint. XXXIV. Vt ea, quæ Religioſos decet, grauitas & modeſtia retineatur, nemo alium etiam ioco tangat, præterquam in ſignum caritatis amplexando, cùm quis aut abit aut redit peregrè. XXXV. Nemo dum menſæ accumbit, cuiquam ex noſtris, præterquam ei Superiori, qui præeſt toti Domui aut Collegio, caput aperiat; & cùm aliquid in menſa cuiquam deeſt, is qui illi aſſidet, admoneat eum qui miniſtrat. XXXVI. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet, ſine facultate generali aut particulari Superioris. XXXVII. Nemo cuiuſquam externi ad domeſticum, aut domeſtici ad externum mandata deferat aut litteras, inſcio Superiore; ſæculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temerè & ſine fructu narrentur. XXXVIII. Nemo quæ domi acta vel agenda ſunt externis referat, niſi Superiori id probari intelligat. Conſtitutiones verò, alioſúe huiuſmodi libros aut ſcripta, quibus Societatis inſtitutum vel priuilegia continentur, non niſi ex Superioris expreſſo conſenſu, ijs communicet. XXXIX. Nemo ſcriptas dabit aut mittet cuiquam externo vel domeſtico inſtructiones ſpirituales aut meditationes; nec exercitia ſpiritualia Societatis alicui communicabit, niſi à Superiore id approbetur.

XL. Nemo ab externis conſilium petat, ſine facultate Superioris. XLI. Nemo cuiuſquam negotij, etiam pij, ſine facultate Superioris, curam ſuſcipiat, nec ad id operam ſuam promittat, aut ſe propenſum oſtendat. Sæcularia verò negotia, vt quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena, & vehementer à ſpiritualibus auocant, multò magis auerſari conuenit. XLII. Omnes pro ratione ſui gradus, data commoda occaſione, enitantur pijs colloquijs proximum ad meliora promouere, & cõſilio atq; exhortatione ad bona opera, præſertim ad Confeſſionem excitare. XLIII. Nullus domo egrediatur, niſi quando, & cum quo ſocio, Superiori viſum fuerit. XLIV. Cùm quis facultatem à Superiore petit aliquò eundi, ſimul etiam aperiat, quò & cuius rei cauſſa ire velit; præſertim ſi Prælatus aut alius vir primarius conueniendus ſit: eademque die referat eidem, quid egerit, ſicuti ipſum velle intelliget, & res poſtulauerit. XLV. Ingreſſuri egreſſurìve domo tintinnabulum nec vehementiùs nec crebriùs pulſent, quàm par eſt. Nemo autem niſi conſueta domus ianua egrediatur vel ingrediatur. XLVI. Qui domo egrediuntur, ſignabunt ſua nomina, quæ prope oſtium domus in tabula deſcripta ſunt, & admonebunt ianitorem quò ſint profecturi. XLVII. Omnes ante noctem, qui foris ſunt, ſe domum recipiant, nec egrediantur ante lucem, ſine facultate Præpoſiti vel Rectoris. XLVIII. Cùm quis iter faciens tranſit per locum, vbi Domus aut Collegium Societatis ſit, ad aliud hoſpitium ne diuertat; eiuſque, qui illic præeſt, obedientię ſubſit in omnibus, ſicut & reliqui qui in eadem Domo vel Collegio commorantur. Quòd ſi quis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non niſi ex eiuſdem conſilio ac directione tractabit. XLIX. Singuli has Regulas, & officiorum ſuorum habeant atque intelligant, ſibique faciant familiares, ac earum memoriam menſibus ſingulis, eis legendis vel audiendis renouent: qui tamen peculiaria miniſteria Coadiutorum obeunt, eas, quæ ad ipſorum officia pertinent, ſingulis hebdomadis repetant.

Regulas haſce communes Commentarijs aſceticis, & quidem pereruditis, *Iulius Nigronus*

*gronus* Genuenſis illuſtrauit. Hiſtoriam Societatis Ieſu *Nicolaus Orlandinus* & *Franciſcus Sacchinus* eleganti ſtilo ſcripſerunt. Catalogus Scriptorum illuſtrium à *Petro Ribadeneira* concinnatus, & ab *Andrea Schotto* auctus; vt & Catalogus Prouinciarum, Domorum ac Collegiorum eiuſdem Societatis, in omnium ſunt manibus.

# CLERICORVM BONI IESV CONGREGATIO.

RAuennæ in Æmilia, *Margarita* virgo, ſanctitate, miraculis & dono prophetiæ clara, Congregationem presbyterorum inſtituit, ſub nomine *Boni Ieſu*, quæ adhuc viget, non inde egreſſa. Meminerunt eius Franciſcus Turrianus, Paulus Morigia ordinis Ieſuatorum,& Baſilius Serenus Canonicus regularis Lateranenſis, qui tradit iuuiſſe ad eius erectionem Seraphinum Firmanum Canonicum regularem. Obtinuiſſe facultatem profitendi multò pòſt à Pio IV. prodit Carolus à Tapia Iuriſconſultus. Ita Nigronus in Commentarijs ad Regulas communes Soc. Ieſu, Tituli particula 3. cap.20.

Barboſa Iuris eccleſ.lib. 3.cap.41. dicit dictam Margaritam (cuius vita extat in Auctario tom. 7. Surij) in Congregationis iſtius inſtitutione vſam fuiſſe miniſterio duorum piorum ſacerdotum vrbis Rauennenſis, videlicet *Leonis* & *Hieronymi*. Habet autem hæc Clericorum regularium familia Priorem Generalem, quem annis ſingulis eligunt: & geſtant habitum clericalem,qualem ferè Presbyteri Soc. Ieſu; ſed pileo vtuntur prorſus rotundo: vt idem Barboſa tradit. Maurolicus in Oceano Religionum lib.5. dicit eos non tantùm Rauennæ, ſed & Romæ, itemque in Tuſcia habere ſua domicilia.

Vt ad Margaritam virginem vitæ innocentia ac ſanctitate ſuo æuo celeberrimam redeat oratio,
1505. ea in Domino obdormiuit die 20.Februarij, anno Chriſti quinto ſupra milleſimum quingenteſimum: vt Hieronymus Rubeus libro 8. De geſtis Rauennatum refert; ex quo ſua hauſit Iacobus Moſander, tomi ſeptimi Suriani concinnator. De eiuſdem Margaritę vita commentarium ſcripſit Seraphinus Firmanus,Canonicus regularis Lateranenſis.

FINIS.

CLE-

# CONGREGATIO SOMASCENORVM SEV S. MAIOLI PAPIENSIS.

## CAPVT I.

## *Origo, progreſſus & ſtatus Clericorum Somaſcenorum.*

CLericorum Somaſcæ Congregationem *Hieronymus Æmilianus*(verna-
culè *Mianus* ) patritius Venetus, Clemente VII. Pontifice, excitauit.
Huic à *Somaſca*,pago ſeu municipio inter Bergomũ & Mediolanum ſi-
to,vbi primùm illius fundamenta ſunt iacta, nomen eſt. Eidem familiæ
nondum profeſſæ 1540. Paulus III. conceſſit facultatem eligendi Su-
periorem ex ijs qui Hoſpitalibus & Orphanotrophijs inſeruiunt,& ſta-
tuendi Decreta pro locorum oportunitate. Poſtmodùm *Ioannes Petrus
Carafa*,vnus ex Theatinorum fundatoribus,cùm eſſet Cardinalis, Congregationem So-
maſcenſem cum Theatina vniendam curauit; litteris Romæ die 8. Nouembris 1546.
ſcriptis. Sed idem ipſe ad ſummum Pontificatum aſſumptus,& Paulus IV. dictus,Somaſ-
cenſem Congregationem à Theatina ſeparauit,& priſtinum tantummodò inſtitutum ſer-
uare præcepit: vt in eius Conſtitutione die 13. Nouembris 1555. data legitur. Cùm au-
tem fructuoſis incrementis hæc Cõgregatio adoleſcere cœpiſſet, eam *Pius V*. in Religio-
num numerum cooptauit, & ſub Regula S. Auguſtini militare iuſſit, concedens faculta-
tem emittendi tria ſolemnia vota; & Congregationi impoſuit nomen *Clericorum regu-
larium S. Maioli Papienſis ſeu Somaſcæ*: vt in eius Conſtitutione 1568. die 6. Decembris
data legitur. Anno proximè ſequenti 1569. die 28. Aprilis,qui SS. Petro Martyri & Ca-
tharinæ Senenſi ſacer eſt, primi Patres ſolemni ritu profeſſionis vota nuncuparunt. Idem
Pius V. conceſſit,vt Præpoſitus generalis non teneatur Papiæ reſidere, ſed vt loca Con-
gregationis perluſtret, & vbi oportunitas videbitur,moretur. Congregationis bona Six-
tus V. à iuriſdictione & poteſtate Ordinariorum 1585. exemit. Priuilegia, Conſtitutio-
nes & Statuta Clemens VIII. 1594. & Paulus V. 1605. confirmarunt. Vtuntur huius
Congregationis clerici habitu ſimili habitui Societatis Ieſu. Habent Prouincias quattuor,
videlicet *Romanam*, *Venetam*, *Mediolanenſem* & *Gallicam*; itemque Præpoſitum genera-
lem ad triennium. Habitant Romæ ad S. Blaſium in monte Citorio. De hoc Ordine
agunt Paulus Morigia lib. 1. cap. 68. De origine Religionum, Silueſter Maurolicus in
Oceano Religionum lib. 5. Andreas Stella & Auguſtinus Tuttura in vita Hieronymi
Æmiliani: qui quidem obijt Somaſcę VI. Idus Febraurij,anno milleſimo quingenteſimo 1537.
triceſimo ſeptimo, ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto. Sic ferè Auguſtinus Barboſa lib. 1.
Iuris eccleſiaſtici cap. 41.

Maurolicus libro citato tradit,anno 1531. in Italia annonæ caritate grauiter labora-
tum fuiſſe, ob bella inter Hiſpanos & Gallos multis annis geſta: atque inde factum, vt
multi,præſertim orphani fame perirent. Quibus in vnum colligẽdis, alendis & inſtruen-
dis *Æmilianus*, vir nobilitate,opibus & prudentia apud Venetos clarus, poſt varias fun-
ctiones pro patria obitas,totum ſe tradidit; hortante in primis *Io. Petro Carafa*, paulò antè
laudato, qui tunc Venetijs cum ſuis ſocijs agebat. Huius piiſſimi inſtituti fama cùm ad
*Franciſcum II. Sfortiam*,Ducem Mediolanenſem, perlata eſſet, illud ipſum mirificè pro-
mouit

mouit;domicilium ad pauperes orphanos Mediolani excipiendos, & annuos cenſus ad eoſdem ex publico ærario alendos attribuit. Ita Maurolicus.

Ioannes Bap. Caſtaldus, in vita B. Caietani Thienæi, aſſerit Somaſcenos à die 9. Nouembris, anni 1546. vſque ad 13. diem Decembris, anni 1556. ſub Theatinorum regimine vixiſſe. His conſonant ea, quæ paulò antè ex Barboſa retulimus.

## *Cap.* 11. *Paulus* III. *Congregationem Clericorum Somaſcenorum approbat anno* 1540.

Bullarij. tom. 1.

PAulus Papa III. ad perpetuam rei memoriam. Pro parte dilectorum filiorum, vniuerſorum pauperum Orphanorum S. Mariæ Magdalenæ, in ſuburbio S. Leonardi *Bergomenſis*, & *Mediolanenſis*, *Comenſis*, *Ianuenſis*, *Papienſis*, *Brixienſis* & *Veronenſis*, ciuitatum ac diœceſum, *Hoſpitalium Recollectorum* nuncupatorum, ac tam eccleſiaſticarum quàm ſæcularium perſonarum in eis deſeruientium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm aliàs quondam *Hieronymus Miani*, ciuis Venetiarum, plures pauperes orphanos, propter bellorum in Italia vrgentium triſtes euentus & famem vrgentem, paſſim derelictos vagari videret, idem Hieronymus deuotionis feruore & pietate motus prædictum Hoſpitale S. Mariæ Magdalenæ incohauit: & deinde Hoſpitale prædictum, tam propter ciuium in ciuitate Bergomenſi degentium feruentem caritatem, quàm prouidam directionem & ſalubre regimen prædicti Hieronymi, in tantum auctore Domino creuit, vt idem Hieronymus ad alia hoſpitalia in alijs Italiæ partibus inſtituenda animum applicarit: ita quòd tam in Mediolanenſi quàm Comenſi & alijs ciuitatibus ac diœceſibus prædictis ſimilia, & in quibuſdam ex eis *mulierum conuertitarum* Hoſpitalia, dicto Hieronymo & nonnullis alijs mediantibus, erecta fuerint. Vnde Hoſpitalia ipſa de bono in melius perducuntur in dies, eorum numerus augetur, & augeri ſperatur. Et ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, ſi in eiſdem Hoſpitalibus, quę per dictos Clericos & laicos inſimul gubernari conſueuerunt, vnus Superior vel caput, qui inibi pro tempore ſeruientes congregari facere, & de loco ad locum mutare valeret, exiſteret, Hoſpitaliaq; ipſa aliquibus prærogatiuis decorarentur, profectò ſalubri ipſius Hoſpitalis, & illi deſeruientium prædictorum directioni & quieti plurimùm conſuleretur, ac in illis degentes pauperes huiuſmodi & meliùs gubernarentur & pertractarentur, dictæque perſonæ in eo confouerentur, & ad ſolita ſeruitia inuitarentur. Quare pro ipſorum pauperum & deſeruientium perſonarum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui caritatis opera vbique exerceri ſinceris deſideramus affectibus, quemlibet ex pauperibus perſonis prædictis à quibuſuis excommunicationis ſententijs, &c. abſoluentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium eiſdem Hoſpitalibus, quòd pauperes & perſonæ in eis pro tempore degentes & deſeruientes vnam ex perſonis inibi deſeruientibus huiuſmodi eccleſiaſticam vel ſæcularem, inter eos Superiorem vel caput, quæ ipſos congregari facere, ac de loco ad locum mutare, & quæcumque Statuta & Ordinationes, licita & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, condere, ipſaque Statuta, quoties ei videbitur, mutare ac de nouo ſtatuere poſſit, eligere: nec non ſacerdotes eiſdem pauperibus pro tempore deſeruientes, Horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, Miſſas & alia diuina Officia, ſecundùm ritum & morem & vſum S. Romanæ Eccleſiæ, etiam nouiſſimè editum, dicere & recitare: ipſoſque pauperes, ac omnes & ſingulos in dictis Hoſpitalibus deſeruientes dumtaxat (eorum confeſſionibus diligenter auditis) ab eorum omnibus & ſingulis peccatis, caſibus, criminibus, exceſſibus & delictis, à quibus locorum Ordinarij abſoluere conſueuerunt, abſoluere, ac pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere, liberè & licitè valeant, perpetuò concedimus & indulgemus. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris *Caſertano*, *Feltrenſi* & *Viſonenſi* Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus

ipſi

ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe vel per alium ſeu alios, auctoritate noſtra faciant
præſentes litteras,& in eis contenta quæcumque, plenum effectum ſortiri, ac inuiolabi-
liter obſeruari; illiſque pauperes, ſacerdotes prædictos,ac omnes & ſingulos alios, quos
quomodolibet concernunt, pacificè frui ac gaudere, iuxta præſentium continentiam &
tenorem; non permittentes quemquam contra illorum tenorem modo aliquo moleſta-
ri, impediri aut inquietari; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione
poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Marcum, anno 1540.
Incarnationis Dominicæ 1540. Nonis Iunij, pontificatus noſtri anno ſexto.

## *Cap. III. Pius V. Papa Somaſcenis dat eccleſiam S. Maioli Papienſis, & tribus votis religioſis ipſos adſtringit.*

PIus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Iniunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſer- Bullarij tom. 2.
uitutis officium dignè peragere credimus, ſi ad ea per quæ Congregationes, præſer-
tim *Orphanorum* cauſa inſtitutæ, faciliùs ſtabiliri & firmiùs conſeruari valeant, conſi-
derationis aciem extendamus. Sanè exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij, ſacerdotes,
clerici & laici Congregationis loci de SOMASCHA, Mediolanenſis diœceſis, dudum
canonicè inſtitutæ, quòd aliàs fel. rec. *Paulus* Papa *Tertius*, prædeceſſor noſter, Congre-
gationi prædictæ, cuique *Hieronymus Æmilianus*, olim patricius Venetus, vir eximia pie-
tate inſignis, Spiritu ſancto, vt piè creditur, afflatus, omnibus ſæculi curis poſthabitis, ini-
tium anteà dederat, quamque multi illius exemplo adducti amplexi fuerant, & in *Ia-
nuenſi*, *Mediolanenſi*, *Ferrarienſi*, alijſque Italiæ ciuitatibus & vrbibus acciti illam dilata-
uerant) caput ſibi eligendi, Conſtitutiones condendi facultatem conceſſit, eamque ab
Ordinariorum ſuperioritate, iuriſdictione & poteſtate exemit, ac tam ille quàm deinde
piæ memoriæ *Pius* Papa IV. etiam prædeceſſor noſter dictam Congregationem nonnul-
lis alijs priuilegijs & gratijs proſecuti fuerunt: necnon ſucceſſiuè dilectus filius noſter
CAROLVS, tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis BORROMÆVS nuncupatus, ſuffi-
cienti ad id facultate, vt aſſerebat, ſuffultus, dictæ Congregationi eccleſiam *S. Maioli Pa-
pienſis*, olim per monachos Clunianenſis ordinis obtineri ſolitam, certis annuis reditibus
illi aſſignatis, donauit: Noſque poſtmodum donationem prædictam Apoſtolica aucto-
ritate approbauimus; prout in ſingulis prædeceſſorũ & Caroli Cardinalis prædictorum
patentibus ac noſtris litteris deſuper confectis pleniùs continetur. Quarum litterarum
vigore, prædicti ſacerdotes, clerici & laici eccleſiam prædictam in domum patrimonta-
lem, & tamquam aliarum eccleſiarum dictæ Congregationis *caput*, pro futuris, *Præpoſito*
qui inibi reſideat, ac vnà cum alijs deputandis profeſſis, non ſolùm illius ſed etiam alia-
rum eccleſiarum eiuſdem Congregationis curam, regimen & adminiſtrationem habeat,
necnon Profeſſis, qui dicto Præpoſito reuerentiam & obedientiam præſtent, ſibi dele-
gerunt. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, licet ijdem ſacerdotes, clerici &
laici religiosè admodùm viuant, ac præcipuè inter alia pietatis opera, *Orphanorum* in diſ-
ciplina Chriſtiana, boniſque artibus & litteris, ſecundùm cuiuſque ingenij captum, eru-
diendorũ, ac nonnullis in locis Seminariorũ clericorũ curam ſummo cum ſtudio gerant,
ac propterea dubium non ſit, quin hæc Congregatio perpetuò duratura ſit. Nihilominùs
quia plerique illorũ, ob profeſſionem non emiſſam, exiſtimantes ſe non verè Religioſos,
ab illa recedũt, & ad aliquam religionẽ conuolant; alij pauperes, non habentes titulũ be-
neficij aut patrimonium, repugnante Concilio Tridentino, ad Ordines promoueri ne-
queuntes, aut alijs rationibus adducti, aliud viuendi genus eligunt, multi ipſius Cõgrega-
tionis ſacerdotes, clerici & laici, ad firmiùs ſtabiliendã huiuſmodi Congregationẽ, & ad
obuiandũ hiſce & alijs inconuenientibus, tria vota, videlicet paupertatis, caſtitatis & obe-
dientiæ, emittere ſummoperè deſiderant, ſi ad id noſtra Sediſque Apoſtolicæ ſuffragetur
auctoritas. Quare ijdem ſacerdotes, clerici & laici nobis ſupplicari fecerunt, quatenus illi
vota prædicta, in manibus alicuius Prælati eccleſiaſtici, emittendi licentiã concedere, &

aliàs perpetuæ illius Congregationis conſeruationi,& Orphanorum prædictorum vtilitati conſulere, oportuneque prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui pijs honeſtiſque petentium votis gratum ſolemus præſtare aſſenſum, dictorum ſacerdotum, clericorum & laicorum piam vitam, optimumque viuendi modum,& inſtituti propoſitũ plurimùm in Domino collaudantes,ipſoſque & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis &c. ſententijs abſoluẽtes,huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictis ſacerdotibus, clericis & laicis, vota prædicta emittere volentibus,illa in manibus alicuius Prælati eccleſiaſtici,per Congregationem huiuſmodi ad id eligendi (donec ſex ex ipſis fuerint profeſſi, & ſibi *Præpoſitum* ipſius Congregationis *Generalem*, ſecundùm illorum Conſtitutiones factas ſeu faciendas, eligendum & confirmandum elegerint) & deinde dictis ſex profeſſis,& electo Præpoſito, omnibus & ſingulis alijs Chriſti fidelibus, etiam in Orphanotrophijs educatis & eruditis, dictam Religionem ingredi volentibus,in ipſius Præpoſiti ſeu illius Vicarij manibus emittẽdi & profitendi, ac ſub Regula *S. Auguſtini*, in habitu tamen clericali & honeſto, ac locis in quibus vixerint conformi incedendo, viuendi, nec non Prælato & Prępoſito, Vicarioque prædictis vota huiuſmodi in manibus illorum recipiendi,liberam facultatem concedimus: ac quòd infra triennium proximè futurum hi, qui per decennium in dicta Congregatione laudabiliter vixerint, vota pręedicta emittere volentes, non expectato anno probationis,triennio verò elapſo huiuſmodi, alij ipſa vota emittere volentes, non niſi elapſo anno probationis, & completo anno decimo ſexto ſuæ ætatis,in eccleſia pręedicta aut alibi,vbi commodiùs Pręepoſito ſeu Vicario viſum fuerit, vota pręedicta (ita vt non ſit locus tacitę profeſſioni) emittere & profiteri: quodque præfati & pro tempore exiſtentes Præpoſitus,ſacerdotes, clerici & laici ſub dicta Regula, ſecundùm Conſtitutiones per eos factas ſeu faciendas,viuere: omniaque & ſingula, quęcumque, quodcumque & qualiacumque bona mobilia,ſeu immobilia, dictę Congregationi ſeu illius locis vel eccleſijs ab Vniuerſitatibus, Communitatibus, & alijs etiam priuatis perſonis cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis,qualitatis & pręeminentiæ exiſtant, teſtamento vel codicillis,aut alia vltima voluntate,ſeu donatione etiam inter viuos, aut aliàs quomodolibet, nec non oblationes, ſibi relicta & relinquẽda recipere,exigere, & in communi tantùm poſſidere,liberè & licitè poſſint & valeant.: quodque de cetero Congregatio pręedicta *clericorum regularium S. Maioli*, ſiue de *Somaſcha* appelletur, ſimiliter perpetuò ſtatuimus & ordinamus: ac inſuper quomodocumque relicta Congregationi pręedictę, & non aliter,expreſſo & declarato loco, ex nunc prout & tunc, & è contrà eccleſię *S. Maioli*, ita quòd liceat pro tempore exiſtenti Pręepoſito, per ſe vel alium ſeu alios, dictorum relictorum fructus & emolumenta,in ſibi bene viſos & neceſſarios vſus,& vtilitatẽ eccleſiæ S. Maioli,& Congregationis pręedictę, liberè & licitè conuertere, Diœceſani loci vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita,auctoritate & tenore pręmiſſis,etiam perpetuò applicamus & appropriamus,&c.Datum Romę apud S.Petrum,ſub annulo Piſcatoris die ſexto
1568. Decembris, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, pontificatus noſtri anno tertio.

## *Cap.* IV. *Congregatio Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia vnitur cum Congregatione Somaſcena, an.* 1616.

PAulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij, *Antonius Vigerius* Pręepoſitus, ac Clerici ſęculares Congregationis *Doctrinæ Chriſtianæ* in ciuitate Auenionenſi canonicè inſtitutę, quòd ipſi feliciori eiuſdem Congregationis ſtatui & augmento conſulere volentes, eamdem Congregationem Congregationi clericorum Regularium *Somaſchæ*,aliàs *S.Maioli Papienſis* per nos vniri & incorporari deſiderant; & proptereà infraſcripta Capitula cum dilectis etiam filijs Pręepoſito & Clericis regularibus dictę Congregationis Somaſchę ſtatuerunt, quę à venerabilibus fratribus

tribus noſtris, S. R. E. Cardinalibus, negotijs Regularium præpoſitis, recognita & approbata fuerunt; tenoris ſequentis, videlicet:

*Conuentiones firmata ac ſtabilita inter Clericos regulares Congregationis de Somaſcha & Patres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in regno Galliæ, pro vnione facienda vtriuſque Congregationis. Quod quidem negotium à Sanctiſſimo D. N. fuit commiſſum ſacræ Congregationi Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium, negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum.*

I. In primis igitur Doctrinæ Chriſtianæ Patres, eorum que ſucceſſores in perpetuum ſecum retinebunt inſtitutum docendi Doctrinam Chriſtianam paruam, mediocrem & magnam, iuxta laudabilem eorum conſuetudinem, quam inuiolabiliter ſeruabunt, & in ijs domibus quas nunc poſſident, & in ijs quas in poſterum poſſidebunt in toto regno Galliæ. II. R. P. *Cæſar de Bus*, vir pietatis eximiæ, Congregationiſque Patrum Doctrinæ Chriſtianæ, in regno Galliæ primus parens & inſtitutor, habeatur in Religione pro auctore, vt reuerà fuit, huius ſanctiſſimi inſtituti Doctrinam Chriſtianam in dicto regno Galliç populos docendi. III. Patres Doctrinæ Chriſtianç in Gallia vocari deinceps, poſt factam vnionem, debebunt *Patres Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Somaſchæ, ſeu S. Maioli Papienſis*, & priuilegia omnia erunt communia. IV. Sub obedientia viuent Præpoſiti generalis de Somaſcha, qui ſemel ſingulis triennijs per ſe vel per alium ab eo deſtinandum eos viſitabit. Ceterùm eorum regimen & gubernatio in toto regno Galliç, in domibus tam acquiſitis quàm acquirendis, ſit penes Superiores Gallos: & Prouincialis ſimiliter Gallus eligendus per Capitulum generale de Somaſcha eis inſtituatur. Qui quidem erit vnus ex duobus vel tribus Patribus nominatis ſiue propoſitis à Capitulo Prouinciali ipſius Prouinciæ Galliæ, tempore debito congregato. V. Cuius Prouincialis auctoritas erit, de loco ad locum perſonas mutare; Nouitios per ſe vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere; Concionatoribus concionandi facultatem concedere, dummodo ab Epiſcopis locorum licentiam ſeu benedictionem, ad formam Concilij Tridentini, obtineant; & alia facere, quæ Viſitatoribus dictç Congregationis Somaſchç conceduntur. In reliquis autem tanta ſit eius auctoritas quanta à Capitulo Prouinciali conceditur eidem. Debebit tamen Prępoſitum generalem, vbi commodè poterit, conſulere, vel ſaltem de ſingulis magni momenti rebus certiorem facere. Prouincialis, ſtatim atque erit electus, cenſeatur eſſe & ſit ipſo facto de gremio Capituli generalis, in quo vocem actiuam & paſſiuam habeat. Eius officium per triennium durabit. Ad Capitulum generale cùm accedet, ſocium vnum ſeu Diſcretum antea à Capitulo Prouinciali electum deducet: qui quidem ſocius in Capitulo generali interueniet, cum vtraque voce. VI. Quòd ſi contingat Prouincialis obitus; eo caſu Superior, profeſſione ſenior, cenſeatur electus. VII. Ad Capitulum Prouinciale ſpectabit, cum maiore parte votorum, noua loca, præuio tamen Epiſcoporum conſenſu, & ſeruata forma Clementis Octaui, recipere; recepta deſerere; Superiores locales eligere vel deponere; reos, ſi qui erunt, punire, aut innocentes abſoluere; curam monialium ordinariam pro Confeſſionibus audiendis, de conſenſu & licentia eorumdem Epiſcoporum, recipere; bona in vniuerſum in toto regno Galliæ ipſi Congregationi relicta; alicui loco particulari aſſignare; Nouitios quadrageſimum annum excedentes, vel qui alterius Religionis habitum habuerint, & debitam tranſeundi facultatem à Sede Apoſtolica obtinuerint, ad probationem admittere; exemptiones diuturnas maximè ſenibus & Studentibus ad tempus, non autem perpetuò & ex cauſſa impertiri; locum pro Capitulo Prouinciali proximè congregando determinare. VIII. Inſuper Capitulo Prouinciali (quod menſe Septembri præcedente Capitulum generale conuocandum erit) præter Prouincialem, intereſſe debebit quilibet Superior localis, vnà cum ſocio ſeu Diſcreto, à Capitulo conuentuali eiuſdem loci (dummodo ſex ſaltem ibi reſideant) eligendo.

Quare pro parte primò dictæ Congregationis fuit nobis humiliter ſupplicatum, quatenus vnionem & incorporationem huiuſmodi facere dignaremur. Nos pijs Clericorum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere volentes, de eorumdem Cardinalium conſilio dictam *Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ*,

in prædicta ciuitate Auenionenſi inſtitutam, *Congregationi Somaſchæ* prædictæ (ita vt vnum corpus Congregationis efficiant, ac Clerici dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, Regulas & Conſtitutiones ſecundò dictæ Congregationis Somaſchæ, ab Apoſtolica Sede approbatas ſeruent & profiteantur, necnon Capitula prædicta adimpleantur & etiam ſeruentur, ſaluis tamen limitationibus & modificationibus infraſcriptis, videlicet quòd Prouincialis prædictus exemptiones diuturnas huiuſmodi, nonniſi ex cauſſa alicuius impedimenti, concedere poſſit aut debeat) Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò vnimus & incorporamus: nec non cum dicto *Antonio*, vt infra quattuor menſes à die cœptæ probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, profeſſionem per dictos Clericos Congregationis Somaſchæ huiuſmodi emitti ſolitam expreſsè emittere liberè & licitè valeat, auctoritate & tenore prædictis indulgemus, ac cum eodem diſpenſamus. Ceteros verò primodictæ Congregationis Clericos, antequam profeſſionem huiuſmodi emittant, annum probationis integrè complere debere; ac Clericos ſecundò dictæ Congregationis in Galliam, pro inſtructione dictorum presbyterorum, mittendos, in Statu Eccleſiaſtico regni Galliæ locorum Superiores, etiam ſi non ſint Galli, eligi poſſe ſtatuimus. Non obſtanti-
1616. bus &c. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem, die 11. Aprilis, 1616. pontificatus noſtri anno vndecimo.

## *Cap.* V. *Elogium Hieronymi Æmiliani: ex Ph. Ferrario.*

HIERONYMVS Æmilianus, patricius Venetus, varijs pro Republica Veneta muneribus egregiè perfunctus, bello, ex Cameracenſi fœdere, aduersùs Venetos æſtuante, ad fines ipſorum tutandos deſtinatur. Qui ab exercitu Maximiliani Cęſaris in Caſtro nouo obſeſſus, captus & vinculis conſtrictus, ope ſanctiſſimę Virginis Deiparę eripitur, ac per medios hoſtes deductus Taruiſium incolumis peruenit. Tanti autem haut immemor beneficij, patrimonio pauperibus diſtributo, valedicens ſęculo, in pietatis ſe officijs cœpit exercere. Non modò Venetijs, ſed & in alijs Italię vrbibus pueros parentibus deſtitutos in vnum collegit, & in extructis à ſe ędibus alendos curauit: quod & circa puellas pręſtitit. Multis autem peragratis vrbibus, in Somaſcę caſtro (quod in diœceſi Mediolanenſi ſitum, inter Bergomum & Larium lacum occurrit) demùm ſubſtitit: ibique multis ad eum confluentibus alumnis, Congregationis Somaſcenſis fundamenta iecit, multis fulgens miraculis. Nam cùm fame multi in proximis regionibus, ob victus inopiam, conficerētur, ipſe pane in gremio ſuo diuinitus aucto non ſolùm ſuos, ſed etiam exteros quoſque aduentantes pauit. Ita verò dęmonibus erat formidoloſus, vt eos à multis obſeſſorum, ad ſe catervatim aduenientium, corporibus eijceret. Spiritu quoque prophetico afflatus, multa, quæ ita euenêre, prędixit. Denique obitus ſui pręſcius,
1537. annum 56. agens ętatis, die 9. Martij ceſſit è vita, anno reparationis noſtrę 1537. Hactenus ex vita per Andream Stellam, Congregationis Somaſcenſis Prępoſitum generalem, ſcripta. Ceterùm Hieronymus Æmilianus Officio nondum colitur Eccleſiaſtico: & licet nulla hactenus Sedis Apoſtolicę conceſſione eum vt Beatum venerari datum ſit; multo tamen eius ſepulcrum, ob patrata miracula, habetur in honore. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italię, 1613. Mediolani edito.

## *Cap.* VI. *Domus Hoſpitalaria & Collegia Somaſcenorum.*

PApię, ad ędem S. Maioli; beneficio S. Caroli Borromei.
Romę, ad S. Blaſij, in monte Citorio; cum cura Collegij Gręcorum à Gregorio XIII. fundati, & Collegij Clementini.
Mediolani, ad S. Martini in vrbe, & Columbarię extra vrbem.

Cre-

Cremonę, Domus Miſericordię. Placentię, ad ędem S. Stephani.
Comi, ad S. Marię de Rondineto. Alexandrię, ad S. Syri.
In Laude Pompeia, ad S. Andreę templum. *Lodi.*
Venetijs, ad SS. Ioannis & Pauli; cum cura Seminarij vniuerſalis.
Bergomi, ad S. Martini. Brixię, Domus Miſericordię.
Maceratę, ſub ditione Pontificia, ad ædem S. Ioannis Baptiſtæ.
Ferrariæ, ad ædem S. Marię, vulgò *S. Maria Bianca.*
Neapoli, ad ædem B. Virginis Lauretanæ.
Senis, ad Innocentes. Regij, ad Innocentinos, vt vulgò vocant.
Vercellis, in Bethania, ſub ditione Ducis Sabaudiæ.
Genuę, Dertonæ, & alibi in Italia.
Viennæ in Gallia, Domus Miſericordiæ.
Auenione, ſub ditione Pontificia, & alibi in Gallia.

Præter Auenionenſem, & alię plures Clericorum Doctrinæ Chriſtianę Domus Gallicanæ anno 1616. ad Congregationem Somaſcenam ſunt tranſlatę: iuxta Conuentiones à Paulo V. approbatas, quas ſuprà cap. 4. recitaui. Notet tamen Lector, non omnes dictorum Clericorum Domos Somaſcenis adiunctas fuiſſe; ſed ex ijs nonnullas (puta, decem plùs minùs) Presbyteris Oratorij Domini Ieſu, à Petro Berullo Cardinale in Gallia fundati, attributas fuiſſe.

## *Cap.* VII. *Qui ſæculares, qui regulares Clerici.*

DVę ſunt clericorum in Congregatione viuentiũ claſſes. Vna eſt CLERICORVM, vt vocant, SÆCVLARIVM, qui tribus ſolemnibus votis religioſis non ſunt adſtricti. Tales ſunt *Presbyteri Oratorij* in Italia, à S. Philippo Nerio; *Presbyteri* item *Oratorij Domini Ieſu* in Gallia, à Petro Berullo Cardinale; & *Oblati S. Ambroſij*, à S. Carolo Borromęo Cardinale & Archiepiſcopo Mediolanenſi, partim noſtro, partim ſuperiore ſęculo inſtituti. Huic item claſſi videntur adſcribendi *Clerici* ſeu *Fratres vitæ communis*, de quibus ſuprà fusè egimus. Pag. 1. & ſeqq.

Altera claſſis eſt CLERICORVM REGVLARIVM: quales ſunt *Theatini* & *Paulini* à Clemente VII. *Societas Ieſu* & *Somaſceni* à Paulo III. *Miniſtrantes infirmis* & *Clerici Minores* à Sixto V. *Clerici* item *Scholarum piarum* à Paulo V. Pontificibus Maximis approbati. Ex his Clericis regularibus à me enumeratis *Somaſceni* ſub Regula S. Auguſtini; alij verò ſub ſuis ſinguli Conſtitutionibus, à Sede Apoſtolica approbatis, militant: vt ex Pontificum Romanorum bullatis diplomatibus, partim ſuprà à me recitatis, partim infrà recitandis, cuiuis datur intelligi. Vnde liquet Cruſenium, Pennottum & alios labi, qui vt ſui Ordinis præſtantiam commendent, *Paulinos* (vt de alijs nihil dicam) Regulę Auguſtinianę adſcribunt.

FINIS.

# CONGREGATIO ORATORII A S. PHILIPPO NERIO INSTITVTA.

## *Caput* 1. *Gregorius* XIII. *Congregationem Presbyterorum Oratorij approbat, eidemq; eccleſiam parochialem S. Mariæ in Vallicella attribuit anno* 1575.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c. Cùm parochialis eccleſia B. Mariæ *Vallicella* nuncupata, regionis Pontis ſeu Parionis de Vrbe, per liberam reſignationem dilecti filij Antonini de Adiuto, nuper ipſius eccleſiæ Rectoris, vacauerit & vacet ad præſens: & ſicut dilectus filius *Philippus Nerius*, presbyter Florentinus, ac Præpoſitus nonnullorum Presbyterorũ & Clericorum ſæcularium, tam ſuo quàm aliorum Presbyterorum & Clericorum præfatorum nominibus, nobis nuper expoſuit, quòd hi in ipſa eccleſia introduci cupiant, ac ita, illis gratia aſſiſtente diuina, circa Miſſarum & aliorum diuinorum officiorum in eadem eccleſia celebrationem, & verbi Dei populo inibi intereſſenti prædicationem, aliaque ſalubria monita, ad ſalutem animarum Chriſti fidelium procurandam, & quàm plurima pietatis opera exercenda intendere ſperent, vt ex eorumdem Presbyterorum & Clericorum laudabili vita & doctrina, dilecti filij ipſius eccleſiæ parochiani non paruam conſolationem ſpiritualem ſuſcepturi ſint, ſi in eadem eccleſia vna Congregatio Presbyterorum & Clericorum de *Oratorio* nuncupanda perpetuò erigeretur & inſtitueretur, ipſaque eccleſia, cum onere curæ animarum illius parochianorum præfatorum, eidem Congregationi concederetur, ex hoc profectò diuinus cultus ac miniſtrorum eccleſiaſticorum numerus in ea, ad Dei laudem & eorumdem Chriſti fidelium animarum ſalutem, maximum ſuſciperet incrementum. Quare dictus PHILIPPVS &c. nobis humiliter ſupplicauit, quatenus præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui diuini cultus augmentum & Chriſti fidelium animarum ſalutem ſinceris deſideramus affectibus, pium & laudabile *Philippi* Præpoſiti, ac Presbyterorum & Clericorum præfatorum deſiderium ſummopere commendantes, ipſoſque Philippum Præpoſitum, ac Presbyteros & Clericos à quibuſuis excommunicationis ſententijs abſoluentes, &c. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dicta eccleſia vnam Congregationem Presbyterorum & Clericorum ſæcularium de *Oratorio* nuncupandam, ſine alicuius præiudicio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuò erigimus & inſtituimus: illique ſic erectæ & inſtitutæ eccleſiam præfatam cum onere curæ animarum illius parochianorum præfatorum, alijſque omnibus & ſingulis oneribus & honoribus ac annexis, necnon omnibus bonis, cenſibus, iuriſdictionibus, fructibus, reditibus & prouentibus, alijſque iuribus & pertinentijs ſuis eidem Congregationi, auctoritate Apoſtolica & te-

nore præfatis etiam perpetuò concedimus & aſſignamus. Ita quòd liceat ipſi Congregationi, illiuſque Rectori, Presbyteris, Clericis & Procuratoribus ſeu agentibus vel deputatis, per ſe vel alium ſeu alios, eorum & dictæ Congregationis nomine, eccleſiæ & annexorum ac bonorum iuriumque & pertinentiarum præfatorum corporalem & realem & actualem poſſeſſionem, propria auctoritate, liberè apprehendere, & etiam perpetuò retinere, curamque animarū eidem eccleſię imminentē per ſeipſos presbyteros, ſeu vnum vel plures ex eis ſiue per alium vel alios presbyteros (illis tamen priùs à dilecto filio noſtro, Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, in dicta Vrbe & eius diſtrictu, Vicario in ſpiritualibus generali, ſeu Sede præfata approbatis) exercere vel exerceri, eidemque eccleſiæ in diuinis deſeruire ſeu deſeruiri facere, illiuſque fructus, reditus & prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcumque percipere, exigere & leuare, ac in ſuos & Congregationis, ac eccleſiæ præfatorum vſum & vtilitatem conuertere: necnon eidem Congregationi, illiuſque Rectori ac Presbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus, vt pro ſalubri ſtatu & directione eccleſię & Congregationis huiuſmodi, illiuſque perſonarum quæcumque Statuta & Ordinationes, rationabilia, honeſta ac ſacris Canonibus & Concilio Tridentino non contraria edere, & edita reformare, limitare & mutare, ac alia de nouo condere, prout & quoties eis, ſecundùm rerum & temporum qualitates, videbitur expedire; quæ quidem Statuta & Ordinationes, poſtquam edita, reformata, limitata & mutata, ac de nouo condita fuerint, à Sede præfata approbari, & per ſingulares perſonas, de gremio dictæ Congregationis exiſtentes, inuiolabiliter obſeruari debeant, liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolicâ & tenore præfatis indulgemus, liberamque deſuper facultatem concedimus & elargimur, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Idibus Iulij, pontificatus noſtri anno quarto. 1575.

INSTITVTA

# CONGREGATIONIS ORATORII S. MARIÆ IN VALLICELLA DE VRBE A B. PHILIPPO NERIO FVNDATÆ.

*Iuxta exemplar Romæ anno* 1612. *excuſum.*

ORATORII Congregatio, à *B. Philippo Nerio* moribus potiùs erudita quàm legibus adſtricta, nullam, ad Religioſorum hominum conſuetudinem, propriam ſibi Regulam habuit, ad quam conſultationes dirigeret rerum gerendarū. Etenim Pater optimus omnium conſilia, pro cuiuſque ingenio, ſolitus paterno moderari affectu, ſatis habuit ad pietatem ſimul inflammatos in ipſa rerum humanarum deſpicientia *Chriſti* amore feruentiores videre ſuos, & quæ diuturna experientia ad probitatem aſſequendam, Deumque promerendum eis placere nouerat, & in dies prodeſſe, tamquam à Domini ſpiritu probare & confirmare. Et hanc viam meritò ſæcularibus Presbyteris ille monſtrauit, licet à Religioſorum inſtitutis diſtantem, qui Congregationem non ſe auctore, ſed Deo Optimo Maximo duce ac perfectore inſtitutam ſæpè dicebat. Ea igitur, quæ vel ipſe hac ratione condenda curauit, vel ab eius inſtitutione inter Congregationis noſtræ homines conſuetudine recepta, ac deinceps perpetuò ſeruata, vt breuiter cognoſci poſſint, ſummatim collecta ſunt:

De Oratorio, & Oratione.
De Eccleſia, & Diuinis Officijs.

De

De ſalutari familiarium ſermonum vſu.
De ſtatu Congregationis Oratorij perpetuo.
De Præpoſiti, & quattuor Presbyterorum Deputatorum electione & munere.
De admittendis in Congregationem, & eijciendis.
De Tironum inſtitutione.
De præcipuis noſtrorum obſeruationibus.
De veſtitu, & conſuetudine familiari.
De triclinio & communi menſa.

## *Cap. 1. De Oratorio, & Oratione.*

VEre locum orationi deſtinatum Oratorium dicimus. Nam familiaris in ipſo nata diuini verbi tractatio, poſt hæc tractanda, iam adulta, & in eccleſiam noſtram tranſlata nomen minùs accommodatè retinuit Oratorij; in quo ſcilicet tàm exteri quàm noſtri quotidiè veſperi poſt orationem, quam dicimus mentalem, conſuetas Litanias recitant, aut ſingulis ter hebdomadis, quæ eſt voluntaria corporis caſtigatio, ſupplicio flagellorum ſeſe afficiunt. Feſtis item diebus à Kalendis Nouembris vſque ad ſanctam Chriſti Domini Reſurrectionem,non modò ſupplicationibus,ſed etiam familiari cohortatione, & muſico concentu excitantur ad cœleſtia contemplanda. A Reſurrectione viciſſim Dominica vſque ad Kalendas Nouembris, poſt officium veſpertinum in eccleſia à noſtris decantatum, & auditũ Sermonem, in ſuburbanum quempiam locum,vel(ſi per calores æſtiuos non liceat ) in templum aliquod ad has rerum diuinarum tractationes intra Vrbem conuenire ſolent. Singulis prætereà diebus Dominicis, niſi noſtro ſit in templo concionandum , manè lectis Litanijs, & Sermone oportuno de documentis præſertim Euangelicis familiariter habito, declarantur ex exteris, qui ſeptem primarias Vrbis eccleſias, ac tres domos infirmorum publicas hoſpitales infra hebdomadam aliquando viſitent. Harum omnium cura rerum Præfectum attingit Oratorij, è noſtris conſtitutum ſacerdotibus, vel Adiutorem; vt alteruter his ritibus præſit, ſalutique confluentium conſulat externorum, quibus etiam præſenti ope pietatis officia in valetudinarijs erga ægrotos feſtis diebus proponat exercenda. Ex exteris item fratribus idoneos ad certa Oratorij munia deligat, & in primis Rectorem; caueatque ne vlla ex parte conſtitutioni derogetur, quam Congregatio his verbis expreſſam voluit: Præfectus Oratorij noſtri nullo modo permittat exteris Officialibus in eo conſtitutis, vt in aliquid ſe rerũ aut negotiorum ingerant , ad ipſum locum vel inſtitutum quoquo modo pertinentium, quod ipſe non eis præſcripſerit: nullum enim huiuſmodi ius aut poteſtatem habere poſſunt. Ne quid prætereà innouetur ibi hactenus obſeruatum, de rebus præſertim grauibus ad Oratorium ſpectantibus quibuſcumque Præpoſitum Congregationis noſtræ conſulat, penes quem rerum Oratorij & Congregationis eadem eſt gubernatio. Hæc ſatis, vt appareat qua via ſint externi frequentiores in Oratorio ad contemplationem & amorem diuinorum promouendi.

Noſtris autem eiuſmodi inſtituto magis deditis id etiam maximè adhibendum, quod à B. PHILIPPO Patres edocti ad hunc modum conſtituerunt: Horas ſuas quilibet habeat meditationibus præſtitutas, in quibus maiores quotidie progreſſus faciat, Deum cęleſtiaque amando & appetendo: quod Superiores pro ſua caritate ac prudentia ſæpiùs vnumquemque admonere, & quî huiuſmodi ſtudiorum fructus conſtet, animaduertere debebunt. Habent igitur quę orationi & meditationi ſeponant ſtata tempora,& pręter hortatorem Præpoſitum, quem audiant, etiam Sacerdotem ſacris familiæ noſtræ confeſſionibus audiendis præfectum, qui pro ſua quemque prudentia ad hæc diuina ſtudia vel ſegniorem incitare ſolet, vel nimis incitato, cùm fuerit conſentaneum, moderari. Ceterùm ob alias plurimas occupationes ſibi proximiſque ſalutares,aliud nullum manè, vel die orandi tempus ac ſpatium ſibi præfinitum capiunt & conſignatum, quàm quod arbitratu quiſque ſuo eiuſmodi meditationibus & ſacris precibus piè ſanctèque dederit.

Ad

Ad veſperum autem,ſicuti dictum eſt,in Oratorium publicum externis etiam quibuſque viris patens & expoſitum ad orationem, vnde nomen accepit, ſeduli conuenire debent. Sed de omni orationis & flagellorum in Oratorio ritu & conſuetudine, deque pijs externorum officijs, infrà poſt alias Conſtitutiones, in huius capitis appendice agendum eſt.

## *Cap. 11. De eccleſia, & Diuinis officijs.*

Congregationis noſtræ Sacerdotes, vtpote diuinorum adminiſtri, in eccleſia, feſtis præſertim diebus, frequentes adſunt. Alij confluentibus diuina Myſteria præbent, alij ad ſacras Cõfeſſiones audiendas intenti, à prima luce ad horam vſque prandij,è ſubſellijs ſuis, non niſi neceſſitate impulſi,recedunt. Sacrum omnes quotidie peragunt,& ceteri inſeruiunt, potiſſimùm Clerici:qui cùm res ipſa ſacra ſolemniori ritu & muſico concentu celebranda eſt, benè manè deſcendentes in ſacrarium, Sacerdotes pia diligentia ſacris veſtibus ornant, & ſolemni ſacrificio præſentes, ac diuerſa munera obeuntes, ab ipſa ſacrorum cuſtodia aut eccleſia, dum datur Diuinis opera, numquam recedunt. De rebus autem ad eccleſiam ſpectantibus hæc ſunt noſtris propoſita Decreta.

In eccleſia noſtra nullæ erunt ſtatuæ vita functorum, ſiue ex marmore, ſiue ære, ſiue gypſo, aut alia materia. Diebus feſtis ſemper ſolemni apparatu tam Miſſa quàm Veſperæ celebrabuntur. Erunt etiam Veſperæ ſolemnes in Vigilijs Corporis CHRISTI, Natiuitatis B. MARIÆ Virginis, & Conſecrationis eccleſiæ noſtræ ad X. Kal. Iunij, cuius octauæ redditur Officium, & infra eam gratiſſima nobis recurrit memoria dormitionis B. Philippi Patris noſtri, ad VII. ſcilicet Kal. Iunias. Præterea intra octauam Corporis CHRISTI Veſperas quotidie decantamus. Singulis ſimiliter annis IV. Kal. Februarij dies feſtus SS. PAPIÆ & MAVRO martyribus ſolemni apparatu celebratur, & manè eius diei feſti res ſacra Diacono & Subdiacono miniſtris peragitur. Veſperæ in Vigilia, & ipſo die feſto muſico concentu decantantur. Porrò in Vigilia etiam Matutinæ laudes ante cœnam,coram ſacris eorum Reliquijs, à Sacerdotibus & Clericis noſtris vnà recitantur, vt debitus honor patronis eccleſiæ & Congregationis exhibeatur. In tranſlatione verò,quæ contigit III. Idus Februarij,idem ſeruatur; Miſſa tamen & Veſperæ ſolemniter non decantantur. Dies etiam feſtus S. Gregorij Papæ, Congregationis & eccleſiæ noſtræ patroni,IV. Idus Martij eſt nobis, tàm in primis Veſperis quàm in Miſſa, admodum ſolemnis. Alios item Sanctos, quorum ſacris Reliquijs vel inſignioribus aucti ſumus,eccleſiaſticis officijs ſingulariter veneramur. Nam IV. nonas Maij, *Nereum, Achilleum,* & *Domitillam* martyres, duplici: VII. Nonas Iulij *Patermuthium*, *Copretem* & *Alexandrum* martyres, quibus dicatum eſt altare, ſemiduplici: VI. Kalendas Auguſti *Pantaleonem* martyrem, ſemiduplici: XI. Kalendas Nouembris *Vrſulam* & ſocias virgines & martyres,ſemiduplici: XIX. Kalendas Ianuarij *Spiridionem* Epiſcopum & confeſſorem ſemiduplici ſimiliter proſequimur. Quamuis verò noſtri Eccleſiaſticis officijs, Veſperis dierum feſtorum exceptis, eccleſiam non frequentent: cùm tamen habetur aliqua ſingularis celebritas anniuerſaria, vt die feſto Purificationis B *Mariæ* Virginis ad Candelas, in Capite ieiunij ad Cineres, Dominica Palmarum ad Oliuas, conſuetis maioris Hebdomadæ diebus ad Matutinas, Miſſam, aliaſque ſolemnes eius temporis ceremonias; die inſuper feſto omnium Sanctorum ad Veſperas, præter conſuetas, etiam defunctorum, item ad Matutinas, ſicut manè ad Miſſam; nocte tandem Natiuitatis D.N. IESV CHRISTI ad Matutinas & Miſſam in chorum eccleſiæ conuenire ſolent.

Sed iam ab hiſce ferijs veniamus ad funera. Cùm enim aliquis è noſtra Congregatione è vita deceſſerit, ſinguli Sacerdotes tres Miſſas celebrabunt pro vita functo: qui verò ſacerdotes non fuerint, nouem Coronas recitabunt; in loco verò, vbi defuncti corpus fuerit præſens,recitabitur Officium defunctorum: ſi manè fuerit,celebrabitur Miſſa ſolemnis; ſin minùs,ſequenti die, diacono & ſubdiacono miniſtris, ſex candelis accenſis in altari,& quattuor facibus iuxta corpus. Abſoluto autem officio, duæ ex illis remaneant vſque ad ſepulturam. Quòd ſi abſens obierit, priuatim recitabitur à Sacerdotibus

 noctur-

nocturnum officium Defunctorum; Miſſa verò ſolemnis, vt ſuprà. Singulis item annis infra octauam omnium Sanctorum celebrabitur Miſſa ſolemnis pro defunctis noſtræ Congregationis. Sine conſenſu Præpoſiti & Deputatorum res ſacra non celebrabitur ſolemni apparatu pro vita functis exteris, videlicet diacono & ſubdiacono miniſtris; nec id ipſi facilè concedent, niſi mortuus Prælatus extiterit, aut eximiæ dignitatis & honoris inter laicos, aut certè valdè bene meritus de noſtra Congregatione. Nullum recipietur à Congregatione noſtra legatum de re ſacra perpetuò peragenda: niſi fortè iuſtiſſima cauſſa intercedat, & ex conſenſu Patrum expleti decennij.

Quæ autem hoc in loco de ſacris Confeſſionibus videntur ponenda, hæc habemus. Singulis diebus ferialibus aliquis ex Sacerdotibus, ad hoc muneris delectis, morari debet in eccleſia ad Confeſſiones audiendas; Feria verò quarta & ſexta, manè vſque ad horam prandij omnes, & feſtis pariter diebus omnes excubare. Nemo tamen eorum admittitur ad audiendas Confeſſiones ſine Patrum conſenſu, qui exegerint decennium in noſtra Congregatione.

## *Cap. III. De ſalutari familiarium ſermonum vſu, tam in eccleſia quàm in Oratorio.*

IN eccleſia noſtra, die Sabbato ad vacandum excepto, quattuor quotidie, niſi etiam dies feſti ſint, cùm aliquis tantùm vnus ſermocinari ſolet è Sacerdotibus noſtris, qui fuerint ad hoc oneris munerisque delecti, ordinata ſucceſſione, verba ad vulgi præſertim captum accõmodantes, & ad nullam prorſus pompã vel vanum populi applauſum declinantes, genere dicendi verè fructuoſo, audientium animos paſcunt; Sanctorum præſertim exemplis ac probatis Hiſtorijs ſermonem confirmantes. Vitandæ enim ſunt eis quæſtiones difficiles, dogmatum tractatus, & quæcumque ſcholas decent magis quàm Oratorium. Eſt autem eius conſuetudinis, qui prouidè negotium id curet, ſtato tempore ad eccleſiam deſcendere, & inter alia, quæ paranda ſunt, horologium arenarium iuxta ſedem ſermocinantium ponere, & librum aliquem de ſalutaribus ſcriptum præceptis, aut de Sanctorum dictis & factis, vbi octo aut decem auditores præſentes viderit, lectitare; cùm verò quindecim, vel vt ſummum viginti, ære campano hora conſueta ſignum dare. Quo ille quidem audito, cui primò dicendum eſt, ad locum feſtinat, & poſtquàm legentem pauliſper audierit, ligneam ſedem ſex vel octo circiter graduum aſcenſu ſublimem conſcendit, arenarium horologium iuxtà poſitum inuertit, quod ſemihoræ ſpatium præfiniat, & nullo vſus procemio, ab argumento præſertim, quod in libro lectum eſt, ſermonem orditur. In medio eius ſermone ſurgit cuſtos ad ſignum eadem grandiori campana iterum dandum: quo habito alter dicturus ſecundo loco huc properat, & tantiſper expectat, dum primus finem dicendi fecerit. Eodem penitus modo ſecundo ſuccedit tertius, & tertio quartus. Nec horum cuiquam ampliùs hora dimidia datur: nec horologio ſolùm, ſed tintinnabulo, cùm opus eſt, ad finiendum admonentur.

Sermonibus abſolutis ſacer concentu muſico canitur hymnus; quo expleto is, qui dixit vltimus, ad Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem ter ſecretò recitandam inuitat; & concio dimittitur. At Dominicis ceteriſque diebus feſtis eorum vnus, quibus ad dicendum ſunt eiuſmodi dies conſignati, in eccleſia poſt veſpertinum officium decantatum ſermonem habet: cui ſemihoram aliquantulum prętererire, non tamen certas iam enarratas dicendi leges, liberum eſſe debet. Eiſdem diebus à Kalendis Nouembris vſque ad celeberrimũ Chriſti Domini Reſurrectionis diem, ſicut etiam Dominicis, manè toto anno, ab aliquo ex noſtris ſermo in Oratorio habendus eſt. Sed hac de re aliàs; nunc ſatis eſt referre noſtras Conſtitutiones huc pertinentes. Ad ſermonem habendum in Oratorio nullus admittetur ex noſtris abſque conſenſu Patrum, qui decennium expleuerint in Congregatione. Ex exteris verò nullus inuitandus ad concionem habendam in Oratorio vel eccleſia, niſi ex Præpoſiti & quattuor Deputatorum conſenſu.

Cap.

## *Cap.* IV. *De ſtatu Congregationis Oratorij perpetuo.*

NVnc ſtatum & formam Congregationis noſtræ penitùs immutabilem in promptu ponimus duobus decretis expreſſam. Horum primum bis verbis ſancitum eſt: Cùm noſtra Congregatio ſolo caritatis mutuæ nexu, neque vllis aſtricta votorum, iuramenti, aut promiſſionis huiuſmodi vinculis, olim per B. Patrem Philippum Nerium fuerit diuina inſpiratione inſtituta, atque hæc fuerit eius & omnium Congregationis Patrum mens ſem per vnanimis, ac ſit vt ita perſeueret, decretum eſt, ſi quando aliqui ex noſtris putauerint ab hoc ſtatu recedendum, & alligare Patres fratreſque vllis votorum, iuriſiurandi, aut promiſſionis vinculis, etiamſi iſti maiorem partem conficiant, vt ſit ipſis quidem liberum, quam velint ingredi Religionem, ſed altera pars quamuis numero longè impar habeat omnia bona Congregationis, quocumque loco poſita, quamdiu perſeuerauerit in hoc ſtatu, nec alteri quidquam date vel acquiſitum vel acquirendum teneatur. Sic enim conſeruabitur in Eccleſia Dei circumdata varietate. Hactenus decreti verba; vt indè etiam appateat Patentem optimum in Chriſto noſtrum adduci non potuiſſe, vt ſuos alia via filios duceret, qui pro Chriſtiana caritate Religioſos homines tam religioſè coluit, & pro ſingulari prudentia ſanctiſſima tot Ordinum inſtituta votorum vinculis religare ſe volentibus eo tempore ad omnem Chriſtianæ diſciplinæ præſtantiam ſatis eſſe nouit.

Alterum decretum eſt: Ne quis prætextu ampliandæ Congregationis eam diſſipet, atque vt confuſio vitetur, quam multitudo parere ſolet, atque vtiuſque inter ſe, qui ſunt è Congregatione, amoris vinculo colligentur, quem quotidiana conſuetudo conciliat; ac mores cuiuſlibet ipſorum ex hoc cognoſci poſſint, & notorum vultus cuncti reuereantur; ſtatutum eſt, ne Congregatio alibi vllum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendæ ſuſcipiat onus. Si quæ verò aliorum locorum Collegia & Congregationes noſtra inſtituta obtinuerint & ſeruare voluerint, non ſint illa quidem noſtræ annexa, neque Clerici eorum ſint è Congregatione Oratorij Romani. Quemadmodum eſſe debet inſtitui, vt vnaquæque Domus aut familia, noſtræ formam imitata, ſeparatim ab alijs ſe per ſe regat & moderetur.

## *Cap.* V. *De Præpoſiti & quattuor Presbyterorum deputandorum electione & munere.*

AD Congregationis rerumque ad ipſam ſpectantium gubernationem & curam Præpoſitus primùm eligitur, quē etiam Patrem appellamus; deinde quattuor Preſbyteri deputantur. De quorum omnium electione & munere ſic decernit Congregatio. Nullus Præpoſitus eligetur, qui in noſtra Congregatione quindecim annos non permanſerit, quo temporis ſpatio Deputati vel Miniſtri ſit functus officio, & qui ætatis ſuæ annum quadrageſimum ſaltem non attigerit. Electio Præpoſiti pertinebit ad omnes Sacerdotes Congregationis, qui exacto decennio fuerint admiſſi ad ius ſuffragij ferendi. Laici verò certò ſciant, ſe nihil ad electionem Præpoſiti, Deputatorum, Præfectorumq; iuris habere, munia aſſignata ex præſcripto dumtaxat obituri. Tam Præpoſitus, quàm Deputati, & ceteri Officiales eligi poſſunt etiam abſentes. Præeſſe debet in electione, abſentiaque Præpoſiti, quaſi Superior, qui primum è Sacerdotibus noſtris tenet poſt Præpoſitum in Congregatione locum. Fiet autem Præpoſiti electio hoc modo: Qui erit à ſecretis, ſingulis electoribus ſchedulas dabit, in quibus ſcriptum vel typis impreſſum ſit nomen eligendorū, vt illas in vas conijciant, videntibus duobus ad id muneris deputandis. Eductus autē, iiſdē duobus cernentibus, à Secretario clara voce legetur, & electus is erit Præpoſitus, in cuius electionē conuenerint electores medietate plures. Hunc ſanè modū eligendi, donec cōſentiat, decies repetere poſſunt: poſt decimū verò ſcrutiniū, ſi necdū in

vnum pars maior media conſpirauerit, compromiſſum fiat, vt ſcilicet quinque ſolùm ex electoribus Præpoſitum è duobus tantummodo deligant, in quos plura ſuffragia ex quacumque diſquiſitione hactenus collecta concurrerint. Quod exemplo declaratur. Si enim duo vel plures octauum ſibi numerum in ſuffragijs obtinuerint; vel vnus aut plures octauum, alij verò ſeptimum; tunc ceteris omnibus reiectis, horum tantùm delectus electoribus habendus eſt. Ipſi autem electores quinque compromiſſarij, quibus ſcilicet datum eſt arbitrium deligendi Præpoſitum, in ipſa tunc ſimul Congregatione ita ſunt deputandi, vt ſinguli ad eam electionis poteſtatem plures ſibi ſuffragantes habeant (non enim plura medietate ſuffragia in ipſis deligendis requiruntur) & ex illis conſtituantur qui non fuerint inter primos eligendos numerati. His enim duobus eo tempore nulla ad huiuſmodi electionem relinquitur facultas; ſed actiua ſimul, vt dicitur, & paſſiua voce priuantur. Si quando tandem ſchedulis èductis compromiſſarij pares extiterint, electus habeatur qui debito in Congregatione ſibi loco alijs pariter concurrentibus præſtat.

Tres annos duret Præpoſiti munus, & confirmari poſſit tertio quoque anno, Congregationis arbitrio. Ad eamdem menſam vnà cum ceteris accedet & aſſidebit; niſi impediat inualetudo. Nihil ſingulare habeat in eccleſia, menſa, cubiculo, domi, foriſuè, præter locum primarium, & laicum ex noſtris à Deputatis aſſignandum, qui omnem in eius obſequium conferat operam. Circa rem familiarem & bona Congregationis adminiſtratione vtatur accurata, præſtetque noſtris ad victum & veſtitum neceſſaria. At verò pauperibus, aut alijs qui non ſunt ex noſtra Congregatione, quolibet menſe nummi aurei ſummam poterit elargiri. In maiori quidem ſumma, quotieſcumque eiuſmodi largitionum ſe dederit occaſio, quattuor Deputatorum requiret conſenſum; cùm verò decem nummos aureos excedere contigerit, totius Congregationis. Idem in alijs cuiuſlibet cómpleti operis aut negotij ſeruet impenſis extraordinarijs, & ad victum aut quotidianum familiæ noſtræ vſum nihil attinentibus. Totius Congregationis gubernandę, omniumque curandorum quæ ad eam ſpectant, prima poteſtas ſit penes Præpoſitum: ad ipſum enim ſolum pertinebit Congregationem, cùm opus fuerit, conuocare, tractanda proponere, ritè conſtituta perficienda curare: exigere quoque rationem actorum vel agendorum à ſingulis noſtrorum, quibus eſt aliquod munus vel onus quomodolibet vbique locorum mandatum, & videre vt ſingula rectè expediantur. Conuocabit ad hoc Congregationem quattuor Deputatorum ſaltem qualibet hebdomada: ſine quorum conſenſu nihil aget quod ſpectet ad vniuerſalem gubernationem Domus, & eligendos aut amouendos Officiales. A Præpoſito enim & quattuor Deputatis ceteri officiales & miniſtri triennium duraturi eligentur; excepto Confeſſario, ad quem eligendum plures ex electoribus conuenire debent in ipſa Congregatione proximè poſt Prępoſitum & Deputatos electos: horum enim nullus ei muneri præficiendus eſt.

Domeſticis autem officijs præfecti, quos Officiales dicimus, ſuis nominibus ſatis noti, ſunt qui ſequuntur: Sacerdos à Confeſſionibus. Corrector ex ſenioribus, qui ſecretò corripiat errantes. Miniſter, qui rebus domeſticis adminiſtrandis, Præpoſiti ſententia conſulta & explorata, det operam. Præfectus Sacrarij, cuius paternæ curæ Sacrarij miniſterio aſſignati committuntur, ſicut Miniſtro ceteri laici omnes. Cuſtos Sacrarij. Præfectus Oratorij, & adiutor. Præfectus Sermocinantium in eccleſia. Præfectus Cæremoniarum. Præfectus Muſicæ. Receptatores hoſpitum duo. Monitor precum, quas debémus commendatis in menſa veſperi. Tironum Præfectus. Cuſtos depoſitæ pecunię. Negotiorum domeſticorum Procurator, & adiutores. Bibliothecarius, & adiutor, qui non permittant è communi bibliotheca libros extrahi. Miniſter infirmorum, & adiutores. Præfectus ædificiorum, & adiutor. Præfecti corrigendis legentium erroribus in menſa duo. Aromatariæ Præfectus, & Aromatarius. Pecuniarum Exactor, & Diſpenſator. Cuſtos ſupellectiliū. Cellę Penuariæ Cuſtos. Cellæ vinariæ Cuſtos. Cuſtos triclinij. Ianitores. Hos præſertim Congregatio ſingulos huiuſmodi conſtitutione voluit admonitos: Nemo munus à Congregatione, ſeu Præpoſito & Deputatis demandatum recuſet, ſed omni animi demiſſione ſuſcipiet. Quòd ſi aliqua ex cauſſa ſibi recuſandum iudicabit,

poſt-

poſtquam ea, quæ ſenſerit, debita modeſtia ſemel aut iterum expoſuerit, nec Præpoſitus & Deputati approbauerint, iniunctum munus ſine vlla ampliùs excuſatione accipiet.

De Deputatis autem cum Pręposito eodem tempore eligendis hæc habentur. Poſt electionem Præpoſiti ſtatim eligentur ei quattuor ex Presbyteris, qui decennium tranſegerint in Congregatione, ex quo ſunt admiſſi ad primam probationem, & ius habeant eligendi à tota Congregatione: de quorum conſenſu, vt dictum eſt, cuncta à Præpoſito agentur, quæ ad vniuerſalem Congregationis gubernationem pertinere ipſe iudicauerit. Ab eiſdem ergo Presbyteris omnibus exacti decennij eodem modo, quo ſuprà vſque ad tertium ſcrutinium, eligentur quattuor Deputati, ſinguli ſeparatim, in eadem Congregatione: poſt tertium verò ſcrutinium, nullo facto compromiſſo, duo eligantur, in quos plura fuerint ſuffragia in illa trina diſquiſitione collata. Si verò plures pariter concurrant eligendi, duo tantùm, ceteris reiectis, ad electionem peruenire poſſunt; illi ſcilicet qui alijs de more præire debeant in Congregatione. Exemplum proponimus. Si ſcrutinio ter peracto, in octauum alter ſuffragiorum numerum peruenerit, alter verò in ſeptimum; hos dicimus duos, ceteris omni ſuffragio priuatis, ad Deputati munus per ſcrutinium prouehendos. Quòd ſi plures ſeptimum illum numerum obtineant, ille ex eis ſcrutinio ſimiliter eligendus erit, excluſis alijs, qui debeat eis in Congregatione antecedere: ſi rurſus paria duorum fuerint eligendorum ſuffragia, is ſimiliter habeatur Deputatus, qui ex inſtituto alterum inter noſtros ſit ſolitus anteire. Vnus è quattuor Deputatis triennij præteriti (tres enim annos durat cuiuſque munus) aut etiam, ſi placebit, duo confirmentur in tres alios annos, qui poſt illos confirmari ampliùs non poſſint. Ex Deputatis item eligetur aliquis à Secretis, ex ipſorum conſenſu Deputatorum, qui ſingula decreta à Congregatione vniuerſali, vel à Pręposito & quattuor Deputatis in libro ad hęc conficiendo notabit, & litteras, ad quos continget, ſcribet. Litterę autem omnes, quę negotia continent, in alio libro ſunt exſcribendę. Deputatorum erit pręstereà, cùm Prępoſitus deceſſerit, vel finierit eius munus, ſeniorem prędictum monere, qui eius vice interim fungitur, vt conuocet ad electionem Præpoſiti conuocandos. Quòd ſi ille negligat, ipſi conuocabunt. Si nemine diſſentiente ipſis videbitur ceſſatio muneris concedenda vel indicenda Præpoſito, ob iuſtam cauſſam quattuor è Sacerdotibus exacti decennij aduocabuntur. Quòd ſi his videbitur, ijdem conuocent Congregationem, à qua deponatur, & eligatur nouus Præpoſitus, ſicut iam ſuprà dictum eſt; eo modo tamen ſeruato in Præpoſito deponendo, qui in eijciendis tenendus eſt.

Singulis annis menſe Ianuario aliquis ex Deputatis, cum altero non Deputato, rationem omnium expenſarum, quæ toto anno fiunt, ſingillatim inibit, eamque initam in publica Congregatione referet; vt appareant omnibus quæ ſuperiori anno factæ ſunt expenſæ, pateatque ſingulis contractumnè ſit æs alienum, & quota ſit ſumma rei familiaris & bonorum omnium noſtræ Congregationis.

## *Cap. VI. De admittendis in Congregationem, & eijciendis ex ea.*

NOſtrę Congregationis Patres, B. PHILIPPI Inſtitutoris optimi morem ſecuti, non niſi homines probatę vitę, maximè idoneos & quaſi ad inſtitutum natos, recipi volunt ad ſuorum numerum aggregandos, etiam ad hunc modum factis decretis. Minores duodeviginti annis, ac maiores quadragintaquinque, ad primam probationem non recipiantur; neque ij, quos Canones ab Ordinibus arcent, niſi in ordine laicorum ſint omninò permanſuri: non infirmę valetudinis; non ij qui ingreſſi ſint aliquam Religionem; non niſi bonę apud omnes famę, qui Oratorij noſtri frequentes fuerint auditores, & orationibus interfuerint, & ſępiùs alicui ex noſtris ſacerdotibus ſoliti fuerint confiteri, & experimentum ceperint inſtituti noſtri. In his tamen omnibus, ſi ita videatur Patribus qui decennium expleuerint in Congregatione, poterit diſpenſari. Duo ex noſtris Presbyte-

ris à Congregatione eligentur, qui diligentem adhibeant curam circa eos qui admittendi ſunt in Congregationem; vt vel antequam admittantur, eorum vita & mores omni ſtudio explorentur. Eapropter crebra cum illis inibunt colloquia, vnà cum ipſis verſabũtur: nec his contenti, ab illis etiam certiores reddantur qui eiuſdem erunt patriæ, & quibuſcum anteacto tempore, quàm recipiantur, fuerint verſati. Referre autem debent duo electi ad Congregationem iterum conuocandam quæcumque de illis habuerint, ſi quomodo ſcire interſit, antequam ſecretò ſuffragia ferantur. Præter duos Patres, quos eligendos ad id muneris diximus, alij etiam Patres diligenti cura exquirent, quæ hactenus præfati ſumus, & num animo veniant permanendi ſemper vſque ad vitæ obitum in Congregatione, non alio prætextu, quàm vt Deo inſeruiant, & obſeruent noſtræ Congregationis Inſtituta ſeu Conſtitutiones: quas propterea, antequam recipiantur, legendas Patres offerent, quò rem totam maturiore conſilio deliberent.

Quomodo autem oporteat admittendos expeditas habere res ſuas familiares & domeſticas, habetur cap. 8. Antequam enim per ſecreta ſuffragia admittantur, debent eſſe expediti ad viuendum nobiſcum & habitandum; ne ſic admiſſi extra Cõgregationem degant, præter tempus dierum aliquot, vt ad ſummum, quindecim. Admiſſi ad primam probationem, non continuò tironibus aggregabuntur, ſed menſem veluti hoſpites in noſtris ædibus morabuntur, vt interim omnia noſtra cognoſcant ac maturiùs deliberent, & è contrà ipſorum periculum fiat, ſi prompti ſint in omnibus parere, vel in humillimis ac duriſſimis: ſi exercitationibus ſanctarum meditationum & Sacramentorum ſint à ſe ipſi deuoti: non contentioſi, non pertinaces, non ſuperbi vlla omnino in re aduersùs maiores aut etiam minores. Si bonum ſui ſpecimen dederint, poſt menſem eorum nomina in libro ad hæc deſtinato notabuntur, & inde annus primæ probationis incipiet: per quod anni ſpatium ſi fuerint in vitæ laudabilis ratione verſati, in ſecunda probatione biennium conſiſtent; alioquin dimittentur à Præpoſito & Deputatis, quorum eſt munus ad primam & ſecundam probationem admittere. Exacto autem triennio, ſi laudem ſimili modo probatæ vitæ habuerint in conuictu, vt eſſe poſſint è Congregatione, nominatim decernendum eſt. Aggregabuntur ergò per ſecreta ſuffragia, poteruntque deinceps ad omnia miniſteria, excepto Præpoſiti & Deputati munere, eligi. Ius autem ipſi alios eligendi poſt decennium ſolùm habebunt, niſi de conſenſu Deputatorum Præpoſitus hoc ius ex cauſſa ſtatuerit differendum. Quòd ſi quis eorum, alia nulla intercedente cauſſa niſi obliuionis aut modeſtiæ, ad tempus non petierit, quod à Cõgregatione fuiſſet accepturus, cùm in noſtrorum catalogum admiſſus referretur, ab eo tempore cenſeatur aggregatus, quo expletum fuerit conſuetum triennium vel decennium. Admittere ad Congregationem & ad omnia ſupradicta, pertinebit ad ſacerdotes expleti decennij, & ſtabitur maiori parti ſuffragiorum; ad primam tamen & ſecundam probationem, vt dictum eſt, ad Præpoſitum & Deputatos. Nemo poſſit expelli è Congregatione, niſi primò in vnum locum congregati fuerint omnes Presbyteri, qui decennium exegerint in Congregatione, numerandum à die qua ſunt admiſſi ad primam probationem, & ſinguli ſuum ſuffragium dederint, & quod duæ è tribus partibus ſtatuerint, vt id fiat. Quòd ſi in tres partes non poterit fieri Presbyterorum æqua diſtributio, tunc ſeruabitur ratio, quæ eſt octo ad tredecim aut quattuordecim; ita vt octo, exempli gratia, conficiant duas partes, ſiue tredecim ſint Presbyteri, ſiue quattuordecim. Nemo poſſit expelli è Congregatione, niſi propter iteratam grauemque pertinaciam, vel graue delictum: ſed qualia ſint ſingula huiuſmodi, ſtabitur iudicio duarum partium è tribus numerandarum, vt ſuprà.

## *Cap. VII. De Tironum inſtitutione.*

ADmiſſi ad primam probationem, ſiue Clerici ſiue ſacerdotes, donec fuerint expleto triennio noſtris adſcripti, eius curæ commendantur qui id muneris in Congregatione ſuſtinet. Is ad fructum animorum omnia referens, præter virtutum ſingulare ſtudium

dium,quarum maximè compotes eſſe noſtros oportet, curet alia quędam proponere, quę ſunt hactenus obſeruata: vt videlicet Sacro quotidiè inſeruiant; à ſtudijs litterarum Superioris arbitrio abſtineant. Hęc enim moderanda primùm, vt diuina ſapientia imbuti diſcant amare neſciri. Ad menſam ſigno dato ſine vlla mora conueniant, ibique ex præſcripto, Miniſtratoris vel Lectoris officio fungantur. Singuli miniſtrent vel legant ſingulis diebus aut hebdomadis, tam prima quàm ſecũda prandij vel cœnę hora: qui verò ex eis Sacerdotes fuerint, ad primam non niſi manè miniſtrare ſolent. Lectionem ſimiliter in eccleſia, vt cuique ſua fuerit conſtituta hebdomada, ſermonibus pręmittant; interſint, dum habentur: atque etiam curent, ne quid omittatur eo tempore quod eſſe ſolet inſtitui. Eam verò miniſtrandi & legendi conſuetudinem iam aggregati ad decennium vſque retineant, vel circiter, Superiorum arbitrio, Præpoſiti ſcilicet & Deputatorum. Vbi finem ſermones habuerint, quorum quotidie duos vel ſaltem vnum audierint, vt etiam valetudini quadam ex parte inſeruiant, in aliquam ambulationem veniant. Veſperi ad orationem in Oratorium ſe conferant. A prandio & cœna, animi recreandi gratia, per horæ ſpatium, eorum quiſque in vnum cum alijs locum adueniat, & omni mitigata ſeueritate, vultu hilariore, modeſtè tamen, ſic ſe gerat, ne alium vel ioco tangat. Si quis eorum per ianitorem accerſatur ab aliquo, ſtatim ad portam domus deſcendat, ſe paucis expediat, & neminem externorum in cubiculum ſuum vel omninò in ædes noſtras, inſcio Superiore, admittat. Nec domo, nec ſoli, niſi facultate ab eodem data, aliquando exeant. Nulla externorum negotia, vel quęcumque in Congregatione degentibus ſeu conſuetudine ſiue decreto aliquo ſunt denegata, ſine Prępoſiti etiam licentia, adminiſtrent aut conficiant. Ab adminiſtratione Sacrorum, ipſoque Sacrario feſtis diebus vix, neceſſitate cogente, recedant. Altare, cujus quiſque curam ſuſcepit, vt tempori congruit, ex viciſſitudine Eccleſiaſtici miniſterij ornet. Ter in hebdomada aſſignato Confeſſario peccata ſua confiteantur, & qui non fuerint Sacerdotes, eius arbitrio Euchariſtiam accipiant.

Curent, ſi quid errauerint, vt ſpontè ſe correctioni ſubijciant. De Congregatione autem, ad quam conuenientes in aliqua ſe culpa eſſe demonſtrant, extat huiuſmodi noſtrorum conſtitutio. Congregatio culparum Tironum, id eſt, eorum qui nondum triennium in noſtra Congregatione exegerint, ſiue Sacerdotes ſint ſiue Clerici, ſingulis fiet hebdomadis; vt ſcilicet ad omnium communem veniant, & ea hebdomada, in qua non habetur communis, priuatim apud illum, cuius curæ ſunt commendati, ad ſuas culpas coarguendas, congregentur. Adhibere etiam, loco accuſationis iam dictæ, aliquando ſolent probati cuiuſquam auctoris lectionem, ex qua ſaluberrimis viciſſim documentis, per communicationem & diuinorum collationem, imbui poſſint.

## *Cap.* VIII. *De præcipuis noſtrorum obſeruationibus.*

AD excolendos diuiniore diſciplina ſuorum animos, & ad Chriſtianam veramque pietatem magis conformandos, hæc præſertim interpoſita decreta ſeruat Congregatio. Ter in hebdomada ſua peccata Sacerdoti ad hoc delecto quilibet confiteatur: niſi aliqua interdum de cauſſa permittatur ab ipſo quiſpiam aliter facere. Hanc tamen cõſuetudinem à B. *Philippo* Patres inſtituti perutilem ad ſalutem æternam volunt & prædicant. Ad Euchariſtiam ſimiliter ſumendam ſe paret, ſumatque ſi videatur eidem cui confeſſus fuerit. Congregatio (vt diximus) culparum decimoquinto quoque die perpetuò fiat, in qua non modò Sacerdotes intereſſunt, ſed clerici laicique omnes noſtræ Congregationis, & à nouiſſimis ad primos quiſque commiſſam à ſe aliquam in conſuetudine familiari culpam, etiam leuem, flexis genibus accuſat, & quoquo modo alicuius animum offenderit, petit ab illo veniam. In hac tamen accuſatione publica nulla earum rerum mentio eſt, quarum ſecreta apud Sacerdotem debet eſſe confeſſio. Nemo ex Sacerdotibus alios corrigat, qui decennium ſacerdotij non explcuerit in Congregatione. Statuto

igitur

Digitized by Google

igitur die congregatis omnibus,inuocato primùm,vt moris eſt,à Præpoſito in ſacris precibus Spiritu ſancto,ille è Sacerdotibus,cuius eſt ex ordine alios corrigere (ſolent enim in huiuſmodi munere ſibi inuicem ſuccedere) in ſella ad Præpoſiti dexteram locata vocatus aſſidet, & perbreui ſermone ad inflammandos in Deum animos vtiliter præmiſſo fungitur,in ſpiritu lenitatis,officio Correctoris, ac dum clericos corrigit & Sacerdotes, caput detegit: quod in laicis corrigendis non ſolet. Præpoſitum inſuper corrigendum detecto capite ſtans admonet.Laici & Clerici,vbi ſuas culpas accuſauerint,correcti,& à Præpoſito de aliqua vitioſa conſuetudine emendanda vel laudabili retinenda quàm breuiſſimè etiam admoniti, ſimul diſcedunt. Singuli deinde Sacerdotes, qui adhuc infra triennium approbationem expectant, ſeſe culpant: his pariter abeuntibus remanent ceteri Sacerdotes, quorum accuſatione expleta & correctione adhibita, Præpoſitus Deo gratias agit precibus conſuetis. Præſcribetur autem forma, vt dici ſolet, pœnitentiarum, quam in illis conſcribendis nullo modo tranſgredi liceat. In ſchedulis autem ſcriptæ eodem die,quo fuerint accuſatæ culpæ, veſperi in triclinio, ſub cœnæ finem, per manus è ſacculo ſingulis diſtribuantur. Hac diſtributione facta,vt ſorte obuenerit, ordinatim & apertè legat coram omnibus quiſque ſuam.

Eligetur præterea, vt ſuprà diximus, aliquis ex ſenioribus, qui *Correctoris* officio fungatur.Huius erit vnumquemque è noſtra Congregatione, etiam Deputatos & Præpoſitum,clàm corrigere: quod tamen munus omni manſuetudine & animi lenitate exequetur; ſeipſum,vt ait Apoſtolus,conſiderans, ne & ipſe tenteatur,ita vt ſe potius & vitia ſua corrigere videatur; vt hac ratione fratres ad meliorem frugem reducat. Quod domeſticæ tandem diſciplinæ ſtudium poſtulat,ea hebdomada,in qua nulla eſt communis accuſatio culparum, laici omnes noſtræ Congregationis cuiuis miniſterio aſſignati apud Miniſtrum conuenire debent, vt ab illo erudiantur,& ad tenendam ſalutis æternæ viam benignè inſtituantur. Ad hæc,ne noſtri inflammentur auaritia, vel ambitione prolabantur,ne modeſtiam leuiter abijciant,vel temerè auctoritatem teneant, his, quæ ſequuntur, conſtitutionibus aliqua ex parte cautum eſt.

Quò Deo diuiniſque rebus expeditiſſimè,quicumque admittuntur in Congregationem,ſe tradere poſſint, id maximè videbunt in primis, ne quid litigioſum ſit vllo modo in rebus familiaribus quas habent; ſciantque cuiuſlibet anni reditus expendendos in bonos, quos ipſi iudicauerint, vſus, neque quidquam cumulandum: ne quis ſcilicet è noſtra Congregatione vllam curam ponat in diuitijs parandis; imò verò ex cenſu pro ſuis cuique facultatibus in commune commodum Congregationis liberè conferendum eſt. Quod à noſtris adeò ſeruatum eſt hactenus, vt ſi quis ob inopiam id non præſtiterit, vel præſtare intermiſerit, ſtatim atque de ſuo abundantior quoquo modo factus eſt, pecuniam pro rata portione dare ac ſoluere non deſtiterit. Ita eis conueniens ac conſentaneum ſemper viſum eſt ſtipendijs proprijs militare, & à rebus etiam Congregationis tamquàm ab alienis abſtinere,quibus ipſa debet in primis non habentes vndè viuant ſuſtentare ſuos. Nec proptereà pecuniam imperat Congregatio, dum exigit quod ab hilari datore ex inſtituto pro victu offertur, idque etiam prout cuiuſque facultates ferunt.

Poſſunt etiam Præpoſitus & Deputati partem vel totum aſſignatorum prouentuum remittere, ſi eis videatur aliqua de cauſſa id faciendum. Omnia ſæcularia negotia interdicuntur noſtris, niſi aliquid iuſta de cauſſa mandetur expediendum à Præpoſito & quattuor Deputatis. Nulli ex noſtris, quamuis fuerit requiſitus, profiteri licebit ſub aliqua Congregatione vel Societate extra Domum, vel aliquod onus ſuſcipere ſine conſenſu Congregationis. Cùm ſint multi in Eccleſia Dei, qui audiendis monialium confeſſionibus aut dant operam,aut dare optimè poſſunt; proptereà, nequis ab inſtituto Congregationis noſtræ proprio poſſit abduci,ſtatutum eſt,ne noſtrorum aliquis ſeſe obliget aut dedat confeſſionibus audiendis, moribus reformandis, rebuſque earum gerendis. Idem dicimus de Seminarijs, Collegijs, Congregationibus, Societatibus, aut alijs Vniuerſitatibus,rebuſuè earum quomodolibet tractandis. Nemo Epiſcopus,Præſul, aut alia, quæcumque ea ſit, dignitate ornatus recipiatur in ædes Congregationis,vt in ijs vnà cum noſtris

noſtris moraturus habitet, etiam ſi id fiat ad aliquod tempus. Nulla eccleſiaſtica beneficia petere aut accipere vnquàm omninò poſſint: habita olim, ſi reſidentiam perſonalem non requirant, poterunt retinere. Dignitates vllas nemo poſſit accipere, niſi Pontifex iubeat. Nec liceat ijs abſque Præpoſiti & quattuor Deputatorum conſenſu frequentare Curias, neque officia vel beneficia pro ſe vel pro alijs expoſcere. Nulli ſit proprius famulus: ſi qua aliquem neceſſitas premet, deferet ad Præpoſitum, qui vnà cum quattuor Deputatis, quid ei opus ſit, curabit. Nec ſinat quis pueros ingredi cubiculum ſuum, niſi ducantur ab alijs, qui teſtes interſint, reliquos admodum parcè admittant, ſed vocati deorſum ad illos ſe conferant. Non admittatur aliquis ad quoſcumque Ordines eccleſiaſticos abſque conſenſu Sacerdotum, qui decennium exegerint in noſtra Congregatione: eodem modo nec ad Sermones habendos, vel ad Confeſſiones audiendas, ſicut alibi dictum eſt. Nec vllibrum imprimendum det abſque licentia Præpoſiti & Deputatorum. Nulla lex à Sanctiſſimo confirmanda proponatur, niſi priùs in eam conſenſerint Presbyteri exacti in Congregatione decennij. Quando lex aliqua vniuerſalis conſtituenda eſt, Sacerdotes omnes interſint qui expleuerint triennium, votumque conſultiuum habeant; deciſiuum verò tantùm qui decennium compleuerint. Cùm aliquid gerendum proponitur, anteà publica & libera de ea re habeatur à Patribus conſultatio; deinde aliquot tranſactis diebus ſuffragia erunt ſecreta: niſi fortè rei neceſſitas, vtilitas, vel etiam aliquando modicitas, expediri ſtatim poſt conſultationem, de Congregationis ſententia, per ſecreta ſuffragia, cogant. Sed ſicut dictum eſt, licet Sacerdotes omnes admittantur qui exegerint triennium in Congregatione, votumque conſultiuum habeant; deciſiuum tamen ſolum modò illi qui decennium expleuerint.

## *Cap.* IX. *De veſtitu & conſuetudine familiari.*

HAs præterea Conſtitutiones & Obſeruationes ad externam noſtrorum hominum modeſtiam exhibemus. Ipſi ad interiorem animi virtutem habendam adhibere nō negligant. Nemo ex Fratribus noſtris aut Patribus ſericum quidquam in ſuis veſtibus gerat, præter breue preſſumque verticis operculum, conſouendo capiti, & velum interiori pileo inſuendum. Forma item veſtium ſemper ſeruabitur conueniens Clericis ſæcularibus. Noſtri laici gerent veſtem demiſſam vſque ad genua; paulò verò inferiùs pallium. Qui ex domeſticis impenſis veſtiuntur, quoties opus fuerit, Miniſtrum adeant, vel ipſo abſente Præpoſitum, eique proponant, quibus indigent; ipſi autem ad ſubueniendum expoſiti, quo caritatis affectu valent, eorum petitionibus ſatisfaciant. In veſtitu, inceſſu, ſermone, actione, geſtuque omni decorum ſeruent, modeſtiamque omnem ſinguli præ ſe ferant; nulla tamen appareat noſtrorum actio, vt dicitur, ſingularis, à vulgari & communi bonorum & ſimplicium virorum moribus diſcrepans. Quamquam verò noſtrorum eſt conſuetudo peculiaris, vt ſe inuicem honore præuenientes, & ſibi inuicem obſequentes, quiſque velit, ad demittendum animum, infimum inter alios tenere locum; ne tamen perturbetur quaſi cuiuſdam anteceſſionis aut ætatum ordo, præſertim publicè in ſedendo & incedendo, alijſque actibus huiuſmodi, ex Sacerdotibus præcedent illi qui priores fuerint Sacerdotes, ex quo admiſſi ſunt in Congregationem: ita tamen vt ſi quis ex clericis exacti triennij promotus fuerit ad Sacerdotiū, tironibus Sacerdotibus, illis videlicet, qui nondum triennium in Congregatione exegerint, præferatur. Laici autem ſemper clericis poſtponentur. Poſt prandium & cœnam morabuntur omnes noſtræ Congregationis homines in loco deputato per horæ vnius ſpatium: quo elapſo omnes in ſuum cubiculum ſeſe conferant. In electione vacantium cubiculorum erit optio penes ſeniores Sacerdotes, niſi aliter viſum fuerit Præpoſito & Deputatis. Domo non egrediatur quiſquam ex noſtris ſine permiſſu Præpoſiti, niſi expleuerit decennium in Congregatione: exacto enim triennio ad hoc vſque tempus illos, vel maximè Sacerdotio nondum præditos, Præpoſitus per ſe vel per alium peculiari quadam cura ad virtutum progreſſus iuuare ſolet. Inuitatus ad prandium vel ad cœnam extra domum nemo ac-



Digitized by Google

cedat abſque permiſſu Præpoſiti. Nemo externorum ad prandium vel ad cœnam, inſcio Superiore, inuitetur, multò etiam minùs hoſpitio; niſi vno omnium conſenſu Præpoſiti & Deputatorum. Ex cæteris aliquem nullus Patrum aut Fratrum inuitet ad prædia quæcumque noſtræ Congregationis, nec recipiat, vt ſecum ibi moretur, ſine conſenſu Præpoſiti Congregationis. Nullus abeſſe vltra menſem à Congregatione permittatur à Præpoſito, ſiue in patriam profecturus ſit ſiue aliò; niſi de conſenſu etiam Deputatorum. Nullus è noſtra Congregatione in baptiſmate aut alio Sacramento quempiam ſuſcipiet.

His aptè congruenterque addenda ſunt etiam nonnulla, quæ diuturna conſuetudine recepta & probata ſtudioſè retinentur à noſtris. Litanias enim in Oratorio veſperi ſingulis hebdomadis ſinguli Sacerdotes recitant. In diuino ſacrificio Miſſæ non ſolùm ſinguli quotidie Clerici laicique deſeruiunt, ſed Sacerdotes complures, laude quidem digni, ſunt adminiſtri. Menſæ, præter laicos & Clericos, qui perpetuò miniſtrant alterni ſinguli etiam Sacerdotes veſpere ſingulis diebus miniſtratores adſunt. Neque deſunt ex noſtris, qui ſe frequenter ad domos infirmorum hoſpitales conferant, vt opera ſua ægrotantes iuuent. Domi verò cùm quis noſtrûm ægrotauerit, omnes frequentes adſunt, ſubueniunt, conſolantur, inſeruiunt, confirmant quàm diligentiſſimè. Cùm autem morti proximus quis fuerit, ſigno dato conueniunt omnes iam Sacerdotes quàm cæteri, vt diuinam morienti miſericordiam vnanimes expoſcant. Si quando alterum quis verbo offenderit, veſperi inter cœnandũ, re dubia iam explicata, flexis in medio triclinio genibus, faciẽs ſe reum, veniã ab illo petit, quem offenderit. Is verò aſſurgens, idem q; faciens, culpam in ſe ſaltẽ conuertit, quòd occaſionem dederit; iniurioſus autẽ merita afficitur à Prępoſito pœna, aliquando leui, aliquando nulla. Pœnę antẽ, quę culpis in Cõgregatione bis in menſe accuſatis imponi ſolent, ſunt huius ferè generis. Trium priorũ Sacerdotum aut nouiſſimorũ pedes in menſa deoſculari: Pſalmum, cuius initium *De profundis*, ſubmiſſa voce, extenſis brachijs, vel Pſalmũ *Miſerere*, coniunctis manibus, medio in triclinio recitare: In nouiſſimo menſæ loco recumbere: Humi ſedendo cibũ capere: Auxiliares preces ab ingredientibus tricliniũ flexis genibus flagitare; vel eaſdem petere ad delenda ante obitũ pœnitendo peccata: Ante menſę accubitũ aliquid à ſingulis recumbentibus eleëmoſynæ nomine petere: Secundæ menſæ miniſtrare, vel in ea Lectoris officio fungi: Sacram B. MARIÆ Virginis coronam pro ſummo Pontifice, aut pro beneficis in Congregationem noſtram, aut pro mortuis noſtris recitare: Infirmos, qui ſunt in domibus hoſpitalibus, inuiſere; & aliæ his perſimiles.

## *Cap. x. De Triclinio & communi menſa.*

ASſumenda tandem eſt tractatio menſæ ad pium in Triclinio conuictum inſtructæ, vbi ſingulis noſtrûm idem genus, eadem portio cibi potioniſque ſuppetit. Legitur ipſa Italicè quandoque inter cœnandum, arbitratu Præpoſiti vel Miniſtri, hoc ferè ſcripta exemplo. Cùm primum prandij aut cœnæ datum fuerit ſignum, vnuſquiſque noſtrûm in omni prorſus opere ac negotio ceſſans, ad triclinium ſe confert. Inter eundum ſilentium facit, etiam dum à menſa ad locum peruenerit, in quem homines noſtri ad animum recreandum conuenire debent. In ipſo primùm ingreſſu, capite inclinato veneratur Imaginem ſacram è conſpectu propoſitam; deinde conſueto reuerentiæ ſigno ſalutans alios, modeſtus ac ſilens propè menſam, vt ſuo ſtat quiſque loco, nec epulas appoſitas, nec alios ingredientes curioſè circumſpicit. Præpoſitus, vel qui eius abſentis locum obtinet, poſtquàm tantiſper expectauerit, dum ex cubiculis conuenire huc omnes potuerint, clarè ac diſtinctè, ex præſcripto S. Romanæ Eccleſiæ, menſæ benedicit, & in primo loco ipſe Præpoſitus aſſidet, deinde alij, vt quotuſquiſque ſolet in Congregatione præcedere. Si quis verò tardior, lectione tamen Latina nondum abſoluta, aduenerit, ſtans propè ianuam orat pauliſper tacitus, & Præpoſito reuerentiam exhibens, proximè poſt alios omnes aſſidet. Præpoſito enim abſenti, reuerentiæ & obſequij cauſſa, non autem alijs, proprius relinquitur in menſa locus. Poſt Latinam tamen menſæ lectionem



Digitized by Google

nem non ingredietur, donec ad menſam iterum inſtructam conſueto ſigno conuocetur, vt ad benedictionem & gratiarum actiones omnes conueniant. Excipiuntur tamen Confeſſarij, quibus permiſſum eſt feſtis diebus, etiam abſoluta menſę lectione ad prandium venire. Menſæ initio, donec Præpoſitus ad cibum capiendum ſe expediat (antequàm enim incipiat, duos ad ſummum verſus lectionis attendit) nemo quidquam attingit in menſa. Caueat etiam, ne ſtrepitus à principio nimius audiatur.

Singuli ex noſtris ijs contenti erunt quæ ipſis apponuntur in menſa; nihil prætereà expoſcentes, vel per ſe ipſi deferentes, niſi Præpoſiti vel Miniſtri fruantur licentia; qui & promptiores largientur & prouidebunt quæ opus eſſe & expedire vnicuique iudicauerint. Si earum rerum, quæ in menſam inferri ſolent & apponi, aliquid cuiquam deerit, ipſe quidem per ſe à miniſtris exiget, eius tamen curæ potiùs erit qui propior conſideat. Fit in menſa ſilentium ſemper, modò non incurrat exceptio. Fit enim loquendi poteſtas proponenti, vel reſpondentibus ad rem dubiam explicandam; prætereà denuntianti poſt cœnam noſtrorum precibus cõmendandos; Præpoſito demùm vel Miniſtro, cùm quid occurrerit quod Lectori cõmitti non potuerit, nec differri debeat. Alioquin ſilentij lex, qua etiam Præpoſitus aſtringitur, eſt obſeruanda. Nemo in menſa litteras legat, nec ianitor eas deferat, vel alicui quicquam denuntiet comedentium. Quòd ſi qua imminens vrgeat neceſſitas, negotium cum Præpoſito, aut cum eo qui in illius locum ſuccedit, collatum priùs, exequitur ex conſenſu. Idipſum ſeruet, donec ex triclinio eò peruentum fuerit, quò animi cauſſa noſtri omnes conueniunt. Poſt epulas ablata menſa ſinguli, ſurgente Præpoſito, ſurgunt, & egreſſi ita ſtant propè menſam, vt ſi commodè id fieri poſſit, qui ſedentes extremos occupabant locos, ſtantes occupent medios, & qui ſedebant medij, ſtent extremi, ſinguli recto conſiſtentes ordine. Præpoſitus ſolus, dignitatis cauſſa, paululùm à ceteris diſiungitur. Hic igitur ſitus & ordo, quo Deo optimo maximo gratiæ referuntur. Quibus peractis, egrediuntur bini ex triclinio, vt qui in menſa primus poſt Præpoſitum ſedebat, ipſi egredienti ſe adiungat, ac ceteri deinceps eodem ordine. Nemo in triclinio vel in proximo veſtibulo, vbi ſolùm ad abluendas manus licet conſiſtere, aliquam prætereà moram faciat.

## *Lector, & lectio menſæ.*

NOn ſolùm corpori, ſed etiam menti proprius ſuppeditari debet in menſa cibus. Sacra igitur ante alios libros leguntur Biblia; deinde pia quæcumque commentaria vel monumenta, poſtremò Superioris arbitrio liber alius, in quo vel probatæ Sanctorum hiſtoriæ, vel ſalutaria documenta Italicè habeantur. Lector autem ante prandium vel cœnam, in ſuggeſtu ſe libroſque parat ad legendum; ſtat nudato capite, dum preces adhibentur ad menſam, & vbi verſum illum protulerit, *Iube domne benedicere*, expectanetque donec omnes conſederint, ipſe etiam ſedens, tecto ac recto capite, clara voce diſtinctè atque explicatè legit. Lectione iam in ſuas partes ſapienter diſtributa, ab vltima non ceſſat, niſi iuſſus à Præpoſito; nec ei is iubet, niſi vltra dimidium prandium vel cœnam. Quod ſupereſt in menſa temporis, in quæſtione, vt moris eſt, proponenda, ac reſponſionibus declaranda traducitur. Lectoris erit, non modò in menſa quos diximus legere libros, ſed ad rem dubiam proponendam inuitare; ſingulis item hebdomadis ſemel vt minimum, eorum qui benefici fuerint in noſtros, ſcripta nomina recitare; quæcumque tandem verbis aut ſcriptis à Præpoſito ſeu Miniſtro iuſſus fuerit, referre. Nihil enim prætereà legere aut nuntiare debet, quàm quod ſibi fuerit ab ipſis impoſitum. Correctus Lector verba Correctoris eodem ſyllabarum ſono, quo ille pronuntiauit, repetat: Corrector autem ad hoc electus vocabulum ſolum, in quo erratum eſt, corrigere modeſtè, nec alia verba interponere curet. Legendi finem Lector faciet, cùm Præpoſitum audierit verba illa pronuntiantem, *Et reliqua*. Tunc ille prolato verſu, *Tu autem Domine miſerere nobis*, & Sacerdote clara voce admonito, cui ſit res dubia ex ordine proponenda, deſcendit, & exhibita Præpoſito ſententia aſſidet in menſa, vt comedat. Cap. XI.

## *Res dubiæ in menſa proponendæ.*

Cap. XII. POſt lectionem continuò vnus aliquis ex Sacerdotibus (id enim ipſi ſinguli, quorum eſt expletum in Congregatione triennium, præſtare ſolent) ſingulis diebus manè & veſpere ex literis Sacris, ex morali diſciplina, vel ex præceptis optimæ mentis & conſcientiæ aliquid proponit, quod poſſit in dubium vel controuerſiam venire; caueat tamen ne quid arduum, obſcurum aut nimis exquiſitum proponat, quò minùs valeant ſinguli reſpondere. Si quando tamen aliquis non aliud reſponderit, quàm ſe aliorum communi iudicio ſtare, datur id modeſtiæ potiùs quàm inſcitiæ. Is autem cui muneris eiuſmodi dies obuenerit, etiamſi Lector, vt moris eſt, non commune fecerit, per ſe proponit: ſi quis tamen externorum ad menſam vocatus adſit, non niſi iubente Præpoſito, vel alio in eius locum conſtituto. Neque enim tunc Lector, vt aliàs, ipſum præmonere debet. Abſenti is ad proponendum ſuccedit, qui proximus poſt illum in menſa ſedere conſueuit. Si quis etiam tardior ad proponendum videatur, quòd obliuione vel negligentia acceſſerit imparatus, Præpoſiti eſt expoſcere altiore voce, aut vicinioris conuiuæ ſubmiſſâ commonefacere. Duę quidem quęſtiones eſſe ſolent, quę dubitationem habentes, proponuntur in menſa: explicant alterutram ſinguli; ſolus qui proponit, vt omnem dubitationem vltimus tollat, pręmeditatus ad vtramque reſpondet. Reſpondentium is primus eſſe debet, qui proponenti proximum inferiorem locum in menſa tenet; deinde alij Sacerdotes expleti in Congregatione triennij, eodem ordine. A reſponſis, quæ deberit eſſe quàm breuiſſima, recedat omnis apparatus & oſtentatio. Proponitur enim explicandum quod dubium eſt, omnium nomine, vt quiſque quaſi diſcipulus à præceptore interrogatus reſpondeat, etiam is qui propoſuit.

## APPENDIX.

DE ipſis tamen Conſtitutionibus hęc habentur. Si quid ambiguum fuerit in noſtris Conſtitutionibus, Præpoſitus & Deputati declarabunt: nullo tamen modo poſſint eas immutare, derogare, aut aliqua ex parte innouare, vel nouas condere.

## *Appendix primi capitis conſultò ſepoſita.*

IN Oratorio noſtro ad veſperum quotidiè, dato ſigno, lampade ac luminibus accenſis, horologio item arenario ſuper altare poſito ante ſacram B. Virginis MARIÆ imaginem, à ſolemni Chriſti Domini Reſurrectionis die vſque ad Kalendas Nouembris, hora diei XXIV. ex Kalendis autē * Nouembris ad ſanctum Paſcha prima noctis orationi præfinita eſt: feſtis verò diebus * etiam ſecunda: habetur enim ſermo, ſitque concentus muſicus. Eſt autem orandi ritus, vt vbi dimidiam horam taciti in oratione, vt dicitur, mentali traduxerint, accenſis ab Æditituo reliquis in altari luminibus, & ſigno dato, Sacerdos, ad quem per hebdomadam pertinet, Litanias incipiat & preces conſequentes, alternis etiam multitudinis congregatæ vocibus recitandas, ſibi ſolas reſeruans orationes. Cùm verò ad Pacis orationem peruenerit, cuius eſt initium, *Deus à quo ſancta deſideria* &c. duo confeſtim ex Oratorij fratribus vel miniſtris ſacras clementiſſimi IESV ex altari ſumentes imagunculas, Sacerdoti primùm genuflexo oſculandas prębent. Ex oſculanti autem, dicentique hinc atque inde, *Pax tecum*, inelinato ipſi capite reſpondent: *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde ſingulis, qui ſunt in Oratorio, cum ſalutatione qua Sacerdos vſus eſt, eas ad oſculum ſanctum offerunt. Ceteris interim orationibus abſolutis, petit ab omnibus clara voce, vt à Deo ingem in eius cultu & ſeruitute perſeuerantiam precentur, quinquies ſecretò orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem recitantes. Dicit enim: *Petamus quaſo nobis in diuinis perſeuerantiam, recitantes*, &c. His adhibitis precibus petit iterum, vt pro ſummo Pontifice, Cardinalibus, aliiſque Sacer-

* Septembris.
* à Kalendis Nouembris.

cerdotum primarijs, pro Chriſtianorum Principum concordia, Fidei propagatione, & hęreſum extirpatione, atque improborum hominum obtinenda conuerſione vtramque bis repetant; tum inde ſemel pro fratribus Oratorij vita defunctis, precantes illis requiem ſempiternam. Poſteà verſu illo prolato, *Dominus det nobis ſuam pacem*, Antiphonam B. MARIÆ pronuntiat, vel *Salue Regina*, vel aliam tempori magis congruentem. Tandem qui pacis oſculo per ſacras Imagines primùm alios, deinde ſeipſos inuicem ſalutarunt, quęcumque acceperint eo tempore orationibus cōmendanda, referunt Sacerdoti; qui omnes adhuc obſecrat, vt velint pro eiuſmodi rebus orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem ſemel repetere, & ſanctiſſimum IESV nomen quinquies inuocare. Ea prece completa, cùm ipſe verſum pronuntiauerit, *Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum*, & ad oſculum vſque terrę ſeſe omnes inclinauerint, Oratorium dimittitur.

Hic perpetuus eſt Orationis vſus; exceptis ſecunda, quarta & ſexta ferijs, tota prętereà maiore hebdomada. His enim diebus ob memoriam flagellorum, quibus innocens pro nobis Chriſtus Dominus cęſus fuit, ſe omnes in Oratorio flagellis cędunt. Eſt autem conſuetudinis & inſtituti (niſi huiuſmodi dies feſti ſint, aut hebdomadę Reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI) vt poſt horę dimidię tacitam orationem, quam mentalem appellant, ſtatim aliqui ex Oratorij Cuſtodibus vel Curatoribus flagella, ex funiculis crebris contexta nodis, diſtribuentes, miſſis foras (ſi qui ſint) pueris, ianuis feneſtriſque diligenter clauſis, lucernula tantùm accenſa, quę ſit intra eius artificij laternam ſuper altare tunc poſitam, vt tantùm inde Chriſti cruci affixi nitida, nihil tamen fulgoris emittens, appareat imago, ceteris extinctis luminaribus, tenebras obducant. Tunc Sacerdos clara lugubrique voce pronuntiat verſum: *Iube Domine benedicere. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſemper in cordibus noſtris.* Recordamini fratres cariſſimi, quòd Dominus noſter IESVS Chriſtus fuit pro nobis venditus, oſculo traditus, ad Annam primùm, deinde ad Caipham Pontificem ductus, & poſtremò in prętorium ad Pilatum, vbi fuit ad columnam ligatus & flagellatus, ſpinea corona coronatus, ac veſte purpurea circumdatus, alapis percuſſus atque conſputus, & Iudęis traditus vt crucifigerent, ad Caluarię locum deductus & crucifixus, & cum eo crucifixi ſunt latrones duo, vnus à dextris & alter à ſiniſtris; & cùm dixiſſet, Sitio, porrexerunt ei acetum, quod cùm accepiſſet, dixit: Conſummatum eſt; & inclinato capite emiſit ſpiritum. (*Hic ſinguli ſibi pectus pugno tundunt.*) Deinde vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua; & de cruce depoſitus fuit, in monumento nouo ſepultus; tertia autem die reſurrexit à mortuis. Tu autem Domine miſerere nobis. R. Deo gratias.

Sequitur; *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam*, &c. Ad hæc verba arreptis funiculis nudatum corpus tamdiu verberant, donec Pſalmi L. nempe *Miſerere*, cum verſu *Gloria Patri* &c. & Pſalmi CXXIX. cuius initium, *De profundis*. in cuius fine dicunt; *Requiem æternam*, &c. verſus alterni deuotè pronuntientur. Inſuper orationes; *Fidelium Deus omnium conditor & redemptor.* &, *Deus qui culpa offenderis* &c. Ad cuius finem fit, ſigno dato, flagellorum finis. Sacerdos autem ad orationem Dominicam & ad ſalutationem Angelicam quinquies repetendam hortatur: deinde bis pro Pontifice &c. & ſemel pro fidelibus defunctis &c. ad eumdem planè modum, quo alijs diebus orare ſolent, in quibus abſtinent à verberibus. Hoc interim ſpatio ſinguli in tenebris & ſilentio ſuis ſe veſtibus induunt. Poſt hæc Cantici Simeonis, videlicet *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine* &c. verſus alternos recitant. Parat interim ſe Cuſtos, vt cùm illa verba audierit, *Lumen ad reuelationem gentium* &c. laternam aperiens, lumina rurſus accendat. Sequitur Sacerdos orans, *Da pacem Domine* &c. & oratione illa abſoluta, *Deus, à quo ſancta deſideria* &c. offeruntur ad pacis oſculum Imagines ſacrę, eodem penitus ritu, quo alijs ferijs. Additis interim orationibus alijs conſequentibus, ſubdit orans; *Dominus det nobis ſuam pacem*: Reſpondent: *Vitam æternam, amen.* Poſtremò ſanctam Virginem Deiparam ſalutant Antiphona conſueta, vt anni tempus aptè congruenterque poſtulat: itemque cetera, vt in alijs ferijs, in quibus nullus eſt flagellorum vſus.

## *Exercitationes in quibus verſari ſolent Dominicis diebus.*

Cap. XIII. tom. 1. Bullar. in Append.

Æ Dituus vel quiuis alius Cuſtos maturè diebus Dominicis fores Oratorij manè aperit. Lector ſuccedit ad lectitandum librum optimi cuiuſpiam argumenti ac ſalutaris tractationis, donec frequentiori concurſu facto Præfectus vel adiutor, flexis genibus, ad piè meditandum aliquid proponit; poſteà Litanias ac ceteras orationes proſequitur, ſicut veſperi moris eſt quotidiè facere. His abſolutis, vnus aliquis Sacerdotum, qui ad audiendas Confeſſiones non ſunt deputati, ex Euangelio Sermonem habens ad diem recurrente, ſimplici ſtilo ad peccata cauenda, ad optimos mores retinendos, ad omnem denique conſeruandam pietatem, hora non amplius dimidia adhortari ſolet auditores. Sermone habito, & oratione Dominica, Angelicaque ſalutatione repetita, interrogat Præfectus, adſit ne aliquis, qui nouerit quempiam ex fratribus ægrotare, vt ſtatim ad hoc muneris delectos, vel quos maluerit, mittat, qui languentem viſitent, conſolentur, mœrore vel inopia ſubleuent, ad peccatorum confeſſionem, atque ad dolorem patienter placidéque ferendum hortentur. Infirmi fratris nomen & habitatio ſcribitur in tabella, ne viſitationis & orationia prætermittatur officium. Septem deinceps ex fratribus ad ſeptem Vrbis eccleſias, religione & ſacris Pontificum Indulgentijs toto Orbe celebres, ac tres ad tria publica infirmorum hoſpitia mittuntur, vt quiſque ſuam, quæ ſortitò obtigerit, vel eccleſiam vel domum hoſpitalem ſemel infra hebdomadam viſitet: feſtis enim diebus ad hæc pietatis officia ferè omnes commeant. In his autem exercitationibus impendunt ferè horam cum dimidia. Die autem Dominica, quæcumque vltima menſis erit, præmonentur, vt ad Synaxim ſe præparent, ad Euchariſtiam ſcilicet ſumendam. Hoc enim Sacramento prima quauis die menſis Dominica ſe communiunt: & à prandio in Oratorio vel in ſchedulis compendiaria quædam documenta ſcripta, vel Sanctorum imagines chartaceæ diſtribuuntur, vt ſuam quiſque accipiat, & quid per Sanctum, cuius imago ſibi obtigit, à Domino petere debeat, ſubſcriptum in illa cognoſcat.

## *Alia à prandio exercitationes tam in Dominicis quàm in alijs feſtis diebus.*

Cap. XIV.

POſt Officium veſpertinum feſtis quibuſque diebus in eccleſia noſtra decantatum, & Sermonum habitum, ſtatim ex Presbyteris noſtris ac laicis, cum externis Oratorij fratribus, alijſque plurimis ad ſuburbanum peculiarem locum frequentes conueniunt: vbi ſuper herbam conſidentes, primùm qui muſici ſunt pium aliquod ſacrumuè carmen concinunt; deinde quiſpiam Sermonem, non minùs pietate quàm elegantia ornatum, ab Oratorij Præfecto in ſcriptis traditum, recitat memoriter: quo habito rurſus concinunt. Surgit poſt hęc Oratorij Pręfectus, vel alius cui ſit à Patribus demandatum, qui aliquod ad piè Chriſtianeque viuendum quàm breuiſſimè proponens argumentum, alterum ad dicendum inuitat, ac deinceps tertium; imò ſi tempus id poſtulet, etiam quartum: qui omnes ad rem propoſitam pari breuitate ac pietate ad ſuam & audientium vtilitatem ſermocinantur. Cùm fuerit dicendi finis, hymnus concinitur, ac demum omnes ad propria vel ad Oratorium reuertuntur. Dum verò per æſtiui caloris moleſtias ad huiuſmodi loca non licet exire, in aliquod templum ad eas exercitationes ſeſe conferunt. At hieme, ex Kalendis Nouembris vſque ad ſanctum Paſcha, feſtis diebus veſperi ad ſalutationis Angelicæ ſignum in Oratorium itur. Durat dimidiam horam mentalis oratio; Litaniæ recitantur, vel à muſicis concinuntur; Oratio Dominica, Angelicaque ſalutatio ad ſolitum numerum * repetuntur; Antiphona S. MARIÆ Virginis pro temporis oportunitate mutata canitur; pium aliquod canticum muſicis legibus concinitur. Sacerdos ex noſtris, quotuſquiſque eſt in ſerie ſermocinantium, Dei verbum adſtanti populo, qua poteſt vtilitate ac facilitate, per dimidiæ horæ ſpatium miniſtrat: rurſus

* Cùm ſit concentus muſicus, trina eſt hæc repetitio.

ſus concentus efficitur; ter prece conſueta oratur Deus, Virgoque Deipara ſalutatur; ac cœtus dimittitur.

## *Externorum in Oratorio munera.*

Cap. XV.

EX externis Oratorij Fratribus eligitur à Præfecto in primis Rector, qui aliorum officijs præſit: Æditui vel Cuſtodes duo aut quattuor, qui Oratorium ſcopis verrant, lampades & candelas accendant; flagellorum, horologij & altaris ornandi curam gerant: duo item vel quattuor ægrotantium Curatores, qui infirmos fratres viſitent. Aliqui etiam eliguntur, qui oblatam ſponte pecuniam vel ægrotantium fratrum, vel domorum hoſpitalium, vel demum Oratorij commodo ſincerè ac diligenter attribuant; nec omninò accipiant, niſi quam ſciunt ſponte oblatam, vt illud Apoſtoli dictum re vera ſeruetur: *Non veſtra, ſed vos.* A Secretis etiam aliquis deligitur, qui in libro quæcumque tractantur notat: prætereà Lector, qui pias lectiones diebus feſtis præmittit orationi. Ad infirmos item, qui ſunt in Valetudinarijs, quolibet feſto die perferunt corporis refectioni vtilia, Medico probata. Expenſarum autem Rectori, & Oratorij Præfecto ſingulis menſibus, imò quoties eis libuerit, rationes ex præſcripto referant. Nihil enim iuris aut poteſtatis eſt hominibus exteris & laicis in Oratorij rebus, præter adminiſtrationem à Præfecto Oratorij traditam.

Cap. XVI.

HORVM ELECTIONIS ORDO. Quarto quoque menſe eliguntur exteri fratres ad eiuſmodi munera, hoc planè modo. Oratione Dominica & ſalutatione Angelica recitatis, his Præfectus ſolet precibus diuinũ auxilium inuocare, videlicet: *Veni creator Spiritus, reple* &c. Reſpondetur: *Et tui amoris* &c. Verſ. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur*: Reſpondetur: *Et renouabis faciem terræ.* Oratio: *Deus qui corda fidelium* &c. *Actiones noſtras* &c. Declaratis & publicatis, recitatur hymnus, *Te Deum* &c. Antiphona B. Mariæ: Oratio: *Gratiam tuam* &c. Antiphona, *Da pacem* &c. Oratio: *Deus, à quo ſancta deſideria* &c. Item Oratio Dominicæ, eo tempore recurrentis, vel Sancti, cuius feſtum celebrari contingat. Electis pia aliqua documenta aut obſeruationes breuiſſimè leguntur.

Cap. XVII.

ADMONITIO. Cùm ſit Congregationi noſtræ liberum omnes grauiter delinquentes, vel ſtatum eius perturbantes de conuictu & familia ſuorum dimouere ac depellere: cùm ſatis item perſuaſum ſit, vix quemquam ſuæ negligentem ſalutis diu permanſurum, vbi & progreſſus ad virtutes, & perfectorum pia æmulatio eſſe debet, beatus Inſtitutor aſſeruit, neminem penitùs has Conſtitutiones obligare ad peccatum velle. Ipſe Deus arbiter, præmia pro pietate daturus æterna, ſit ſua nobis benignitate propitius. Amen.

*Finiunt Inſtituta Congregationis B. Philippi ſiue Oratorij Romani S. Mariæ in Vallicella, S. Sedis Apoſtolicæ auctoritate condita, recognita & confirmata.*

## *Paulus V. Inſtituta Oratorij Romani iam recitata approbat anno* 1612.

Bullarij tom. 3. in Appen.

PAulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam &c. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij, Præpoſitus & Presbyteri Congregationis Oratorij, in eccleſia S. Mariæ in Vallicella nuncupata de Vrbe inſtitutæ, quòd ipſi quaſdam Conſtitutiones & Ordinationes, pro felici dictæ Congregationis regimine & ſpirituali progreſſu, conſcripſerunt, illaſque non ſemel examinatas, ac etiam mandato noſtro recognitas in vnum volumen redegerunt, tenoris ſubſequentis: *Caput 1. De Oratorio & Oratione. Verè locum orationi deſtinatum Oratorium dicimus* &c. vt ſuprà. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, Præpoſitus & Presbyteri prædicti plurimùm cupiant Conſtitutiones & Inſtitutiones huiuſmodi, pro firmiore etiam ſubſiſtentia & inuiolabili obſeruatione, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, nobis proptereà humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum votis in præmiſſis annuere, aliaſque deſuper opportunè prouidere de benigni-

tate

rate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur deſiderij huiuſmodi iuſtitiam attendentes, illoſque ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis cenſuris abſoluentes &c. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones & Ordinationes prędictas, ſicut pręfertur, examinatas & recognitas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: decernentes modernos & pro tempore exiſtentes Præpoſitos & Presbyteros dictæ Congregationis ab eis, prout illæ quemlibet eorum adſtringunt, nullo vnquam tempore reſilire poſſe aut debere, ſed ad plenariam eorum obſeruationem teneri & obligatos eſſe, & ad id pœnis in Conſtitutionibus & Ordinationibus huiuſmodi contentis cogi & compelli poſſe. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 24. Februarij
1612. 1612. pontificatus noſtri anno ſeptimo.

## *Oratoria quæ Nerianam vitæ formulam æmulantur.*

ROMANVM Oratorium, ad ædem B. Mariæ in Vallicella, cum onere parochiali, 1575. beneficio Gregorij XIII. Papæ.

Neapolitanum, beneficio Annibalis Capuani, Archiepiſcopi Mediolanenſis, 1586.

Septempedanum in Piceno. *San Seuerino*, inter Maceratam & Camerinum.

Anxanum in Aprurio, 1598. cum cura Seminarij adoleſcentum. *Lanzano.*

Lucenſe, à Republica Lucenſi exſtructum. *Lucca.*

Firmanum in Piceno. *Fermo.* Camertinum in Vmbria. *Camerino.*

Fanenſe in Senonibus. *Fano.* Ferrarienſe in Æmilia. *Ferrara.*

Panormitanum, in Sicilia. *Palermo.* Drepanenſe, ibidem. *Trapani.*

Patauinum, in ditione Veneta. *Padoua.* Vicentinum ibidem. *Vicenza.*

Tononienſe, *Tonon*, in diœceſi Geneuenſi & Ducatu Chablaſij: quod Oratorium poſteà tranſijt ad Congregationem Oratorij Domini Ieſu, à Petro Berullo Cardinale excitatam.

Oratorium B. Mariæ Gratiarum in diœceſi Foroiulienſi in Prouincia. *Frejus.*

Aſpricollenſe in Brabantia, ab Alberto & Iſabella Belgarum Principibus fundatum ac dotatum; cum onere parochiali. *Noſtre Dame de Mont-aigu.*

Duacenſe in Gallo-flandria, ab Hermanno Ortembergio, Epiſcopo Atrebatenſi, fundatum anno 1626. quo & obijt. *Douay.*

Ceruienſe in Hannonia, cum onere parochiali. *Noſtre Dame de Chievre.*

Branienſe in Hannonia, cum onere parochiali. *Braine le Comte.*

## *Viri illuſtres ex Oratorio Romano.*

PHILIPPVS NERIVS, Florentiæ anno 1515. feliciter natus, fundamenta Congregationis Oratorij circa annum 1550. Romæ iecit, & ibidem anno 1595. ſanctiſſimè in Domino obdormiuit, à Gregorio XV. Sanctorum catalogo 1622. adſcriptus. Vitam eius litteris conſignauit Antonius Gallonius.

FRANCISCVS MARIA TAVRVSIVS, in Monte Politiano apud Etruſcos (quæ & Roberti Bellarmini Cardinalis patria fuit) genitus, S.R.E. Cardinalis & Archiepiſcopus Senenſis, vir omni virtutum atque actionum genere clariſſimus, obijt 1608.

CÆSAR BARONIVS, Soræ in Campania regni Neapolitani prouincia 1538. natus, Annalium Eccleſiaſticorum conditor, inuitus & reluctans primùm Protonotarius Apoſtolicus, ex primo ordine eorum qui Numerarij dicuntur, pòſt Cardinalis à Clemente VIII. Pontifice, magno ingeniorum æſtimatore, creatus, anno 1607. in Domino obdormiuit; funebri laudatione à Michaële Angelo Buccio, Oratorij presbytero, honoratus. Baronij elogium exſtat apud Henricum Spondanum in Epitome Annalium Baronianorum. Tauruſio & Baronio commune epitaphium ad ædem B. Mariæ in Vali-

cella

cella à ſodalibus eſt poſitum; quod hîc viſum eſt ſubnectere: *D. O. M. Franciſco Mariæ Tauruſio Politiano, & Cæſari Baronio Sorano, ex Congregatione Oratorij, S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, ne corpore diſiungerentur in morte, quorum animi diuinis virtutibus inſignes in vita coniunctiſsimi fuerant, eadem Congregatio vnum vtrique monumentum poſuit. Tauruſius vixit annos* LXXXII *menſes* IX. *dies* XIV. *Obijt* III. *Idus Iunij* M. DC. VIII. *Baronius vixit annos* LXVIII. *menſes* VIII. *Obijt pridie Kal. Iulij* M DC. VII.

IVVENALIS ANCINA, Foſſani in Pedemontio natus, Epiſcopus Saluiiarum, ſub ditione Ducis Sabaudiæ, magna ſanctitatis opinione 1604. deceſſit. Fuit ei Romæ perfamiliaris Hermannus Ottembergius Nouiomagenſis, Auditor Rotę in Vrbe, pòſt Epiſcopus Atrebatenſis & Oratorij Duacenſis fundator.

FABIANVS IVSTINIANVS Genuenſis, Epiſcopus Adiacenſis in Corſica inſula, ſcripſit Explanationes hiſtoricas & documentis moralibus illuſtratas in librum Tobię, 1621. Romæ in folio excuſas.

THOMAS BOZIVS, Eugubinus, ſcripſit contra Macchiauellum, De ſignis Eccleſiæ Dei, De robore bellico, De antiquo & nouo Italiæ ſtatu, De ruinis gentium & regnorum, & alia.

ANTONIVS GALLONIVS, Romanus, 1594. ſcripſit De SS. Martyrum cruciatibus, & Vitas SS. Virginum Romanarum publicauit. Apologiam pro Baronio, adhuc viuente, Romæ 1604. contra Conſtantium Bellotum edidit, in qua de Monachatu S. Gregorij I. Papæ diſputat.

IOANNES SEVERANVS, à S. Seuerino, Romam ſubterraneam, ab Antonio Boſio Romano deſcriptam, multis partibus auxit, & poſt Boſij obitum Romæ in folio 1632. edidit. Seuerani eſt totus liber quartus: in quo Imagines à primorum ſæculorum Chriſtianis hominibus efformatas, & in agri Romani cœmeterijs ac cryptis ſubterraneis repertas, eruditiſſimis commentationibus explicauit.

Similis argumenti, ſed amplioris, librum à ſe conſcriptum *Ioannes Macarius* Greueninganus Belga, Canonicus Atrebatenſis, mihi olim peramicus, moriens Trilingui ſeu Buſlidiano Louanij Collegio reliquit, & Hagioglypta inſcripſit. In quo libro (typis, vt ſpero, Plantinianis breui edendo) de ſacris quibuſcumque Chriſtianorum Picturis & Sculpturis antiquioribus, quæ Romæ non ſolùm in cœmeterijs, ſed etiam in templis, gemmis & alibi reperiuntur, deque earum recondito ſenſu ac myſterijs accuratiſſimè diſſeruit. Origo autem atque occaſio iſtius ſcriptionis hæc fuit, vt ipſe in ſua ad Lectorem præfatione narrat: *Alfonſus Ciacconius* Hiſpanus, profeſſione Dominicanus, Hiſtoriæ Pontificum & Cardinalium ſcriptor, cœmeterium Priſcillæ, haut procul ab Vrbe in via Salaria anno 1578. repertum (dum foſſores, ad effodiendũ tophum ſeu puluerẽ arenarium, calci tẽperandæ aptum, terrę interiora penetrant, vt hodieque fert vſus Romæ) ſtudioſè perluſtrarat, & pictoribus adhibitis illius loci atque aliorum Imagines omnes penicillo delineatas in librum redegerat. Ciacconio poſteà ſocium in iſto antiquitatis ſtudio *Philippus Winghius* Belga ſe adiunxit, & ſua ipſe manu, quæ varijs in cœmeterijs Romæ viderat, fideliſſimè expreſſit: eo nomine à Cæſare Baronio in Annalibus non ſemel laudatus. Winghium, dum feruente æſtu Roma Florentiam, ad muſeium magni Etruriæ Ducis viſendum, properat, ante diem è viuis ereptum, *Antonius Boſius* Romanus excepit, vniuerſa Romani agri cœmeteria adijt, & Imagines in ijs & alibi repertas à pictoribus accuratiſſimè efformandas curauit. Horũ trium, *Ciacconij* videlicet, *Winghij* & *Boſij* collectanea Romæ cùm vidiſſet *Macarius*, vt erat Hebraicè, Gręcè ac Latinè doctiſſimus, omniſque antiquitatis peritiſſimus, eodẽ Boſio alijſque amicis rogãtibus, ad ſacras Picturas ac Sculpturas à Triumuiris iſtis collectas, & alias quaſcumque commentarijs illuſtrandas animum applicuit. Hi commentarij, titulo *Hagioglyptorum*, Louanij in Collegio Trilingui, vt dixi, exſtant manuſcripti, luce publica digniſſimi.

FINIS.

# CONGREGATIO OBLATORVM S. AMBROSII A S. CAROLO BORROMÆO INSTITVTA.

1598.

CVM pro Epiſcopalis vitæ ſtatu, qui religioſos Ordines quoſcumque perfecta optimaque vitę inſtitutione antecellit ( & vtinam re factiſque ſemper antecellerent! ) humana ſtudia, reſq; caducas *Carolus Borromæus*, Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, animo penitus abieciſſet, ad rem perficiendam, alioſque exemplo commouendos, illam animi conformationem re ipſa præſtare, factiſque exequi cupiebat. Quod quidem ad imitationem eorum veterum Epiſcoporum valde pertinebat, quos in primis ſancta colit Eccleſia. Egit primò ea de re cum Canonicis maioris baſilicæ Mediolanenſis, quos ea coniunctionis acceſſione vt verè fratres arctiùs complecti volebat, & tamquam Eccleſiæ ſenatum, vt veteres dixerunt, in Eccleſia gubernanda coniunctè magis adhibere. Neque verò id à ſuperiorum inſtituto valde aberat: nam inter ſe olim eiuſmodi vitæ rationem Mediolanenſes Canonicos, collatis in communem vſum fructibus, ſub Archiepiſcopo *Oberto* ſeu *Huberto Pirouano* habuiſſe, teſtantur Eugenij III. ſummi Pontificis litteræ; quas aliud agentes nos eo ipſo tempore fortè reperimus. Volebat verò ipſe quoque Carolus reditus ſuos omnes, vt alij, conferre; vt qui ei curæ præfectus eſſet, habita ratione dignitatis, officij & eorum omnium, quę Caroli perſona, ſanctè tamen, poſtulabat, prout cuique opus fuiſſet, diſtribueret: & omnino quantùm pro ratione dignitatis poſſet, pari conditione cum ſuis fratribus viuere in animo habebat. Sed quamuis ex eis nonnulli conſentirent, quibus vitæ ratio ad diuinorum conſiliorum pręſcriptum propoſita erat; ceteri tamen adduci non potuerunt.

Id cùm minimè ſucceſſiſſet, aliam ſocietatem inſtituere conſtituit, Clericis omnibus communem; qui cœnobiticę diſciplinæ imitatione viuentes, Eccleſię Mediolanenſi, multò magis quàm ceteri Clerici, mancipati, Archiepiſcopoque addicti, ſacra munera, quæ pro tempore vſuque Eccleſiæ oporteret, prompto animo ex Archiepiſcopali iuſſu obirent. In eum numerum plures Canonici, vnà cum alijs Presbyteris & Clericis, nomen dedimus. Vitę conditiones poſt multa, Gregorio XIII. Pontifice conſulto, hę ferè eo quidem initio conſtitutæ ſunt; vt *Oblati S. Ambroſij* ij dicerentur; quòd non certo homini, ſed Eccleſię Ambroſianę ſeſe addicerent; vtque Archiepiſcopo ſemper obedire promitterent, voti vinculo aſtricti. Hæc verò eorum munera ferè commemorata ſunt; Eccleſias perluſtrare ac recognoſcere; Parochi munus, vbicumque neceſſe eſſet, ad tempus ſuſtinere; ſacras habere conciones; muliebribus cœnobijs ſacris miniſterijs inſeruire; Chriſtianę doctrinę rudimenta per eccleſias docere; Collegiorum à Carolo inſtitutorum gubernationi operam dare; Archiepiſcopalis etiam domus miniſteria obire. Quibus quidem in rebus ita Carolus ijs vti conſtituit, vt tamquam Apoſtolicos viros, quocumque opus eſſet, mittere, tum ad arbitrium ſuum reuocare poſſet; vtpote ijs vinculis ſolutos, quibus Clerici paſſim detinentur, haut penitus Deo Eccleſięque traditi, ſed arbitratu ſuo viuentes, & commodis vtilitatibuſque ſuis ſuorumque ſępè ſeruientes. Quòd ſi qui magis ad vitę perfectionem accedere, rebuſque ſuis omnibus, quę poſſideri poſſunt, per votum ſe vellent abdicare, aut verò facultates ſuas retinentes, earum tantummodo poteſtatem ad Archiepiſcopi arbitrium deferre, eos admiſit. Laicis item locum dedit, qui operam ſuam facultatis artificijuè cuiuſpiam nauare vellent. Vota (vtpote non ſolemnia, ſed ſimplicia) eius conditionis eſſe ſtatuit, vt ea poſſet Archiepiſcopus remittere, & ijs aſtrictos, cùm opus eſſet, liberare. Societate non excluſit, qui certis eccleſijs addicti eſſent; quarum beneficia tamen dimittere, ſicuti neque accipere, ſine Archiepiſcopi

con-

Digitized by Google

conſenſu non poſſent. Ita cùm multi ſeparatim per varias eccleſias,alioſque locos viuerent, certa quoque Collegia conſtituenda decreuit, vbi Clerici ſimul tamquam in cœnobio vitam agerent. Quam ad rem idoneos ſocietati reditus aſſignari Pontificia auctoritate poſteà curauit, negotiumque totum confecit; quemadmodũ in Inſtitutionibus eo de genere editis fuſiùs continetur.

Eiuſmodi ſocietatis inſtitutionem viſus eſt ſtudioſiſſimè Carolus,ſi quid vmquam,ſuſcipere & proſequi:vt in alliciendis ad eam Clericis humanitate,officio,familiaritate,oblitus interdum ferè videretur grauitatis amplitudiniſque ſuæ. Erat enim ad animarum ſalutem omnibus viribus quærendam tanto ardore incitatus (in quo Congregationis illius ſumma hodieque conſiſtit) vt nihil in eo genere facere ſe poſſe exiſtimaret, quod minus non eſſet, quàm res ipſa poſtulabat. Plurimis id perſuaſit, maximè tunc oblata diœceſanæ Synodi occaſione: in qua tribus de more concionibus, propoſitis Dei miniſtrorum officijs, contrà verò eorumdem negligentia ante oculos conſtituta, licet modico admodum ſpatio ad meditandum dato, Clerum adeò commouit, vt multæ lacrymæ profunderentur, & presbyteri, quorum alioqui plurimi diuturna quadam conſuetudine ad res eiuſmodi obdureſcere ſolebant,ad munera ſua diligenter ſanctèque obeunda mirum in modum accenſi diſcederent: præſertim verò tertio die viſus eſt multis diuino ſpiritu afflatus inuſitatam quandam diuinamque dicendi vim adhibere. Vnum ipſe Collegium conſtituit Mediolani ad eccleſiam *S. Sepulcri*: quem locum boni Presbyteri nonnulli,atque inter eos *Ludouicus Moneta*,etiã ante Carolum Archiepiſcopũ, colentes antiquam Mediolanenſium Clericorum diſciplinam, in maxima ciuitatis corruptela retinebant.In ea igitur eccleſia ſocietatem XVII.Kalendas Septembris anno 1578. inſtituit, & primos ſeſe offerentes celebri ritu apparatuque recepit: quos alij magno numero ſecuti ſunt.Oblatis porrò ipſis multùm vſus eſt Carolus; in eoque ſemper perſeuerauit,vt illius ordinis Clericos benignè admodum tractaret, caroſque haberet. Collegium frequentabat,ſacra munera in eo piaſque exercitationes publicè inſtituebat: tum verò priuatim communicationes conſultationeſuè rerum ad eam diſciplinam, & omnino ad clericales virtutes pertinentium certis temporibus cum eis familiariter habebat, imitatione regularis inſtituti.

Sic ferè Carolus à Baſilica Petri lib.5.cap.2. in vita S. Caroli Borromæi,cui perſamiliaris extitit,& cuius nomine legationem in Hiſpania ad Philippum II. Regem & alias alibi obiuit.Fuit autem Carolus à Baſilica Petri primùm Canonicus eccleſiæ metropolitanæ Mediolanenſis,poſteà vnus ex primis Oblatis S. Ambroſij. Exinde Clericis regularibus S. Pauli, ſuprà à me laudatis, ſe adiunxit; ac demum ex Congregationis iſtius Paulinæ Præpoſito generali Epiſcopus Nouarienſis creatus, eximia vitæ morumque integritate floruit,& anno circiter 1614. in Domino obdormiuit. Pag. 92. & 93.

## *Inſtitutionum ad Oblatos pertinentium ſummarium.*

INſtitutionum ad Oblatos pertinentium Epitomen libris 4. comprehenſam Carolus Borromæus typis 1585.publicauit: quæ recuſa in Actis eccleſiæ Mediolanenſis,1603, Brixiæ editis, extat. Ex ijs pauca hæc habe: OBLATORVM Congregatio conſtat ex hominibus,qui S. AMBROSIO, Mediolanenſis eccleſiæ Antiſtiti ac patrono,vltrò ſuaque ſponte ſeſe obtulerunt,ad varia munia eccleſiaſtica, pro cuiuſque captu ac viribus, obeunda,& ad pia quæque præclaraque opera præſtanda. Huius Congregationis fundamentum præcipuum in exquiſita ac planè perfecta erga ipſos Archiepiſcopos Mediolanenſes obedientia eſt poſitum, ad Dei gloriam & animarum eiuſdem eccleſiæ ac diœceſis ſalutem impensè procurandam ac promouendam. Huiuſmodi autem obedientia duabus rebus fulcitur, Voto & Conſtitutionibus; Voto quidem tamquam forma voluntatem perficiente ac firmante; Conſtitutionibus verò quaſi Regula dirigente, viamque præmonſtrante eorum quæ amplectenda & quæ fugienda ſunt. Voti Clericorum formula eſt talis:

*Ego N. omnipotenti Deo, & ſanctiſſimo patri noſtro Ambroſio, coram beatiſſima Virgine Dei matre Maria, & tota cæleſti curia, ac tibi quoque, locum ſanctiſſimi patris noſtri Ambroſij hic obtinenti, Reuerendiſſime domine pater Archiepiſcope, ceteriſque deinceps Archiepiſcopis ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ, ſucceſſoribus tuis, promitto, ſpondeo ac voueo perpetuam obedientiam in his omnibus quæ mihi præcipientur, ad Dei gloriam, & ſalutem animarum eiuſdem eccleſiæ procurandam, adiuuandam & promouendam, ad præſcriptum inſtituta Congregationis Oblatorum ſanctiſſimi patris noſtri Ambroſij: illudque prætereà ſpondeo ac voueo, me in Congregatione & inſtituto hoc perpetuò victurum.*

Formula Oblationis laicorum eſt talis.

*Ego N. in conſpectu omnipotentis Dei, glorioſiſſimæque ſemper Virginis Mariæ, nec non beati patris noſtri Ambroſij, ac totius curiæ cæleſtis, proſtratus, tibi, Reuerendiſſime Archiepiſcope, pater & domine mi, ceteriſque deinceps Archiepiſcopis ſanctæ eccleſiæ Mediolanenſis, ſucceſſoribus tuis, perpetuam obedientiam offero, tam in ijs quæ ad curam, ſalutem, ſpiritualemque progreſſum animæ meæ pertinent, quàm in illis etiam, quæ ex Congregationis huius inſtituto per me præſtanda erunt, in operibus officijſque caritatis in Deũ, & miſericordiæ in proximos adhibendis.*

Quod ad Conſtitutiones attinet, ex ijs præcipua hæc capita habe. Oblati Clerici, iuxta præſcriptum Archiepiſcopi, illiuſque iudicium, quod de vnoquoque eorum faciet, ita ſe comparent, vt ſemper parati ſint ad ſacras lectiones exercendas, ad concionandum, ad Confeſſiones audiendas, aliaq; catholicæ Eccleſiæ Sacramenta adminiſtranda, ad animarum curam ſuſcipiendam ac gerendam, ad eccleſiaſticas functiones quaſlibet cuilibet Eccleſiæ præſtandas, ad pauperes erudiendos, ad clericorum educationem & inſtitutionem, ad Seminariorum Collegiorumque piorum gubernationem ac procurationem, aliaue officia in his ipſis locis exequenda, ad viſitationis miſſioniſque quodlibet munus rectè ac diligenter obeundum; ad omnem denique actionem piam promptè adminiſtrandam, & ad omne caritatis & miſericordiæ officium ſtudioſè obeundum.

Laici verò Oblati ea miſericordiæ caritatiſque erga alios munera ſedulò præſtent, quæ Congregationis inſtituto, pro illorũ conditione, conueniunt. Grammatici pauperes pueros & adoleſcentes litteras gratis doceant, Medici ægrotos curent, Iurecõſulti & Cauſidici lites dirimant ac ſedent, pacem concilient, egentium, viduarum, pupillorum, in carceres coniectorum, ac defenſoribus deſtitutorum cauſſas agant ac tueantur, ægros in Xenodochijs præſertim inuiſant, moribundos, vt piè in Domino moriantur, ſedulò cohortentur, alia denique qualiacumque Chriſtianæ caritatis officia ſeriò accurateque exerceant.

Porrò cùm Viſitatio & Miſſio præſtantiſſimę & vtiliſſimę ſint partes huius Congregationis functionum, Oblati in ijs exequendis quàm diligentiſſimos ſeſe præſtent. Nulli Oblatorum liceat beneficium aliquod, ſiue eccleſiaſticum ſiue alterius generis ſit, accipere, niſi Archiepiſcopo iubente, neque acceptum dimittere, niſi eodem cõſentiente. Canonicatum, beneficium aut officium eccleſiaſticum obtinentes, cui reſidendi onus coniunctum eſt, cùm in Oblatorum Congregationem cooptantur, nullis teneantur legibus aut inſtitutis, quæ functiones beneficio aut officio, quod habent, debitas impediunt. Vbicumque in Canonicalibus eccleſijs tres ſaltem Oblati beneficium, cui reſidendi munus ſit annexum, habeant, hi ex Congregationis inſtituto ad ſimul viuendum ſe conferant. Idem faciendum erit, ſi in eodem opido tres ſaltem Oblati erunt: niſi eorum cohabitatione victuſque communione impediantur functiones ad Eccleſias pertinentes, quibus illi adſcripti ſunt. Ceterùm vniuerſę Congregationis Oblatorum quaſi baſis eſt eccleſia *S. Sepulcri*, in vmbilico vrbis Mediolanenſis ſita; eiuſdemque domus Præpoſitus eſt ſecundarium quaſi caput. Primarium namque ac ſupremum caput eſt Archiepiſcopus Mediolanenſis. Ad hanc Congregationem inter alia ſpectat in primis cura *Collegij Helvetiorum ac Rhætorum*, quod S. Carolus Borromeus fundauit; item gubernatio *Collegij Borromæi*, quod idem S. Carolus in Academia Ticinenſi ſeu Papienſi conſtruxit.

Ceterùm Ioannes Petrus Iuſſanus, patria Mediolanenſis, presbyter ex Congregatione Oblatorum (qui vitam S. Caroli Borromæi ſermone Italico accuratiſſimè ad

Pau-

Paulum V. Papam conſcripſit ) lib. 5.cap. 4. prodit, ſuo tempore dictam Congregationem ducentis ampliùs Sacerdotibus pietate ac doctrina præſtantibus conſtitiſſe ; atque inter eos fuiſſe plurimos Doctores Theologos, multis nominibus eximios. Additque vniuerſam Congregationem in ſex primaria domicilia eſſe diuiſam : ex quibus duo in vrbe Mediolanenſi, reliqua quatuor per diœceſim Mediolanenſẽ ſparſa conſpiciuntur. Singula vnum ſibi Prępoſitum & vnum Pręfectum ſpiritualem habent. Generalis autem Prępoſitus vniuerſę Congregationis ſedem habet Mediolani ad ędem S. Sepulcri.

Præter Inſtitutionum epitomen ſuprà memoratam,exſtat etiam typis Mediolani editus *Modus & Formula obeundi cum fructu Conſortia Oblatorum in diœceſi Mediolanenſi & alibi*; iuſſu Frederici Borromæi Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis: qui & Bibliothecam Ambroſianam,cum Collegio Doctorum,anno 1611.inſtituit.

Et ne quid deeſſet,S. Carolus ſcripſit inſuper Regulas pro Oblatis ſæcularibus, Italicè in vrbe Mediolanenſi 1609. excuſas, & confirmauit Inſtructiones pro Congregatione piarum matronarum Oratorij de Sepulcro Dominico: quas eadem in vrbe 1589. Italico idiomate publicatas nuper ex Inſubria, beneficio V.Cl.Antonij Olgiati, Doctoris Theologi & Præfecti Bibliothecæ Ambroſianæ, cum alijs eiuſdem argumenti libris, accepimus.

---

# CLERICORVM REGVLARIVM MINISTRANTIVM INFIRMIS CONGREGATIO

## A CAMILLO LELLIO INSTITVTA. 1586.

SIXTVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam: Ex omnibus Chriſtianæ caritatis officijs,quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redẽptori noſtro Ieſu Chriſto vel maximè placere credimus, per quæ pauperes Chriſti, infirmi, & in hoſpitalibus exiſtentes,in neceſſitatibus ſuis ſpiritualibus & corporalibus adiuuantur. Quod genus officij dilectus filius CAMILLVS DE LELLIS presbyter Theatinæ diœceſis,& alij eius ſocij,quàm Deo gratum, & ſaluti animarum neceſſarium eſſe intelligentes, hiſce diebus erga pauperes Chriſti,in hoſpitalibus Vrbis noſtræ exiſtentes,non minori affectu,quàm mater erga quem vnicè educauit filium,demonſtrarunt, & quotidie hos modò, cum omni qua decet manſuetudine & caritate ad patientiam, alios ad Sacramentorum eccleſiaſticorum ſuſceptionem commonendo,alios in articulo mortis conſtitutos conſolando, & denique ad bene moriendum die noctuque hortando demonſtrare non ceſſant, Idemque præſtare intendunt, tempore etiam, quod abſit,peſtilentię. Hi itaque *Camillus* & ſocij inſimul & in communi,ſub paupertate, caſtitate & obedientia (ita tamen vt voto aſtricti non ſint) viuere, & Altiſſimo ac eius pauperibus famulari proponentes,vnam inter ſe Societatem ſeu Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine *Miniſtrantium Infirmis*, cuius principale inſtitutum eſt, ſpeciali quodam caritatis feruore infirmis prædictis inſeruire, ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito inierunt,ſperantes ex hoc multis incommodis & periculis, in quæ ſæpenumerò dicti infirmi ob defectum talium miniſtrorum inciderunt, obuiàm iri, ac ſalutem animæ & corporis,multaque Chriſti fidelibus commoda parari. Bullarij tom. 2.

Nos eorum ſupplicationibus inclinati, ac de huiuſmodi propoſito & viuendi modo, quo ipſi intendunt vti, plenè etiam ex relatione dilectorum filiorum noſtrorum S.R.E.

Cardinalium ſuper conſultatione & cauſſis Epiſcoporum ac Regularium, ac Viſitatione
Apoſtolica deputatorum, informati, ex certa noſtra ſcientia. Congregationem, ſub voca-
bulo ſeu nomine *Societatis Miniſtrantium infirmis*, per vnum Maiorem Miniſtrum ſeu
Superiorem (qui presbyter eſſe, ac per eandem Congregationem de triennio in trien-
nium per maiorem partem ſuffragiorum eligi debeat) regendam & gubernandam,
Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ſup-
plentes omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem.
Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere inſtituit, nos pariter
Camillo & præfatis, ac pro tempore exiſtentibus ipſius Congregationis ſocijs & alijs ab
eis deputatis & deputandis, quod eleëmoſynas vbicumque, pręterquam intra eccleſias,
monaſteria & pia loca, colligere, ac in dictę Congregationis communes vſus conuertere
Vicarij Vrbis, ſeu cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita: dictaque pietatis
opera erga quoſcumq; infirmos in quibuſcumq; hoſpitalibus, ſeu alijs dictæ Vrbis locis à
dictorũ hoſpitaliũ ſeu locorum præfectis, vel adminiſtratoribus vocati, ſeu de eorũ licen-
tia vel cõſenſu exercere, ipſeq́; Superior vel Maior Miniſter (qui, vt præfertur, presbyter
eſſe debet) & alij eiſdẽ Congregationis presbyteri, dũmodo aliàs ſint idonei, & ab Vrbis
Vicario approbati, infirmorũ & ægrotantiũ in dictis hoſpitalibus & locis exiſtentium cõ-
feſſiones audire (ſine præiudicio eorumdem hoſpitalium aut locorũ, vel eorum Officia-
lium ſeu Adminiſtratorum) liberè & licitè valeant, tenore præſentium facultatem conce-
dimus & indulgemus. Ita tamen, vt tam Superior quàm alij dictæ Congregationis ſocij,
ipſius Congregationis inſtituta & ordinationes iam factas & pro tempore faciendas
(dummodo illa, quamdiu ab Apoſtolica Sede approbata non fuerint, per ipſius Congre-
gationis Protectorem reuiſa & approbata ſint) in communi ex dictis piorum eleëmoſy-
nis viuant. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,
ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſca-
1586. toris, die 18. Martij, milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, pontificatus noſtri
anno primo.

Notatio. Conſuetudinem, inter eccleſiaſticos & laicos homines, ægris in Xe-
nodochio publico iacentibus officioſè tractandis, diu intermiſſam S. Philippus Nerius
Romæ ſuo exemplo in vſum reuocauit. Solebat enim quotidie Noſocomia publicaque
valetudinaria adire, miſerorum in ijs lectos circumire, mœſtos blandè conſolari, perdi-
tos cœleſtium bonorum ſpe recreare, cunctos ad patientiam vitæque honeſtatẽ hortari,
cibarijs allatis pauperes reficere, animam denique agentibus præſtò adeſſe. Neque is la-
bor irritus fuit, ex eo enim magnos collegit ſalutis animorum fructus. Nec defuerunt
diſcipuli, qui patris ſui ſpiritualis exemplum ſequerentur. Inter alios eminuit pius admo-
dum ſacerdos *Camillus Lellius*, qui hortatu eiuſdem Nerij, ordinem Clericorum regu-
larium Miniſtrantium infirmis Romæ inſtituit. Sic ferè Petrus Iacobus Baccius in vita e-
iuſdem Nerij Italicè anno 1622. in Vrbe edita lib. 1. cap. 6. teſtatur. Obijt autem, cum in-
genti ſanctitatis opinione, idem Camillus Lellius Romæ, die 14. Iulij, anno Chriſti mil-
1616. leſimo ſexcenteſimo decimo ſexto; ætatis ſuæ ſexageſimo quinto. Vitam eius Italicè ſcri-
pſit *Sanctius Cicatellus*, eiuſdem familiæ ſacerdos: quam Latinitate Petrus Halloſius, Soc.
Ieſu presbyter, donauit, & typis Antuerpię 1632. Moretus euulgauit. Natus eſt autem
Lellius *Bocchianici*, quod exiguum eſt opidum in Aprutio regni Neapolitani prouincia,
ſub diœceſi Teatenſi. Inſtituto ſuo principium anno 1584. dedit, Xenodochia & No-
ſocomia Romana cum ſocijs aſſiduè viſitando. Quod anno 1586. Sixtus V. bullatis tabu-
lis probauit, & conceſſit Lellio ac ſocijs ius ferendi inſigne Crucis ex panno Canuſino,
tunicæ ac pallio impoſitum, ad dextrum latus.

Cleri-

Digitized by Google

## *Clericorum Miniſtrantium infirmis Regula, ſeu formula viuendi, à Gregorio* XIV. *approbatur an.* 1591.

GRegorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei &c. Cùm dudum fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter Congregationem ſub vocabulo ſeu nomine *Miniſtrantium infirmis* in Vrbe tunc conſtitutam approbauerit & confirmauerit; & ſicut accepimus, dilecti filij *Camillus de Lellis*, modernus ipſius Congregationis Præfectus, & alij eius ſocij, cupientes in caritatis vinculo perſiſtere & maiore cum animi quiete Deo ſeruire, & ad perficiendam & conſeruandam eorum Congregationis in Chriſto vnionem, quandam *viuendi formulam*, iuxta ea quæ ad propoſitum ſibi finem conducere vſu didicerunt, ediderint; factumque ſit, vt eorundem Camilli & ſociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula comprehenſum, fidelibus gratum & acceptum, ac ad proximi ſubuentionem adeò vtile & neceſſarium exiſtat, vt ipſa Congregatio numero ſociorum admodum creuerit & quàm plures Chriſti fideles ſummo deſiderio & affectu in dictam Congregationem recipi & admitti plurimùm exoptent. Formulæ autem prædictæ tenor ſequitur, qui talis eſt. Bullarij tom. 2. & ſuprà pag. 65.

Quiſquis decreuerit ſe huic caritatis muneri in perpetuum addicere, ſtatuat ſe mundo rebuſque omnibus ſæculi eſſe mortuum, & Chriſto ſoli viuere; ſeque nobis aggreget, vt admiſſa peccata expiet, ſub iugo ſuauiſſimo perpetuæ *paupertatis, caſtitatis & obedientia*, & ſub *perenni miniſterio ægrotantium*, quos etiam peſtis inceſſerit, non ſolùm in noſocomijs, ſed etiam in carcerum valetudinarijs, vbi ægroti magna tam corporalium quàm ſpiritualium rerum anguſtia premuntur. Ac de his vniuerſis (Deo adiuuante) præcepta dabuntur in Conſtitutionibus ſuo tempore edendis, quibus ſub vllius peccati pœna obſtringi non intendimus; ijs tamen exceptis, ad quæ obſeruanda votorum vinculis obligamur.

Paupertatem noſtram ita interpretamur, vt Religioſorum ſit paupertas mendicantium eorum, qui nec ſinguli nec vniuerſi fructus vllos ac reditus capiant: quæ verò neceſſaria erunt, ea ex humili exercitio oſtiatim emendicandi, vel ex eleëmoſynis fidelium nobis ſponte oblatis comparabimus. Nemo per ſe & arbitratu ſuo quæritabit, ſed ij ſoli quibus, ob communem vſum, ab obedientia id oneris imponetur.

Totius Congregationis Superior, *Præfectus generalis* appellabitur: cuius officium perpetuum erit, quoad viuet. Socios autem habebit quattuor, qui *Conſultores* dicentur. Creabuntur autem hi, cùm Congregatio maiorem numerum erit nacta idoneorum hominum; ijque pariter officium perpetuum gerent, dum generalis Præfectus erit ſuperſtes. Votum eorum æquè ac Præfecti deciſiuum erit; præterquam quòd Præfectus duplex habebit, ſinguli illi ſimplex. Nihil eorum, de quibus ſecundùm Conſtitutiones factas aut faciendas cum Conſultoribus decernendum eſt, ſtatuetur, niſi de illorum conſilio & ſententia; maior verò pars ſententiarum vincet. Ne autem ex ſententiarum æqualitate res in dubium veniat, ad id vir grauis de Congregatione deputetur, qui voto ſuo (prout neceſſitas poſtulauerit) alterius, quam meliorem cenſuerit, partis numerum augeat. Præfectus vnà cum ſocijs poteſtatem habebit tum interpretandi & ea explicandi, de quibus ſuper inſtituto noſtro (quod hîc ſummatim comprehenditur) dubitatio fuerit orta; tum Conſtitutionum ad optimam Congregationis diſciplinam faciendarum. Conſtitutiones autem experiendo primùm atque vtendo expendentur, deinde à Capitulo ſiue Congregatione generali, prout expedire videbitur, admittentur. Præfectus generalis ac ſocij Præfectos aliorum locorum vbi Congregatio ſedem habebit, & Prouinciales & Viſitatores, quos oportuerit, eligent. Electio verò generalis Præfecti & Conſultorũ poſthac in Congregatione generali facienda eſt. In præſens quidem Generalis creabitur ſuffragijs maioris eorũ partis, qui nunc Crucem gerunt, ac iuxta formam ſtatuendam. Idem ſtatim ac renuntiatus Generalis fuerit, quattuor votorum

pro-

profeſſione, ***obedientiæ*** ſcilicet, ***paupertatis***, ***caſtitatis***, & quod præcipuum huius inſtituti ſcopum continet, ***perennis*** (vt dictum eſt) ***miniſterij ægrotantium***, ſolemniter ſe obſtringet: tum que apud ipſum, aut eum cui is hoc negotij dederit, eodem modo profitebuntur omnes qui ſpecimen ſui dederint, & idonei ac digni iudicati fuerint.

Volumus autem noſtros in noſocomijs, cùm Superiorum ſuorũ iuſſu (conſentientibus eorumdem noſocomiorum Præfectis) mittentur, ita operam nauare, vt nulla publica officia, magiſtratuſuè, aut redituum adminiſtrationem in ijs ſuſcipiant, verùm omnes curam ægrotorum tum corporis tum animę gerant; & aliquot ex ipſis nocturnas excubias diurnaſque ibi ducant, atque ægrotis agonizantibus, donec ex hac vita migrent, nuſquam deſint. Quòd ſi nobis, vt ceteris pauperibus, noſocomiorum patroni aut adminiſtratores aliquid eleẽmoſynæ ſiue quotidianæ ſiue menſtruę ſiue annuæ ſiue in plures annos largiri voluerint, Congregatio noſtra ius nullum habeat id exigendi; ſed quæ dabuntur liberaliter, cum gratiarum actione accipiet. Nos enim curæ ægrotorum incumbimus, nulla mercede vel ſpe temporali adducti, ſed ex inſtituti noſtri obligatione. Itaque ab ægrotis Hoſpitalium nulla munera, nihil pecunię, nullam omnino rem noſtri capiant; ac ne per ſubmiſſas quidem perſonas. Legata ab ijs qui in noſocomijs defuncti fuerint, in rem noſtram relicta, non admittantur. Qui in hoſpitalibus ſunt noſocomiorum Officiales & famuli, in Congregationem noſtram non recipiantur, ſine aſſenſu eorum qui illis in locis Præfecti ſunt.

Experiendo didicimus, plurimis maximiſque difficultatibus & incommodis, animæ præſertim, eos conflictari, qui extra noſocomia & carceres in alijs locis ægrotant, ac potiſſimùm tenues ac plebeios homines, externoſque qui conductò degunt. Quare volumus (adiuuante D.N. Ieſu Chriſto) à noſtris eos inuiſi, & ijs, quoad fieri poterit, adhiberi conſolationem, exhortationem, & alia huiuſmodi, iuxta Conſtitutiones edendas. Priuſquam verò illi ſenſuum vſum amittant, adducantur, pro cuiuſque conditione & natura, ad proteſtationes ſecundùm formam Eccleſiæ ſanctæ faciendas. Cumque ingraueſcet morbus, diu noctuque apud eos excubent noſtri, animamque commendent, ac ſalutaribus monitis opitulentur; magnumque ponatur in eo ſtudium, vt hortationibus pijs informentur, ne tentationibus ſuccumbant, & in illo formidoloſo vitę exitu confortentur, tum vt benè ac diligenter commendetur anima. Caueant autem maximè, ne quiſquam eorum, qui ad viſendos per eiuſmŏdi loca ęgrotos, & ad caritatem eis prętandam, opemque adferendam mittentur, ob labores ſuos vllum munus, aut rem pecuniamuè accipiat, nec vllam vel exiguam ſtipem atque eleẽmoſynam, ſed omnia ad ſolam Domini Dei gloriam, animarumque ſalutem fiant atque adminiſtrentur. Quin imò vt noſtrarum vtilitatum ratio omnis prętermittatur, nec quiſquam proprio emolumento ſtudeat, neutiquam noſtri ęgrotis auctores ſint, neque conſilium dent aut hortentur, vt aliquid erogent eleẽmoſynę, aut teſtamentum faciant, aut legata relinquant in rem atque vtilitatem noſtram.

Propter multas inſtituti noſtri occupationes, qui noſtrûm ſacris Ordinibus initiati erunt, diuinum Officium quotidie recitabunt, nõ in choro, ſed priuatim ac ſingulatim; ceteri tertiam B. Virginis Roſarij partem, vel eius Officium paruum; Proceſſiones etiam ſolemniſſimas, ceteraſque ſolemnitates (quibus piè alij religioſi Ordines interſunt) ipſi non obibunt, vt liberiùs magiſque aſſiduè ęgrotis operam nauent: quo in miniſterio perſeuerare cupimus, immediatè ſubditi curę, animaduerſioni, ſpeciali protectioni ac defenſioni S.D.N. Papę, ſanctęque Sedis Apoſtolicę.

Vt autem ſpiritum noſtri recreent ac paſcant, poſſintque tantam diuinæ gratiæ vbertatem adipiſci, vt munera & officia ſua cum caritate exequantur, exercebunt ſe in oratione mentali & vocali, tum in examine conſcientiæ: ſeque ſæpiſſimè munient Sacramento confeſſionis & communione Corporis Chriſti, nonnullis item abſtinentijs: quę omnia Cõſtitutionibus particulatim exponentur. Ac quoniam noſtris, vt alterius ſaluti conſulant, cum proximis aſſiduè conuerſandum eſt, volumus, Nouitios, ſecundùm formam edendarum Conſtitutionum iam admiſſos, præter accuratam examinationem, per

bien-

biennium antè probari quàm ad profeſſionem admittantur: qui à Præfectis iuxta modum in eiſdem Conſtitutionibus ſtatuendum, idonei exiſtimati fuerunt, exacto biennio profitebuntur.

Veſtis erit pauperum atque honeſtorum ſacerdotum, nigri coloris: pallio autem ac tunicæ eorum dumtaxat, qui profeſſionem fecerint, aſſuetur ad dextram *Crux* oblonga ad palmi menſuram, ex panno caſtanei coloris, qui vulgò *Tanens* dicitur.

Noſtri inſtituti ratio poſtulat, vt longè maior eſſe debeat laicorum quàm ſacerdotum numerus, Idcircò ſtatuimus, eos tantùm eſſe ſacris Ordinibus deſtinandos, quos Præfectus generalis atque vnà Conſultores, vel de eorum licentia alij Superiores, non aptos modò ad ipſos ſacros Ordines, ſed etiam ad miniſterium noſtrum, ex Conſtitutionum præſcripto, congruentes ac neceſſarios iudicarint. Idemque ſeruandum decernimus erga Clericos qui ad ſtudium admittentur: ij verò in eo ſe ex ipſarum Conſtitutionum Regulis exercebunt, vt ita litteris vacent, ne mortificationis & ægrotorum iuuandorum (prout Præfectis viſum fuerit) ſtudia omittantur.

Prætereà quòd hæc exercitia, cum diſciplina ſpirituali coniuncta, ærumnas & incōmoda adferunt, quodque grauia ſunt nobis ac tetra loca frequentanda, experti ſumus, eorū tuendę valetudinis cauſſa, qui his officijs in Domino functi fuerint, aliquo loco opus eſſe, vbi puro, libero ac ſalubri aère grauis odor & putor conceptus expurgetur, noſtrique è multis laboribus ac vigilijs reſpirent: quem etiam locum deſtinari cupimus noſtris ex inualetudine ſe reficientibus, quò citiùs afflictæ vires recuperentur. Quare eiuſmodi locum habere Congregatio poterit: idque fore interpretamur, ſalua & integra, cui deditì ſumus, paupertate. Eius autem loci qualitas Conſtitutionibus definietur. Quibus prætereà in vrbibus & opidis Congregatio Nouitios educabit, poſſit habitationem habere ſeparatam à Profeſſorum domo.

Cùm autem, ſicut accepimus, in præmiſſis nihil, quod pium non ſit aut ſalutare, reperiatur, nos & præmiſſa omnia & ſingula, tamquam ad ſpiritualem profectum animarum pertinentia & opportuna, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus. Et potiori pro cautela, Camillo & ſocijs præfatis, ac eorum cuilibet, vt quandocumque eis viſum fuerit, poſſint prædicta ſubſtantialia religioſæ vitæ, *paupertatis* videlicet, *caſtitatis* & *obedientiæ* & *perennis miniſterij ægrotantium*, vota, iuxta præfatæ Formulę tenorē, emittere, & *Præfectus* hac prima vice eligendus, in manibus cuiuſcumque perſonę in dignitate ſeu adminiſtratione eccleſiaſtica conſtitutę, ſolemniter profiteri; & tam ipſe quàm alij pro tempore exiſtentes Pręfecti & ſocij eiuſdem Congregationis, ſub nomine & nuncupatione *Clericorum regularium Miniſtrantium infirmis* in communi & de communi viuentes, in locis ſibi forſan iam conceſſis vel in futurum cōcedendis, in vnum habitare, & ex eis inter ſe Superiorem, Pręfectum nuncupandū, eligere; & quoſcumq; alios ſæculares Clericos ſeu laicos recipere & ad huiuſmodi votorum profeſſionem, in manibus eorum Superioris ſeu Præfecti emittendam, & ad communem viuendi modum admittere: necnon inter eos quaſcumque Conſtitutiones particulares condere, & tam hactenus factas quàm in poſterùm faciendas Conſtitutiones ipſas, iuxta temporum & locorum ac rerum qualitatem & varietatem, mutare, alterare, ſeu in totū caſſare, & alias de nouo cōdere, facere & edere poſſint & valeant &c. perpetuò concedimus & indulgemus. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, XI. Kalendas Octobris, pontificatus noſtri anno quarto.

Hanc porrò Regulam ſeu vitę Formulam Clemens VIII. anno 1600. in quibuſdam articulis reformauit, & in meliorem ordinem redegit; edito diplomate quod tomo 3. Bullarij, Romæ à Laërtio Cherubino 1617. publicati, legitur. Ceterùm haut abs re fuerit ſubnectere ſeriem Domorum huius inſtituti, quę ad noſtram notitiam peruenerunt.

Romæ { Ad ædem S. Mariæ Magdalenæ: *della Maddalena alla Ritonda.*
Domus Nouitiatus, prope curiam Sabellicam. }

Neapoli 1588. fundauit Iulia à Caſtellis, & adiuuit Roberta Carafa Dux Mataluni,

cum alijs nobilibus matronis.
Mediolani 1594. Camillus Lellius, viſitatis quotidie Xenodochijs, initium dedit.
Genuæ apud Ligures 1594. idem Camillus præſtitit.
Florentiæ 1599. Rudolphus Bardus domum dedit, & S. Gregorij ædem.
Ferrariæ 1599. Fontana Epiſcopus locum & ædem Deiparæ attribuit.
Meſſinæ in Sicilia 1599. liberalitate Senatus Populique illius vrbis.
Panormi ibidem 1600. beneficio Bernardini de Cardines Ducis Maquedæ, & aliorum.
Mantuæ 1601. ad ædem S. Thomę. Domum dedit Vincentius IV. Dux.
Viterbij 1603. ad templum S. Marię de Podio.
Bocchianici 1605. Camillus Lellius in ſua patria fundauit.
Theateę vel Theati 1605. fundante eodem Camillo.
In Burgo-nouo 1606. euocante Comite Alexandro Sfortia.
In opido Calatenſi 1607. Item Bononię, Nolę, Calatarigonę, Sinueſſę, & alibi. Quę quidem Domus in V. Prouincias ſunt partitę, videlicet *Romanam, Neapolitanam, Mediolanenſem, Bononienſem,* & *Siculam.*

Fate ben fratelli.

Ab iſta porrò Clericorum Miniſtrantium infirmis Congregatione prorſus eſt diuerſus Ordo Hoſpitalariorum à *B. Ioanne Dei,* Luſitano, circa annum 1538. incohatus, & 1572. à Pio V. ſub Regula S. Auguſtini approbatus; quique in duas Congregationes, videlicet *Hiſpanicam* & *Italicam,* nunc eſt diuiſus. De eo Auguſtinus Barboſa lib. 1. cap. 41. De Iure Eccleſiaſtico, & Siluester Maurolicus in Oceano Religionum lib. 5. fuſe tractant. Inſtitutoris vitam Hiſpanicè ſcripſit *Franciſcus à Caſtro,* eiuſdem Ordinis preſbyter & Granatenſis Xenodochij moderator: quam Italicè *Ioannes Franciſcus Bordinus* Archiepiſcopus Auenionenſis, Gallicè *Franciſcus Harlaus* Archiepiſcopus Rotomagenſis, & Latinè *Arnoldus Raiſsius* Canonicus Duacenſis, reddiderunt. Obiit autem Ioannes Dei plenus bonorum operum Granatę anno Chriſti 1550. ętatis 55. die 8 Martij: quem miraculis clarum Vrbanus VIII. in Beatorum claſſem 1630. retulit. Qui plura volet hiſtoriam vitę eiuſdem B. Ioannis, ab Antonio de Gonuca Epiſcopo Cyrenenſi ſcriptam, conſulat.

---

## CLERICORVM REGVLARIVM

# MINORVM CONGREGATIO

## A IOANNE AVGVSTINO ADORNO INSTITVTA ANNO M.D.LXXXVIII.

Bullarij tom. 2.

SIXTVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam &c. Pro parte dilectorum filiorum *Ioannis Auguſtini Adorni* presbyteri Ianuenſis, & ſociorum, nobis exhibita petitio continebat, quòd ipſi pluribus abhinc annis, tamquam diuino afflatu inſpirati, ad omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, vnam presbyterorum & Clericorum regularium Congregationem inſtituere, ac vt cum maiori animi quiete Deo ſeruire, & illi magis adhærere poſſint, tria ſubſtantialia religioſæ vitę, *paupertatis* ſcilicet, *caſtitatis,* & *obedientiæ* vota emittere, ac ſub ſolito & cõmuni habitu clericali in vnum habitantes, & in communi ac de communi viuentes, nec non Deo humiliter & deuotè, quantum ipſe dederit, ſeruientes, ſub noſtra & Apoſtolicæ Sedis immediata ſubiectione & ſpeciali protectione, regularem vitam ducere, ac continuis orationibus

nibus,ſpiritualiumque operum exercitio, & aſperæ carnis maceratione, ad ſuarum,aliorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem & profectum, vacare decreuerunt.Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum pio deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur,*Ioannem Auguſtinum*,& ſocios prædictos, à quibuſuis excommunicationis, alijſque eccleſiaſticis ſententijs abſoluentes,& huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vnam Congregationem regularem presbyterorum & CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM nuncupandorum, per vnum *Præpoſitum generalem*,qui presbyter eſſe, & hac prima vice per *Ioannem Auguſtinum* & ſocios prædictos, vel eorum maiorem partem, poſtquam profeſſionem emiſerint,& deinceps futuris temporibus per Capitulum generale dictæ Congregationis, per maiorem partem ſuffragiorum, ad vitam eligi debeat, regendam & gubernandam,ad noſtram & Sedis Apoſtolicę beneplacitum, auctoritate Apoſtolica,tenore pręſentium permittimus & indulgemus, illamque ſub B.Petri,ac noſtra, & dictę Sedis immediata ſubiectione & ſpeciali protectione recipimus. Nec non eidem Congregationi,vt pro eccleſiarum, domorum, & perſonarum ſalubri ſtatu & directione,quęcumque Statuta & Ordinationes,rationabilia & honeſta,ac ſacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria,per Sedē Apoſtolicam approbanda,condere & facere, illaque pro temporum qualitate, ac prout expedire videbitur, mutare, & in totum tollere, aliaque de nouo edere: eiſdem *Ioanni Auguſtino* & ſocijs, ac cuilibet ipſorum,vt tria ſubſtantialia religioſę vitæ, vt pręfertur, *paupertatis, caſtitatis* & *obedientiæ* vota publicè, in cuiuſcumque Archiepiſcopi vel Vicarij in ſpiritualibus generalis manibus,coniunctim vel diuiſim,tam in Vrbe quàm aliàs vbilibet,emittere & ſolemniter profiteri: ac ſub communi & humili habitu pauperum clericorum, ſubque dominatione & nuncupatione *Clericorum & Presbyterorum regularium Minorum*, in cōmuni ac de communi viuentes,in locis religioſis aut ſæcularibus,prout ipſis ab illis,quorum loca ipſa erunt,conceſſum fuerit,ſeu expedire videbitur, in vnum habere: ac alios quoſcumque ſęculares clericos,& etiam laicos,qui,Deo adſpirante, ad huiuſmodi vitæ frugem & communem viuendi modum ſeſe conferre voluerint,recipere,& poſt annum probationis ad talem trium votorum profeſſionem in manibus ipſius Præpoſiti generalis,vel alterius,iuxta Congregationis inſtituta & faciendas ordinationes, ac ſacrorum Canonum, & Concilij huiuſmodi diſpoſitionem, emittendam, & ad huiuſmodi in communi viuendi modum admittere: ac horas Canonicas,diurnas pariter & nocturnas, nec non Miſſas & alia diuina Officia, ſimul & diuiſim, ſecundùm vſum & morem Romanæ Eccleſię, & iuxta Breuiarium Romanum nouiter compilatum, etiam in eccleſia dicere & recitare: quodque ipſius Congregationis presbyteri,ab ipſius Congregationis Prępoſito generali,vel alio Superiore,ac ab Ordinario loci approbati, & de licentia ipſius Generalis,ſeu Prępoſiti domus, in qua pro tempore habitauerint, quorumcumque Chriſti fidelium Confeſſiones audire, illoſque à quibuſuis peccatis, exceſſibus & criminibus,non tamen Sedi Apoſtolicę quomodolibet reſeruatis, abſoluere: ac quibuſcumque Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus & confeſſis,ſanctiſſimę Euchariſtię Sacramentum,ſine tamen ſuorum Parochorum, & iurium parochialium pręiudicio, miniſtrare: nec non quaſcumque domos regulares dictę Congregationis,pro illorum vſu & habitatione,cum eccleſia, campanili, domibus, hortis,hortalitijs, & alijs officinis neceſſarijs, conſtruere & ędificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, vel iam conſtructas & ædificatas recipere,liberè & licitè valeant,dictaſque domos ex nunc, prout ex tunc, & è contrà poſtquam conſtructæ & ædificatæ ſeu receptę,vt præfertur, fuerint,in domos regulares dictę Congregationis, auctoritate & tenore prędictis concedimus & indulgemus &c. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die primo Iulij, milleſimo quingenteſimo octogeſimo octauo, pontificatus noſtri anno quarto.

NOTATIO. Congregatio iſta fuit Neapoli anno 1588. inſtituta, auctoritate Sixti V.Pontificis Maximi; qui eò quòd fuit ordinis Fratrum Minorum, voluit hanc nouam Congregationē *Clericorum Minorum* nomine appellari.Eius fundator fuit AVGVSTI-

NVS ADORNVS Genuēſis cū duobus ſocijs *Auguſtino Caracciolo* & *Frāciſco Caracciolo* Neapolitanis. Huius Ordinis Religioſi, qui ad presbyteratus dignitatem admiſſi ſunt, poſt annum & quatuor menſes, Profeſſionem emittunt, & vltra tria communia vota, paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, vouent etiam ſolemniter non ambire dignitates. Fratres verò laici, poſt annos tres à receptione, tria communia vota in Profeſſione emittunt. Vota ipſa quotannis in die Epiphaniæ communiter renouare tenentur. Rudibus, ſed decentibus veſtibus induuntur; nec poſſunt apud ſe habere quidquam aureum aut argenteum, aut quid aliud pretioſum. Singulorum cubicula, eorumque ſupellex paupertate niteſcere debent. Habent Orationem mentalem, tum communem manè & veſperi, quam omnes ſimul peragunt, & terminant cum Litanijs B. Virginis, tum circularem, qua ſingulis horis vnus in choro adſtat, orando *pro augmento Reipublicæ Chriſtianæ, pro benefactoribus* &c. In choro Canonicas horas diurnas nocturnaſque perſoluunt. Celebrant Miſſas ſolemnes, feſtis præſertim diebus. Publicè ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſingulis primis Dominicis cuiuſcumque menſis exponunt; ſacerdotes quotidie celebrant, fratres clerici & laici ſingulis Dominicis & feſtis diebus Euchariſtiam ſumunt; quotannis ſinguli ſolent, ad certum dierum ſpatium, ab omnibus prorſus alijs rebus & ab omni aliorum commercio ſegregati, ſpiritualia quædam peragere exercitia. Vltra ieiunia, quę cunctis fidelibus Romana indicit Eccleſia, obſeruant ieiunium Aduentus Domini & feriæ ſextæ, per totum anni circulum, & ieiunium feriæ ſecundæ & tertiæ ante Cineres: item in ſecundis & quartis ferijs totius anni carnibus non veſcuntur; ſingulis ſextis ferijs communis flagellatio ſeu diſciplina habetur in eccleſia. Habent præcipuè circulares pœnitentias, qua ſingulis diebus vnus in pane & aqua ieiunat, alius cilicium gerit, tertius flagellis ſe cædit. Silentium ſemper & vbique ſeruant, præſertim duabus horis in aſſignato loco, vna poſt prandium, altera veſperi.

Proximum adiuuant Sacramentorum miniſterio, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, itemque Euangelicis concionibus habendis, tum in eorum eccleſijs, tum in alijs, ſi fuerint accerſiti. Congregationes inſtituunt ſæcularium, ad ipſorum ſpiritualium profectum; doctrinam Chriſtianam pueros docent; Miſſiones exercent, animum agentibus aſſiſtunt, cùm poſtulat occaſio. Litterarum ſtudia ex profeſſo amplectuntur, tum ſcholaſtica tum moralia, & Caſuum conſcientiæ: externas linguas, vt Græcam, Hebraicam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicam excolunt, & Collegia fundant, in quibus ſtudiorum vſus promouetur. Non ſolùm docent ſuos, ſed etiam ſæculares, accurrentes ad Philoſophiam, Theologiam, & doctrinam Caſuum conſcientiæ. Habent pro Nouitijs educandis domos ſeparatas, vbi ſpiritualibus ſtudijs & exercitijs imbuuntur. Habent inſuper quaſdam domos, quas vocant *Receſſus*, in quibus ad certum tempus commorantur, ſoli contemplationi vacantes. Pro gubernatione Congregationis in plures prouincias diſtributi ſunt: habent *Præpoſitum Generalem* toti Cōgregationi præſidentem, & ſingulis ſexennijs Generale Capitulum, in quo mutatur Præpoſitus Generalis: & ſingulis triennijs celebrantur Capitula Prouincialia, in quibus mutantur Præpoſiti Prouinciales. In ſingulis domibus ſunt Præpoſiti locales, & tam Generali quàm Prouinciali adiunguntur quatuor Aſſiſtentes, atque etiam Præpoſito locali quatuor Conſultores. Militant ſub particularibus Conſtitutionibus, anno 1605. à Paulo V. approbatis, & Romæ 1606. excuſis. Geſtant humilem habitum pauperum Clericorum: viuunt autem in communi & de communi, itemque ex eleëmoſynis, quæ à Chriſti fidelibus ſponte offeruntur; nec eas oſtiatim petunt aut quærunt.

Ceterùm primarius fundator *Ioannes Auguſtinus Adornus* 1592. die 29. Septembris ſanctiſſimè in Domino Neapoli obdormiuit, ibidem in baſilica S. Mariæ maioris conditus. *Franciſcus Caracciolus*, Roma Neapolim per Aprutium redens, in Agnone municipio (vbi ſui inſtituti Domum fundare cogitabat) anno 1608. die 4. Iunij deceſſit; inde Neapolim tranſuectus, & iuxta collegam ſuum Adornum ſepultus. *Auguſtinus Caracciolus* viuere deſijt Romæ 1615. die 25. Maij, Aſcenſioni Dominicę tunc ſacro; ibidem humatus ad S. Laurentium in Lucina. Sic tradit Cęſar Eugenius Caracciolus, vir nobilis Nea-

Neapolitanus,in ſua Neapoli ſacra,quam Italicè deſcripſit.Porrò iuuerit hîc ſubtexuiſſe elenchum Collegiorum ac Domorum iſtius inſtituti,quarum ſaltem fama ad nos Belgas atque extremos hominum Morinos peruenit.

Neapoli { Collegium,ad ædem S. Mariæ maioris anno 1588.
Domus Nouitiorum.Item Domus Exercitiorum. }

Domus Receſſus.in opido haut procul à Neapoli ſito.

Panormitana Domus, in Sicilia inſula, *Palermo*.

Meſſanenſis Domus,ibidem, *Meßina*. Catanenſis Domus,ibidem, *Catania*.

Romæ { Domus, ad ædem S. Laurentij in Lucina, quæ parochiam habet ampliſſimam.
Collegium,ad ædem S. Agnetis : *S.Agneſe in piazza Nauona*. }

Mannæ Domus, *Manna*. Item Genuæ & Bononiæ, *Genoua*, *Bologna*.

In Caſtello Durantino, *Caſtel-Durante*. Domus fundata à Franciſco Maria Roboreo,Vrbini Duce poſtremo : qui & Bibliothecam Ducalem,longè ampliſſimam ac copioſiſſimam,Clericis Minoribus donauit.

Piſauri in Ducatu Vrbinenſi,Domus ab eodem Duce fundata, *Peſaro*.

Madriti in Hiſpania, Domus 1594.à Philippo II.Rege dotata, *Madrid*.

Compluti Collegium. Item Domus Nouitiorum aut Exercitiorum.

Valliſoleti Domus, *Valladolid*. Caſtrilli Collegium, *Caſtrillo*.

Salmanticæ Domus, *Salamanca*. Hiſpali Domus, *Seuilla*.

Oliſipone { Domus Oliſiponenſis in Luſitania. *Lisboa*.
Domus Receſſus extra vrbem Oliſiponenſem. }

Atque iſta quidem Clericorum Minorum domicilia in tres Prouincias ſunt diſtributa, videlicet, *Neapolitanam*, *Romanam* & *Hiſpanam*.

## *Excerpta ex Conſtitutionibus Clericorum Minorum*, 1605. *à Paulo V. probatis, & Romæ* 1606. *excuſis.*

Officia diuina.

SAcerdotes & Clerici noſtri preces in choro ſtatis horis vnà recitent,nempe Matutinum noctu,diurnum verò Officium interdiu ; Romani Breuiarij forma rituque ſeruato. Dicatur Officium voce ſimplici & æquabili, atque (vt D. Auguſtino placebat) *ſit vox pſallentis pronuntianti ſimilior quàm canenti.*

Oratio mentalis & circularis.

In ijs Domibus, quas ſufficiens Religioſorum numerus inhabitauerit, Oratio mentalis interdiu ſtatis horis lociſque inſtituatur; videlicet manè in choro, poſt refectionem verò in eccleſia, intra cancellos altaris maioris. Eo loco aſſiduè,inque vices per horam mente orabimus. Præter hanc circularem meditationem,ad communem aliam Orationem manè per horam integram & veſpere per dimidiam horam in choro peragendam omnes vnà conuenient.

Examen conſciẽtiæ

Profeſſi & Nouitij bis diebus ſingulis ſimul conuenientes, rationem à ſe ipſis expoſcant, rectè ne an ſecùs diem expenderint.

Silentium.

Vt perpetuo cuſtodito ſilentio deuotionis virtutem & regularem obſeruantiam faciliùs tueamur, ſemper quidem longiorem ſermonem & elatam vocem vitare volumus, atque adeò neminem cum alio loqui, niſi Superior conceſſerit : his tamen præcipuè horis lociſque ſtrictiùs indicimus ſilentium, nempe à prima nocte,ſalutationis Angelicæ ſigno dato,vſque ad ortum Solem. Itidem in æſtate, à ſigno poſt prandium dato ſilebitur vſque ad Orationem meridianam expletam.In choro autem, eccleſia, ſacrario, bibliotheca, refectorio, locis communibus, ad focum, in operibus communibus obeundis,ſemper ſileatur ; & lectionem ſpiritualem interim, cùm habent, auſcultent. Curent Præpoſiti,vt à mundanarum rerum tumultu ſimus,quàm maximè fieri poterit,alieni; neque ſinant quempiam in ſecularibus negotijs ſeſe admiſcere.

Domus Receſſus.

Domus illæ, quæ *Receſſus* appellantur (quas ſingulas tantùm in ſingulis Prouincijs conſtitui poſſe decernimus) eodem,quo ceteræ Domus, modo & ordine gubernentur. Sint longè à mœnibus & ſuburbijs diſſitæ : eccleſiam habeant intra clauſtra,quò fœmi-

nis nullo modo ingredi liceat. Qui in ea degunt Patres, ſilentium perpetuò ſeruent: ita vt neque cum ſæcularibus, neque inter ſe vnquam colloquantur, niſi præſcriptis diebus. Excipimus tamen loci Præpoſitum, Procuratorem & Ianitorem: ij enim quòd negotia domus adminiſtrent, ſilentium tam arctè cuſtodire non poterunt. Nulla ibi ſcientiâ prælegatur, ne noſtris quidem: vnam excipimus myſticam Theologiam, quam, vtpote tali loco congruam, ſemel in hebdomada prælegi volumus.

Præter ieiunia, quæ cunctis fidelibus Romana indicit Eccleſia, hæc item à nobis ſeruanda decernimus: Ieiunium Aduentus Domini, dum domi morabimur; Ferię ſextę per totum anni circulum, niſi fuerit pridie ieiunatum aut die poſtero ieiunandum; Secundę item & tertiæ feriæ ante Cineres. Secundis autem & quartis ferijs in vlla Domo noſtra, ſiue ea Profeſſorum ſit, ſiue Nouitiorum, ſiue Collegium, ſiue Receſſus, carnibus nullo modo veſcamur. Excipimus feriam ſecundam Paſchę & Pẽtecoſtes, & feſtum Natiuitatis Domini & Epiphanię, ſi in ſecundam & quartam feriam incidant. In ijs Domibus, vbi circularis habebitur meditatio, obſeruentur etiam hę corporales per circulum afflictationes. Singulis diebus feſtis ſit vnus è noſtris, qui ab omni cibo ieiunet, ſolo pane veſcatur, ſitim aqua. vel Superioris conſenſu, vino modico ſedet. Alius item cilicio carnem vexet; alius flagris ſe cędat. Qui autem ieiunabit, ex ea, quam ſibi ſubtrahat, cibi potuſuè portione pauperem aliquem reficiat ad fores domus: vt videlicet *fiat refectio pauperis abſtinentia ieiunantis.* Eumdem verò, quem cibo aluerit, Chriſtiana doctrina imbuere ſtudeat. Prętereà ſingulis ſextis per annum ferijs in vnaquaque Domo communis flagellatio (quam Diſciplinam nuncupant) intra eccleſiam celebretur.

Veſtes. Decet Minores Clericos & paupertatem profeſſos honeſtum quidem indumentum, vile tamen & rude. Itaque exteriores veſtes in Prouincia Romana & regno Neapolitano è Paſſanenſi panno; in reliqua autem Italia, & extra Italiam, ex eo quod in quaque regione, Patris Prouincialis & PP. Adſiſtentium arbitratu, viliſſimum extiterit, conficiantur. Porrò veſtitus exterior (hoc eſt, tunica, pallium & domeſtica toga) colore ſit niger, forma ſimplex, ſola munditia decorus; talis denique, vt nos ſemper paupertatis & moderationis admoneat. Tunica (quam clerici talarem, laici ſupra talum decurtatam gerant)

Collegia. non aperta antè, ſed vndique ſit concluſa. Collegijs ſingulis ſinguli pręficiantur Recto-

Studia. res, eorumque Vicarij. Chorus non erit in Collegijs quotidianus, ſed Dominicis tantùm & feſtis diebus, qui ex pręcepto ſeruantur. Dialecticę Iſagoges, Logicę & Philoſophię quattuor ſit annorum curriculum; Theologię item quattuor. Ad ſummum quinque per id totum tempus lectiones auſcultent aſſiduè. Peracto autem curriculo, Scholaſtici è Collegijs in eam, quam Superior aſſignauerit, Domum commigrent: & ibi Nouitiorum vitam denuò per ſex menſes amplectantur.

Capitulum generale. Sexto quoque anno, itemque quotieſcumque Pater Generalis aliqua ratione defecerit, habeatur generale Capitulum, ſiue Romę, ſiue Neapoli. Quod quidem hi ſoli ingredi poterunt, videlicet Pater Generalis, Procurator generalis, quattuor Generalis Adſiſtentes, duo Viſitatores, Patres Prouinciales, ac ſingularum Prouinciarum bini Pro-

Præpoſitus generalis. curatores. Præpoſitus Generalis ſex annos curam Religionis habeat: eius domicilium ſit noſtra Romana Domus. Ex Italia nequaquam migret. Ad Patrem generalem ſpectabit eligere Procuratorem generalem. Eum Romæ ſemper degere, & Italum debe-

Adſiſtentes. re eſſe, decernimus. Eius partes erunt vniuerſi Ordinis negotia gerere, ac diligenter expedire. Patres Adſiſtentes per ſexennium, vnà cum Patre Generali, Religionis negotia expedient, eumque in regendo Ordine ſedulò fideliterque iuuabunt. Prouincialis in Capitulo generali per triennium eligatur. Viſitatores bini in ſingulas Prouincias eligentur: per annum eorum munus duret. Prępoſiti locales eligantur à Capitulo generali per annum dumtaxat: ceteris autem annis, qui à Capitulo ad Capitulum intercurrent, à Patre Prouinciali ſuiſque Adſiſtentibus quotannis reficiantur.

Prælectiones publicæ. Quoniam ij qui erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates, ſtatuendũ duximus, licere noſtris, de facultate Patris Generalis ſiue Prouincialis, etiam ſęcularibus ad noſtra Collegia confluentibus, ſcientiam quamlibet prælegere, & publicè doce-

docere; videlicet Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, Theologiam, & ceteras clericis congruentes, iiſque à ſacris Canonibus permiſſas. Poſtremò teſtatum volumus, nullā harū Conſtitutionum, neque aliarum deinceps faciendarum, obligare nos ad culpam, ſed ad pœnam ſolummodo aliquam. Culpę verò ij ſolùm erunt obnoxij, qui aut quidpiam ſubſtantialium Religionis votorum, aut quod naturali, diuina ſiue eccleſiaſtica lege prohibeatur, auſi fuerint violare, aut præcepto, in virtute ſanctæ obedientiæ à Superiore eis facto, non obedire.

---

# CLERICORVM REGVLARIVM
# B. MARIÆ
# CONGREGATIO
## A IOANNE LEONARDIO
## INSTITVTA.

CONgregationis Clericorum Matris Dei, Lucæ in Italia primitùs erectæ, titulo Congregationis Clericorum ſæcularium B. Mariæ Virginis, ſub Gregorio XIII. anno 1574. fundator fuit venerabilis ſacerdos 1574.
IOANNES LEONARDIVS, ex Comitatu *Diecimo*, Lucenſis diœceſis, oriundus. Eius primi diſcipuli ac ſocij fuerunt *Ioannes Baptiſta Cionius*, *Cæſar* & *Iulius Franciotti*, fratres germani, omnes nobiles Lucenſes, & *Georgius Arrighinius*, in Pontetetto, diœceſis eiuſdem Lucenſis municipio, natus. Congregationis huius initia Alexander Guidiccionus, Epiſcopus Lucenſis, anno 1583. primus probauit; exinde Clemens VIII. Papa anno 1596. dictam Congregationem bullato diplomate, mox recitando, confirmauit, ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepit, & ab ordinaria Epiſcoporum iuriſdictione exemit. Cardenalis poſteà Baronius, eiuſdem Congregationis protector, auctoritate ſibi ab eodem Clemente VIII. tradita, Conſtitutiones ab ipſo Ioanne Leonardio ſcriptas anno 1604. die 10. Iunij approbauit, ſignauit & ſuo ſigillo muniuit. Paulus V. regimen Scholarum piarum in Vrbe Clericis huius Congregationis die 14. Ianuarij 1614. commiſerat: ſed ipſi poſteà hoc onus abdicarunt ac dimiſerunt: vt conſtat ex diplomate eiuſdem Pauli V. die 6. Martij 1617. dato, quod tomo 4. Bullarij, Romæ 1632. excuſi, legitur. Idem Pontifex Marianis hiſce Clericis poſteà conceſſit, vt præter tria vota ſimplicia, caſtitatis, obedientiæ & perſeuerantiæ (quæ ab eiſdem vigore litterarum Clementis VIII. emitti ſolebant) ſimplex etiam *paupertatis* votum poſſint emittere. Exſtantque diplomata die 30. Iulij 1615. & die 14. Auguſti 1619. deſuper edita. Gregorius XV. demum hanc Congregationem in Religionem trium votorum ſolemnium euexit atque approbauit, litteris 3. Nouembris 1621. deſuper expeditis. Vtuntur autem eodem habitu, quo Patres Soc. Ieſu. Ceterùm Ioannes Leonardius die 9. Octobris 1609. Romæ, cum opinione ſanctitatis, obijt. Vnde Gregorius XV. mandauit, vt pro eius canonizatione formarentur proceſſus: & iam permulti teſtes ſuper eius virtutibus examinati fuerunt, & in dies examinantur. Huius Ordinis Clerici domicilium habent Lucæ iuxta eccleſiam S. Mariæ ad Curiam Orlandingorum; Romę verò ad S. Mariam de Capitellis, & ad S. Mariam in Porticu. De eodem Ordine agunt *Cæſar Franciottus* ſuprà laudatus, in libro quem de Sanctis Lucenſibus Italicè in vrbe patria 1613. edidit, & *Ioſephus Matrarius* eiuſdem Con-

Congregationis Rector generalis, in Hiſtoria miraculoſæ Imaginis S. Mariæ in Porticu, Romæ 1627. edita. Sic ferè Auguſtinus Barboſa lib. 1. de Iure eccleſiaſtico vniuerſo, cap. 14. num. 162.

CLEMENS VIII. Papa ad perpetuã rei memoriam &c. Cùm, ſicut accepimus, venerabilis frater ALEXANDER Epiſcopus Lucanus, iam dudum Confraternitatem ſeu Societatem aut Congregationem Clericorum ſæcularium & laicorum in communi viuentium, ſub inuocatione & vexillo beatę & glorioſæ ſemper Virginis MARIÆ, in eccleſia S. Mariæ, Curtis *Orlãdingorum*, Lucæ erexerit, ac dictæ Confraternitatis ſeu Cõgregationis confratribus, vt vnum ex eis qui alijs præeſſet, ac rerum & bonorum ipſius Confraternitatis ſeu Congregationis curam & adminiſtrationem gereret, cuique ipſi Confratres parere tenerentur, eligere, ac conſtitutiones per eum approbandas condere poſſent, facultatem conceſſerit (prout in patentibus litteris ipſius Alexandri Epiſcopi, anno Domini milleſimo quintengeſimo octogeſimo tertio deſuper confectis pleniùs contineri dicitur) ac eius Confraternitatis ſeu Congregationis Confratres Sacramentorum eccleſiaſticorum adminiſtratione, diuini verbi prędicatione, & aliorum bonorum operum exemplo proximum iuuare totis viribus contendant: Nos, vt ipſi Confratres in ſuo laudabili propoſito magis confoueantur, & ad huiuſmodi pia & ſancta opera exercenda prõptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus & maturos ac dulces locatori Domino obtulerunt, eoſdem longè dulciores & maturiores ac vberiores in poſterum offerant, motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, erectionem Confraternitatis ſeu Societatis aut Congregationis Clericorum ſæcularium, in dicta eccleſia ab eodem Alexandro Epiſcopo, vt præfertur, factam, nec non omnia & ſingula in dictis patentibus litteris, erectionem huiuſmodi concernentibus, contenta, & inde ſecuta quæcumque, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos, tam iuris quàm facti & ſolemnitatum in eis forſan omiſſarum defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ſupplemus.

Et nihilominus eandem Confraternitatem in Congregationem Clericorum ſęcularium, ſub titulo ſeu inuocatione eiuſdem B. Mariæ Virginis, cum eiſdem regulis, inſtitutis & facultatibus in dicta eccleſia, auctoritate & tenore præmiſſis perpetuò erigimus & inſtituimus: Nec non nunc & pro tempore exiſtentibus Rectori & ſocijs dictæ Congregationis concedimus, vt quæcumque ſtatuta & ordinationes, felix regimen & gubernium ipſius Congregationis concernentia, ac ſacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini ac Romanorum Pontificum conſtitutionibus non aduerſantia, condere poſſint; quę tamen condita ab Ordinario loci approbentur: quodque Confeſſores dictæ Congregationis, qui ab Ordinario approbati fuerint, confeſſiones quorumcumque ad eos accedentium, quocumque anni tempore, audire, & debitam illis pœnitentiam, pro modo culpæ, iniungere: Superiores autem ipſius Congregationis per ſe vel alium, ſeu alios ex ipſis iam approbatis ſuos ſubditos à cenſuris & caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis (non tamen contentis in litteris die cœnæ Domini legi ſolitis) abſoluere, & etiam debitam illis pœnitentiam iniungere: necnon Superior dictæ Congregationis, receptos inobedientes, & illius conſtitutionum tranſgreſſores punire, & pœnitentia, pro modo culpæ, eius arbitrio (ſeruata tamen ſemper dictarum Conſtitutionum forma) eoſdem afficere, & ſi ſibi videbitur, cum aſſenſu maioris partis dictæ Congregationis, culpabiles eijcere, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Epiſcopi, ſeu brachij ſæcularis, liberè & licitè valeant, eiſdem auctoritate & tenore concedimus.

Quodque recipiendi in Congregatione huiuſmodi, tam clerici quàm laici, teneantur (vbi aliter Congregationi viſum non fuerit remittendum) promittere, etiam cum iuramento, ſe refecturos expenſas pro ipſis ab eadem Congregatione factas, ſi quando contigerit, vt ſponte vel iuſta de cauſſa expulſi ab eadem Congregatione diſcedant. Demum quòd Congregatio hæc ſit & perpetuò remaneat ſub protectione huius Sedis Apoſtolicæ (non tamen exempta ab ordinaria iuriſdictione Epiſcoporum Lucanorum, qui pro

tem-

Digitized by Google

tempote erunt, quo ad viſitationem & reformationem, ſi opus fuerit, iuxta Conſtitutiones eiuſdem Congregationis tantùm, nec aliàs aliter, nec alio modo) perpetuò ſtatuimus & otdinamus &c. Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Octobris, 1595. pontificatus noſtri anno quarto. 1595.

---

# CLERICORVM REGVLARIVM SCHOLARVM PIARVM CONGREGATIO A IOSEPHO CALASANTIO INCOHATA.

Congregatio Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum, Clementis VIII. auctoritate, à *Ioanne Calaſantio*, aliàs de Matte Dei, ex regno Aragoniæ otiundo inſtituta & per Paulum V. confirmata fuit. Gregorius XV. eam in Religionem trium votorum ſolemnium 1621. prouexit, & varijs priuilegijs firmauit. Exſtat volumen Conſtitutionum: quarum confirmationem 1622. Calaſantius ab eodem Pontifice impetrauit. Habent Miniſtrum Generalem; geſtant clericalem habitum honeſtum, ſed ex viliore panno; incedunt nudis pedibus; comitantur pueros quos docent ad domos parentum. Viuunt Romæ ad S. Pantaleonem in Paſquino, vt vulgò vocant, & in varijs Vrbis regionibus ſcholas aperiunt. Collegium item Nazarenum, haut procul ab æde S. Andreæ *de la Frata* nuncupata, poſſident; habentque Domum Nouitiatus Ad quattuor fontes, in via quæ ducit ad templum B. Virginis de Victoria. De hoc Ordine agit Pancitola in ſuo Theſauro, vbi Parionis regionem deſcribit. Sic ferè Auguſtinus Barboſa lib. 1. c. 14. De Iure eccleſiaſtico vniuerſo, nu. 163.

PAVLVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Cùm accepiſſimus, quòd opus *Scholarum piarum*, à nobis in Vrbe noſtra ad pauperes erudiendos & inſtituendos erectarum, vberos fructus ferebat, nos felici eiuſdem operis progreſſui conſultum eſſe cupientes, curam, regimen & adminiſtrationem dictarum in Vrbe erectarum, & aliarum piarum Scholarum pro tempore erigendarum, dilectis filijs Præpoſito generali & Clericis ſæcularibus Congregationis B. Mariæ commiſimus & demandauimus, prout in noſtris deſuper ſub die 4. Ianuarij 1614. expeditis litteris pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut accepimus, Clerici ſæculares præfati bonorum ſtabilium poſſeſſione ſe abdicari nolint (propterea quòd alijs muneribus & exercitijs, iuxta regularia eiuſdem Congregationis inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata, ne vacent, impediri ſe ſentiant) & huiuſmodi exercitijs potiùs operam dare, quàm prædictas Scholas regere malint; nos (ne tam piũ ac præſertim pauperũ liberorum Chriſtianæ educationi & eruditioni proficuũ opus aliquod propterea detrimentũ patiatur) quantùm cũ Domino poſſumus, prouidere volentes, litteras noſtras prædictas, omniaq; & ſingula in illis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium reuocamus & annullamus, nulliuſque roboris vel momenti eſſe & fore decernimus & declaramus. Præterea in domo earumdẽ Scholarum Vrbis prædictæ vnam *Congregationem Scholarum piarum*, ab vno Præfecto regendam & gubernandam (quæ de cetero perpetuis futuris temporibus *Paulina pauperum Matris Dei Scholarum piarum* nuncupari, nec vltra viginti ab Vrbe milliaria extendi, neque vllum locum, in quo Scholæ piæ non ſint, domibus Nouitiorum exceptis, habere, & qui eidem Congre-

Bullar. tom. 2.

gationi nomen dare voluerint,finitis duobus probationis annis, omnes tam ad ſacros,etiã preſbyteratus, Ordines promoti,& clericali charactere dũtaxat inſigniti,quàm fratres operarij, tria ſimplicia vota,paupertatis videlicet,ac caſtitatis & obedientię, ſuper quibus à nemine, præterquam à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari poſſit, emittere,ac gratis & nullo ſtipendio, mercede, ſalario aut honorario accepto, ad pueros in primis elementis, Grammatica, Computu, ac pręcipuè in Fidei catholicæ rudimentis erudiendos,bonis & pijs moribus imbuendos, ac demum Chriſtiano more educandos, operam, laborem ac ſtudium conferre debeant) ſine alicuius præiudicio, de nouo erigimus & inſtituimus.

Ita verò quòd qui ſimplex paupertatis votum, vt præfertur, emiſerint, quamdiu in prædicta Congregatione permanſerint,cuiuſcumque dominij, iuris & proprietatis incapaces ſint, idemque paupertatis votum ſummam in ijs paupertatem inducat,tam in particulari quàm in communi; ita vt nihil omnino iuris habeant, ſed nec habere aut acquirere quonis titulo poſſint in bonis ſeu ad bona, quæ vocantur immobilia, vel quæ pro immobilibus habentur. Huic verò paupertati omnia ad eorum vſum pertinentia, cibos, veſtes,ſupellectilem tam ſacram quàm profanam, ſtatui & inſtituto conuenientia,domos verò,hortos contiguos domibus, eccleſias, ſacriſtias, oratoria ac ſcholas & huiuſmodi immobilia,quæ pariter vſui eorum deſtinantur, ſimiliter conuenientia, vt præfertur, & prætereà in dominio Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, mobilia verò in dominio ipſorum,in communi tamen eſſe debere,ſimiliter decernimus & declaramus. Dictarum verò in Vrbe,& extra eam infra viginti milliaria erectarum,& pro tempore erigendarum piarum Scholarum, & Congregationis prædictę ſic erectę Præfecturam, curam, regimen & adminiſtrationem dilecto filio *Ioſepho Calaſantio*, Scholarum prædictarum nunc Præfecto,ad noſtrum beneplacitum committimus & demandamus: ita quòd liceat Ioſepho & Congregationi huiuſmodi earumdem & aliarum Scholarum huiuſmodi,ſimul atque erectæ fuerint, bonorum corporalem, realem & actualem poſſeſſionem, præſentium vigore, capere & apprehendere, & illa in Scholarum prædictarum beneficium poſſidere.

Inſuper duodecim eiuſdem Congregationis Clericis, qui votum paupertatis, vt præfertur, emiſerint, vt arbitrio nunc & pro tempore exiſtentis apud nos & Sedem Apoſtolicam earumdem Scholarum Protectoris,ad omnes,etiam ſacros & preſbyteratus,Ordines à quocumque maluerint catholico Antiſtite,gratiam & communionem eiuſdem Sedis habente,ad titulum paupertatis huiuſmodi promoueri, & promoti in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen ad hoc idonei reperti fuerint, neque aliud illis canonicum obſtet impedimentum. Ita tamen quòd ſi ex dicta Congregatione exire ſiue emitti contigerit,tamdiu ſuſpenſi ab executione Ordinum ſuſceptorum remaneant,quamdiu in redditibus tantum habuerint, quantum ad congruam eorum ſuſtentationem ſufficiat.

Inſuper Ioſepho & Congregationi huiuſmodi, de conſenſu dicti Benedicti Epiſcopi & Cardinalis,ac pro tempore exiſtentis Protectoris, vt pro felici Congregationis prædictæ illiuſque domorum & Scholarum regimine,quæcumq; Statuta,Capitula, Ordinationes & Decreta neceſſaria & oportuna, licita tamen & honeſta,ſacriſque Canonibus & Concilij Tridentini Decretis ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, per Apoſtolicam Sedem approbanda & confirmanda,facere & edere, illaque pro tempore,prout eis videbitur & expediens fuerit, præuia ſimili approbatione & confirmatione, mutare, alterare, corrigere & in melius reformare liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore paribus concedimus & indulgemus. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 6. Martij 1617.pontificatus noſtri anno duodecimo,

1617.

Gre-

# *Gregorij XV. Pontificis diplomata varia.*

GRegorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam &c. Cùm, ſicut dilectus filius *Ioſephus de Matre Dei*, Præfectus generalis Congregationis Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum de Vrbe, nobis nuper exponi fecit, Clerici eiuſdem Cōgregationis tria ſimplicia, *paupertatis* ſcilicet, *caſtitatis* & *obedientiæ* vota emittant; cumque perfectioris vitæ ſtudio ducti, ſimplicia vota prædicta per nos ſolemnia declarari nobis humiliter ſupplicaſſent; venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſiti, quibus negotium huiuſmodi maturè examinandum & nobis referendum commiſimus, prędictam Congregationem nuncupatam pauperum Matris Dei, olim Romæ fel. rec. Clementis Papę VIII. prædeceſſoris noſtri auctoritate erectam, per ſanctæ memoriæ Paulum Papam V. prædeceſſorem noſtrum confirmatam, & prope eccleſiam S. Pantaleonis de Vrbe modò degentem, in Religionem trium votorum ſolemnium approbari poſſe cenſuerint: prout in decreto deſuper ſub die 31. Auguſti proximè prędeteriti facto dicitur contineri: Bullarij tom. 4.

Nos pijs Ioſephi & Clericorum prædictorum votis huiuſmodi, quantùm cum Domino poſſumus, benignè annuere, eoſque ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes &c. ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum prædictum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique perpetuæ & inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 18. Nouēbris 1621. pontificatus noſtri anno primo. 1621.

Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Cùm, ſicut dilecti filij, Præpoſitus & Clerici Congregationis pauperum Matris Dei Scholarum piarum nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro felici & proſpero eiuſdem Congregationis ſtatu atque regimine diuerſas Conſtitutiones fecerint, illaſque in vnum volumen redegerint, tenoris ſubſequentis &c. (*Cōſtitutiones eæ ſeorſim Romæ typis excuſæ exſtant, ſed ad manum meam hactenus non peruenerunt.*) Capitulum generale ſupradictas Conſtitutiones immutare aut infringere, niſi ex ſex Capituli partibus quinque concurrant, non poſſe, volumus atque ſtatuimus, ad Omnipotentis Dei gloriam, & proximorum vtilitatem. Bullarij tom. 4.

Nos inuiolabili dictarum Conſtitutionū obſeruationi, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, dictoſq; Præpoſitum & Clericos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio, Conſtitutiones prędictas, omniaque & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore prǽſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuę & inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus &c. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 31. Ianuarij, pontificatus noſtri anno primo. 1622.

GREGORIVS Papa XV. ad perpetuam rei memoriam &c. Nos proſpero & felici dilectorum filiorum Clericorum regularium Congregationis pauperum Matris Dei Scholarum piarū de Vrbe regimini, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, eoſdemque Clericos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes &c. ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, dilectum filium Ioſephum à Matre Dei eiuſdem Congregationis Clericorum in Miniſtrum Generalem ipſius Congregationis ad nouennium tantùm, qui cum dilectis etiam filijs Petro à Natiuitate, Viuiano ab Aſſumptione, Franciſco à Purificatione, ac Paulo ſimiliter ab Aſſumptione, dictæ Congregationis pariter Clericis, ſocijs ſuis, vocem actiuam & paſſiuam habeat, ac corpus Religionis repręſentet, Apoſtolica auctoritate, tenore

P 2 præ-

præſentium facimus, conſtituimus & deputamus; nec non eidem Ioſeph o, vt tam ipſe
quàm ſui ſocij prædicti vota ſolemnia in manibus alicuius Pręlati eccleſiaſtici, eorum
arbitrio eligendi, emittere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis li-
centiam & facultatem concedimus & impartimur &c. Datum Romæ apud S. Mariam
1622. maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Aprilis 1622. pontificatus noſtri anno ſe-
cundo.

---

# CLERICORVM
# DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
# CONGREGATIO.

Bullarij tom. 3. PAulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Conſiderantes nos, iu-
re optimo à ſacro Tridentino Concilio, & ſummis Pontificibus, prę-
deceſſoribus noſtris, ſtatutum, & iam multis abhinc annis, maximo Ec-
cleſiæ Dei commodo, obſeruatum fuiſſe, vt pueri ſingulis Dominicis
& alijs feſtiuis diebus Fidei rudimenta, obedientiam erga Deum &
parentes, aliaſque Chriſtianas virtutes ab ijs, ad quos ſpectat, edoce-
rentur; vt hac ratione, quia ad mundi voluptates ſequendas natura pro-
ni ſunt, Chriſtiana pietate eruditi de virtute in virtutem proficientes, tales euaderent, qui
ad populi Chriſtiani mores reformandos & catholicæ Fidei incrementum idonei effi-
cerentur miniſtri: atque hoc conſilio, cùm nonnulli probitatis viri, zelo caritatis accen-
ſi, pro diuini cultus augmento, in hac alma Vrbe noſtra, ceterarum matre & magi-
ſtra, Tridentino Concilio publicato, in quibuſdam eccleſijs pueros & adultos quoſ-
cumque ſumma pietate ac diligentia Doctrinam Chriſtianam docere cœpiſſent, hoc
pium opus, pręſtante Domino, exiguo temporis ſpatio adeò incrementa ſuſcepiſſe,
vt Congregatio ſub *Doctrina Chriſtiana* nomine iam pridem instituta fuerit: ex qui-
bus licet aliqui tantùm in communi vita viuant, cum ſuo Pręposito in eccleſia S. Aga-
thę, regionis Tranſtiberinę, in vnum tamen omnes ſub vno Protectore conueniunt, at-
que vno Præſide huic ſaluberrimo operi, ſingulis feſtiuis diebus, ſedula incubuerunt &
incumbunt diligentia:

Nos pro noſtro paſtoralis officij munere, hoc pium Chriſtianæque Reipublicæ ne-
ceſſariū opus (ex quo hactenus vberrimi fructus prouenerunt, ac multò vberiores poſt-
hac prouenturos ſperamus) ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis ac ma-
gis cupientes, Congregationem prædictam in Vrbe inſtitutam, nec non ſingulas illius
perſonas & eccleſias, nempe S. Martini regionis Arenulæ, & S. Agathæ regionis Tranſti-
berinæ, eidem Congregationi Apoſtolica auctoritate conceſſas, ſub noſtra & Sedis Apo-
ſtolicæ protectione ſuſcipientes, motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ po-
teſtatis plenitudine, in celeberrima baſilica principis Apoſtolorum de Vrbe Congrega-
tionem Doctrinę Chriſtianę huiuſmodi in Archiconfraternitatem, Apoſtolica auctorita-
te, tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus: illiuſque ſic erectæ & inſtitutæ
perpetuum Adminiſtratorem & Protectorem dilectum filium noſtrum Hieronymum,
tituli S. Baſilij presbyterum Cardinalem *Pamphilium* nuncupatum, ac pro tempore exi-
ſtentem in Vrbe & eius diſtrictu Romani Pontificis Vicarium, harum ſerie conſtitui-
mus & deputamus: ac ipſius Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore exiſtenti-
bus aggregandi dictę Archiconfraternitati alias quaſuis eiuſdem Doctrinę Chriſtianę,
in qualibet mundi parte, canonicè erectas & inſtitutas ac inſtituendas Confraternitates,
illiſque priuilegia, indulta, fauores, exemptiones, gratias & indulgentias ſibi per nos con-
ceſſas

ceſſas, ac pro tempore à Sede Apoſtolica concedendas communicandi; nec non de Adminiſtratoris & Protectoris prædicti conſenſu, quæcumque Statuta, felix regimen & gubernium dictæ Archiconfraternitatis concernentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus & Decretis Concilij prędicti, Conſtitutionibuſque Apoſtolicis minimè contraria condendi, illaque ſic condita, pro rerum & temporum qualitate, in toto vel parte, ac toties quoties opus fuerit, immurandi, & in eorum locum alia de nouo edendi licentiam, facultatem & auctoritatem concedimus & impertimur &c. Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 6. Octobris 1607. pontificatus noſtri anno tertio. 1607.

GREGORIVS Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Cùm (ſicut dilecti filij Præpoſitus & Clerici Congregationis Doctrinę Chriſtianæ, in eccleſia S. Agathę trans Tiberim de Vrbe inſtitutæ, nobis nuper exponi fecerunt) Clerici eiuſdem Congregationis, elapſo Nouitiatus anno, votum cum iuramento in eadem Congregatione perpetuò manendi libera & ſpontanea voluntate emittant; nonnulli verò ſuper voto ac iuramento pręfatis, inuita etiam Congregatione eiuſmodi, diſpenſare, & illa commutare licitum putent, & de facto, in eiuſdem Congregationis pręiudicium, diſpenſent & commutent: Nos pręmiſſis, quãtum cum Domino poſſumus, obuiare, dictoſque Prępoſitos & Clericos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes &c. quòd de cetero cum Clericis eiuſdem Congregationis, ſuper voto & iuramento prędictis, niſi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem diſpenſari, aut votum & iuramentum prąfata commutari nullatenus poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & ordinamus &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 12. Nouembris 1621. pontificatus noſtri anno ſecundo. 1621.

Bullarij tomo 4.

NOTATIO. Petrus Martyr Felinus, ordinis Seruorum B. Mariæ, in libro ſuo de Admirandis Vrbis Romæ, tradit Congregationem Doctrinę Chriſtianę anno 1560. inchoatam fuiſſe à quodam Marco Mediolanenſi: qui primus, cum aliquot ſodalibus ſuis, in templo S. Apollinaris, Doctrinam Chriſtianam pueris alijſque rudibus explicare cœpit. Idem Felinus libro citato narrat, Romę iuxta ędem SS. Ruffinę & Secundę, commorari pias quaſdam virgines ac matronas ex Congregatione Doctrinę Chriſtianę, ſiue ex Societate S. Vrſulę, inſtituta anno ſęculari 1600. à quadam Franciſca ex Belgio oriunda, & altera quadam Franciſca, natione Franca. Ceterùm pręter Romanam Clericorum Doctrinę Chriſtianę Congregationem, paulò antè memoratam, fuit & alia eiuſdem inſtituti Congregatio in Gallia à pijſſimo presbytero *Cæſare Buſio* fundata: de qua ſuprà, cùm de Somaſcenis ageremus, pag. 75. & 77. locuti ſumus.

# CONGREGATIO ORATORII IESV CHRISTI A PETRO BERVLLIO CARDINALE INSTITVTA.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacroſanctę Romanę Eccleſię, quam Dei vnigenitus Ieſus Chriſtus D.N. auctor ipſe piorum operum fundauit, regimini ſuperna diſpoſitione prę ſidentes, pro nobis commiſſi gregis Dominici proſpero ſtatu & animarum ſalute ſoliciti eſſe compellimur, & ea ſincerè tenemur amplecti, quę ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum ſpectant ornamentũ; ac vt piæ Chriſti fidelium Congregationes inſtituantur, & exinde vberiores fructus bonorum operum, in illis locis præſertim vbi id magis expedire dignoſcitur, in

Bullarij tom. 3. in Appen.

dies per pia & ſpiritualia exercitia accreſcant,& ijs exercitijs debitè Domino famulantes perſonæ animarum ſuarum ſalutem,eodem Domino miſerante, faciliùs conſequi, ceteriſque Chriſti fidelibus vitæ ac morum exemplo proficere valeant ad ſalutem. Sanè exhibita nobis nuper, pro parte venerabilis fratris noſtri HENRICI Epiſcopi Pariſienſis, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ MARIÆ Francorum Reginę, petitio continebat, quòd aliàs cùm ipſa Maria Regina, pio deuotionis zelę ducta, vt aliquo deuotionis ſuę monumento immenſarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium largitor optimus decorauit, teſtari poſſit,diſciplinam Eccleſiaſticam vndique ferè in regno Franciæ hæreſum bellorumque præteritorum iniuria, tum in Religione,tum etiam in moribus non parum deprauatam ac corruptam, in primæuum & priſtinum ſuum ſtatum, deuotioniſque & pietatis ſplendorem ſalubri aliqua ratione reſtitui plurimùm deſideret; & id (re ipſa in conſultatione cum viris grauibus & pijs, ac præſertim cum dicto *Henrico* Epiſcopo pluries habita, matureque diſcuſſa) vtiliùs & fructuoſiùs, quàm ex inſtitutione alicuius Congregationis piorum Sacerdotum, quorum ſtudium & officium ac munus ſacerdotale,iuxta ſanctum atque pium illius inſtitutum,debitè exequendum & adimplédum ſit omnino directum, inſtituendę exequi poſſe non videatur, ipſaque *Maria* Regina vnam deuotam piorum ac probatæ vitę Sacerdotum, quorum principale inſtitutū ſingulas actiones ordini ſacerdotali conuenientes & eſſentiales amplecti exiſtat,Congregationem in ipſo regno & pręſertim in ciuitate Pariſienſi,vbi illa non parū deſiderari videtur,erigi & inſtitui,curamque erectionis & inſtitutionis huiuſmodi dilecto filio PETRO DE BERVLLE, Presbytero Pariſienſi (cuius miniſterium felici progreſſui & directioni ipſius Congregationis maximè profuturum eſſe in Domino confidit) per nos committi & demandari ſummoperè deſideret; pro parte eorumdem *Henrici* Epiſcopi & *Mariæ* Reginę, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Congregationem piorum ac probatæ vitę Sacerdotum perpetuò erigere & inſtituere, illiuſque curam dicto *Petro* committere & demandare, vt pręfertur, ac aliàs de Apoſtolicę poteſtatis prouidentia conſulere dignaremur.

Nos igitur, quibus cura & ſolicitudo cordi inſidet Fidem & Religionem catholicam propagare, diuiniſque cultus augmentum, & vt Chriſti fideles ſinguli,per viam ſalutis in hoc ſęculo gradientes, ad cœleſtia regna peruenire mereantur, procurare, pręſertim vbi Catholicorum Principum vota id expoſcere, ac in Domino ſalubriter conſpicimus expedire,conſiderantes huiuſmodi inſtitutionem ſpecialiter ſacerdotes aut perſonas ad ſacerdotalem ſtatum aſpirantes,vel ſaltem eorum miniſterio neceſſarias,ac Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,ſacerdotalis dignitatis immediatum inſtitutorem,tangere & reſpicere,æquum maximè & rationi conſentaneum iudicamus, vt qui huiuſmodi inſtitutum aggrediuntur, vltra communem fidelium deuotionem, ſpeciali & particulari deuotione IESV CHRISTI Domini noſtri addicantur, qui eſt *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & fons ſacerdotij in Eccleſia Chriſtiana. Hinc pio & ſalubri dictæ MARIÆ Reginæ deſiderio fauorabiliter annuere, ac ipſum opus pium Sedis Apoſtolicæ conſolatione confouere, nec non Chriſti fideles ad pia,meritoria & ſalutaria opera exercenda,eccleſias quoque & ſacra Dei templa deuotionis cauſſa viſitanda, æternis præmijs ac ſpiritualibus muneribus & peccatorum remiſſione inuitare volentes, nec non HENRICVM Epiſcopum & PETRVM prædictos ac eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis,ſuſpenſionis & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis,à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes,& abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati,dicto PETRO apud nos de religionis zelo, vitæ ac morum honeſtate, alijſque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendato,noſtram & dictę Sedis benedictionem impartientes,ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, & animarum ſalutem, vnam ſub nomine *Oratorij Ieſu Chriſti Domini noſtri* Congregationem in honorem orationum quas in diebus carnis ſuæ fudit; vt ij qui Congregationem ipſam ingredientur eumdem

Ieſum

Ieſum Chriſtum pro nobis in oratione poſitum & pernoctantem reuereantur, atque etiam inſtituti, ad quod vocati ſunt, moneantur, & præſertim ſemper hanc præcipuam omnibus communem & omni tempore congruentem officij eorum partem, quæ in orationibus pro populo ac in Dei laudibus celebrandis verſantur, habeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ſine alicuius præiudicio, perpetuò erigimus & inſtituimus. Dictumque Petrum Inſtitutorem in Præpoſitum generalem huius piorum Sacerdotum, nulli anteà religioni voto ſolemni addictorũ, nec nõ & aliorum ad presbyteratus ordinẽ promoueri cupientiũ, & reliquorum ad familiaria officia neceſſariorum Congregationis *Oratorij Ieſu Chriſti* D.N. nuncupandę huiuſmodi, qui ſimul & in ſocietate religioſè viuere & in humilitatis ſpiritu & pię vitę ſtudijs Altiſſimo famulatũ exhibere & impendere ſtudeant; quorũ principale ac præcipuum inſtitutũ ſit, perfectioni ſtatus ſacerdotalis totaliter incumbere, ſingulaſque actiones ordini ſacerdotali propriè & eſſentialiter conuenientes, ſibi ab eorum Ordinárijs, vbi ſtabilita fuerit, præſcribendas, & non aliàs amplecti; Sacerdotum inſuper, & aliorum ad ſacros Ordines aſpirantium inſtructioni, non circa ſcientiam, ſed circa vſum ſcientiæ, ritus & mores propriè eccleſiaſticos, ſe addicere volentes; cum plena & omnimoda facultate, poteſtate & auctoritate, eidem PETRO per nos ad id aſſumpto, & à dicta MARIA Regina ſummopere commendato, vt prædictam Congregationem huiuſmodi, tam in ciuitate Pariſienſi quàm in omnibus alijs ciuitatibus, opidis, terris & locis, ad quę à locorum Epiſcopis vocatus fuerit, & non aliàs, inſtituendam, ac demum pro felici ſtatu & directione perſonarum, ac bonorum ſpiritualium & temporalium eiuſdem Congregationis ſeu Congregationum ſic erigendarum, tam circa receptionem & admiſſionem, numerum, ætatem & qualitates in ipſa Congregatione recipiendorum & admittendorum, eorumque inſtructionem & diſciplinam, exercitia, ac modum & formam diuinorum officiorum, precum & orationum, aliorumque ſuffragiorum recitandorum, & alia ipſis Congregationibus vtilia atque neceſſaria quęcumque ſtatuta, ordinationes & capitula, licita & honeſta, ſacriſque Canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Concilij Tridentini decretis minimè contraria, à ſancta Sede Apoſtolica poſtmodum approbanda, confirmanda, ac per ipſarum Congregationum Præpoſitum, Presbyteros, Officiales, miniſtros & coadiutores, ſub pœnis in eis apponendis, adimplenda & obſeruanda, faciendi, edendi & condendi, factaque, edita & condita, quoties pro illorum ac rerum & temporum qualitate & viciſſitudine, ſeu aliàs videbitur, corrigendi, limitandi, immutandi, alterandi, ac etiam alia, vt præfertur, examinandi & approbandi, ac etiam, vt præfertur, adimplenda & obſeruanda, ex integro faciendi & condendi, aliaque omnia, & ſingula à ſimilium Congregationum, nec non quorumcumque Ordinum approbatorum conſtitutoribus, aut alijs Superioribus etiam generalibus, de iure vel conſuetudine, ſiue ex priuilegio aut aliàs quomodocumque fieri & exequi ſolita faciendi & exequendi, dicta auctoritate deputamus & aſſumimus.

Omneſque alias, ad inſtar ſupradictæ per nos ſic erectæ, canonicè erigendas Congregationes, quas ab ea Pariſienſi, & à dicto Præpoſito generali, quocumque locorum ſtabilitæ fuerint, in omnibus dependere volumus & intelligimus, ex nunc, prout poſtquam auctoritate prædicta erectę fuerint, eiſdem auctoritate & tenore perpetuò approbamus & confirmamus. Ita tamen quòd Congregatio Pariſienſis ſaltem *duodecim Preſbyteris* conſtare & tot reditus annuos habere debeat, ex quibus vnicuique presbytero huiuſmodi portio annua 45. Ducatorũ auri de Camera obuenire poſſit. Ceteræ verò Congregationes *decem* ad minus presbyteros, ac eoſdem reditus annuos, vel quæ Sedis prędictæ Legatus, aut pro tempore exiſtens Nuncius Apoſtolicus & Epiſcopus loci, ac dictæ Congregationis ſic erectæ Prępoſitus generalis, pro loci qualitate ſufficere iudicauerint, habere debeant. Et poſtremò eiſdẽ Congregationibus ex nunc, prout etiam poſtquam inſtitutæ & erectæ fuerint, vt præfertur, pro illarum dote ac dicti Petri, nec non Præpoſiti generalis & Presbyterorum eorumdem pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, omnia & ſingula, res, bona, fructus, reditus & legata, ac eleëmoſynas, tam per dictam *Mariam* Reginam quàm alios quoſcumque

Chriſti

Chriſti fideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda & elargienda (ita quòd liceat dicto Petro vel alij Præpoſito generali & Presbyteris dictarum Congregationum pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem, realem & actualem poſſeſſionem, per ſe vel alium ſeu alios, dictarum Congregationum nomine, liberè apprehendere & perpetuò retinere, fructua quoque, reditus & prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcumque eorumdem percipere, exigere, leuare, recuperare, ac in dictarum Congregationum vſus & vtilitatem conuertere (Diœceſani loci vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita) etiam perpetuò applicamus.

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, prouincialibus & ſynodalibus Concilijs editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis ac litteris Apoſtolicis, quibuſcumque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & alijs decretis, in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſorea noſtros, & Sedem prædictam, eiuſque Legatos, quauis cauſſa & occaſione, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis & innouatis; quibus omnibus etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum & forma in illis tradita obſeruata, nihilque penitus omiſſo, inſerti forent, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque.

Ceterùm ad augendam fidelium deuotionem, animarumque ſaluti conſulendum, & vt Chriſti fideles ad huius inſtituti exercitium animentur atque inuitentur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius meritis confiſi, omnibus & ſingulis Presbyteris, qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, & in ea recipientur, eorumque Coadiutoribus & Oblatis alijſque miniſtris, die eorum & cuiuſlibet ipſorum ingreſſus, receptionis ac profeſſionis, ac in mortis articulo, ſi pœnitentes & confeſſi ac ſacra communione refecti fuerint, plenariam Indulgentiam & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, eiſdem auctoritate & tenore, miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Poſtremò eiſdem Prępoſito, Presbyteris, Coadiutoribus, Oblatis & alijs miniſtris prædictis, qui Congregationibus publicis vel ſecretis, pro quocumque opere pio exercendo, interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones ſuas exercuerint, toties, pro quolibet præmiſſorum piorum operum, & vt magis ad ſui inſtituti opera animentur, & ſuauiùs ad ea inuitentur, ſexaginta dies de iniunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, etiam Apoſtolica auctoritate & tenore huiuſmodi, miſericorditer relaxamus; necnon tam ipſis, quàm omnibus alijs Chriſti fidelibus, qui etiam verè pœnitentes & confeſſi, ac ſacra communione refecti, eorumdem Presbyterorum eccleſias aut oratoria, in ſanctiſſimi Corporis Chriſti & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis feſti ſtatum, ac in quo eccleſiæ ſeu oratoria dictorum Presbyterorum in vnaquaque diœceſi ſeu loco proxima vice populo aperientur, diebus, deuotè viſitauerint, ſimili Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium etiam Indulgentiam plenariam & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem concedimus & elargimur, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo *&c.* Si

1613. quis autem, *&c.* Datum Tuſculi, anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1613. VI. Idus Maij, anno pontificatus noſtri octauo.

Cap.

## Caput II. *Summarium inſtituti Congregationis Oratorij Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Sacerdotum in ſocietate viuentium inſtituti primordia in Apoſtolis, ipſo IESV CHRISTO Domino noſtro auctore, fuiſſe conſecrata, antiquus Eccleſiæ vſus, & Canonicorũ longa purioribus temporibus praxis euidenter probant. Vnde Congregatio Presbyterorum, qui ſunt è Clero, nullo Religionis voto obſtricti, non tam inſtitutio noua quàm inſtauratio dicenda eſt; à *S. Philippo Nerio* Romæ primùm, poſteà titulo Oratorij IESV Chriſti Domini noſtri, Pauli V. Pont. Max. auctoritate in Gallia erecta & propagata; Præpoſitis eûm ad bonum Congregationis regimen, tum ad ſpiritualem directionem Congregatorum ab Epiſcopis ſeu Ordinarijs locorum conſtitutis. Qui quidem ſicut ex ſuauitate ſpiritus & caritate potiùs, quàm ex vlla poteſtate coërcitiua nec imperando aut iubendo, ſed monendo & ſuadendo ſibi commiſſos dirigunt; ita illi ſpontanea quadam ſubiectione, atque omninò ex deuotionis affectu, & eius amore qui pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem, ſeſe ſubmittunt. Tota verò & integra iuriſdictio penes Epiſcopos manet; nec ipſa Congregatio in genere vel in particulari vllis gaudet priuilegiis, diſpenſationibus, exemptionibus, quæ illorum auctoritati vel minimùm derogent. Vtque diuinâ in perpetuum Eccleſiæ bonum intendente prouidentiâ, omnibus propè ſæculis innumerabiles, ad agrum Domini excolendum miſſi operarij, gloriæ Dei & ſalutis animarum zelatores longè eximij, ex Ordinum regularium varietate, quâ filia Regis eſt circumamicta, prodierunt; ſic noſtra ætate velut nouiſſima prodijt Congregatio Sacerdotum è Clero: qui (vt ex primæua Chriſti Domini inſtitutione, & ſacerdotali conſecratione admonentur, & vt multorum ſæculorum conſuetudine fuit obſeruatum) in communi viuentes, Epiſcopis in vſu ſui ordinis omninò & immediatè ſubiacent, quò fit vt ipſi Epiſcopi plures ad manum habeant Sacerdotes, quibus ad omnia munia obeunda vti poſſint ad nutum. *Inſtitutio & Status.*

In ipſam porrò Congregationẽ non niſi probati admittuntur Sacerdotes, vel ſacerdotio deſtinati, itemq; laici exterioribus miniſterijs deputati. Qui omnes, vt nihil iuris acquirunt dũ ſe dictæ Cõgregationi adſcribunt, ſic etiã nihil perdunt aut amittunt de ſuis iuribus, gradibus, beneficijs aut bonis tẽporalibus: de quibus liberè & piè poſſunt diſponere. Debent tamen ſuis in eccleſijs reſidere, quibus incumbit onus reſidendi. Ceterùm quæ apud Regulares *Probatio* ſeu *Nouitiatus*, in Congregatione *Inſtitutio* nuncupatur: nullo tamen præfixo tironibus ſpatio; niſi quod ex illorum ſtatu aut maturo profectu, & Directorum arbitrio, ad eccleſiaſticæ perfectionis apicem conſcendentibus ſatis eſſe cenſetur.

Præter eos qui dictæ Congregationi nomina dant, poſſunt etiam alij extranei, eccleſiaſtici ordinis homines, in eorum numerum, qui *Aggregati* appellantur, admitti: quia cùm pleroſque vel ſui officij adminiſtrandi ratio, aut rei domeſticæ neceſſitas, aut alia quælibet honeſta cauſſa legitimè queat impedire, quò minùs Congregatorum numero ſe adiungant; non eſt æquum quos eiuſdem miniſterij communio iungit, eiuſdem ſpiritus influxu & pietatis communicatione priuari. Quòd ſi plures huiuſcemodi *Aggregati* eadẽ in vrbe commorentur, poterunt ſæpiùs ſtatis diebus conuenire, de ſpirituali profectu aut alijs neceſſarijs inter ſe acturi; & ſemel quolibet anno ſpiritualem exercitationem ſiue recollectionem per dies aliquot in dicta Congregatione facere; aliquam reliquo tempore (ſpontaneam tamen) directionem ab illa accepturi. *Aggregati.*

Congregatio duos fines habet propoſitos: alterum, vt internæ perfectioni eccleſiaſticæ & ſacerdotali acquirendæ ſedulò incumbat; IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, ſummum Sacerdotem ac Sacerdotum inſtitutorem, ſpeciali amore & honore proſequatur; eius ſpiritu animetur interiùs, & ipſius ſit bonus odor in omni loco & apud omnes exteriùs: alterum, vt omnia quæ ſunt Sacerdotum munia & functiones ex eodem *Functiones.*

fonte gratiæ & ſpiritu per ſuos obire queat. Quarum quidem functionum ſummatim
quattuor cenſentur capita; primum erga Deum, tremendi myſterij; ſecundum, Officij
canonici celebratio; tertium erga proximum, adminiſtratio Sacramentorum; quartum
prædicandi, exhortandi & catechiſandi munus: & ſi quid aliud ad ea referri queat, vt
iuuentutis Inſtitutio, quæ ſine ſpeciali mandato Epiſcoporum non eſt ſuſcipienda. Hæc
ſingula paucis verbis Apoſtolorum complectitur ſententia, Actor. 6. *Nos orationi,* lo-
quunt, *& miniſterio verbi inſtantes erimus.*

Ad illas porrò functiones obeundas nullam Congregatio facultatem, iuriſdictionem
& poteſtatē ſibi vindicat, aut proximè habet à Sumiro Pontifice, ſed omnimodam acci-
pit ab ipſis Epiſcopis: ita vt ipſi non tantùm impediendi, prohibendi, interdicendi, ſed
etiam præcipiendi, iniungendi, & in virtute obedientię ad exercenda munia ſacerdota-
lia, vbi & quando expedire videbitur, obligandi, erga Congregationem auctoritate pol-
leant; & ipſa Congregatio votum obedientiæ, quam in ſua conſecratione Sacerdotes
promiſerunt, quaſi renouare, & in praxim omnino reducere, quantùm in ſe eſt, inten-
dat. Eaſdem verò functiones in eccleſijs parochialibus, ſi Curati ſeu Paſtores voluerint
& vocauerint, & non aliàs, exercere ſolet; vt confeſſiones audire, conciones, exhorta-
tiones, catecheſes habere, ſanctam Euchariſtiam miniſtrare. Ceterùm inter alia pietatis
exercitia non illud vltimo loco ponendum, quòd tam Sacerdotes, quàm ſacris initiatos
vel initiandos, ex arbitrio Epiſcoporum, non tam in ſcientia quàm in vſu ſcientiæ, hoc
eſt, in praxi functionum, & in pietate ac perfectione ſacerdotali inſtruant.

Quantum verò ad Statuta Congregationis attinet, quamuis vſu potiùs & moribus,
quàm ſtatis legibus viuat, aut certè non alias ferè leges habeat quàm Canones Eccleſiæ
& cuiuſque diœceſis, in qua eſt inſtituta, Conſtitutiones Synodales; quæ tamen ſeruat
in praxi, hæc ſunt præcipua. Domo, menſa & victu communi vtitur: niſi quid aliud ne-
ceſſitas ex infirmitate, ætate, aut alia ex cauſſa, & caritas, quæ in ipſa maxima omnium
eſſe debet, exigat. Veſtitu item vtitur honeſto, ſicut Sacerdotes decet, vt non vituperetur
miniſterium; modeſto tamen & vniformi: vt luxus omnis & curioſi cultus amor euite-
tur. Quæ vnicuique ſunt neceſſaria, ab eo cui œconomia domus commiſſa eſt, ſubmini-
ſtrari ſolent: vt hac ſepoſitâ curâ liberiùs Deo vacare queant. Qui habent facultates ali-
quas vel ex prouentibus beneficiorum, vel ex proprijs, quod æquum eſt, vel caritas ſug-
geſſerit, in commune conferunt: qui verò illis carent (ſi modò ſint virtute & dotibus
requiſitis præditi) vt abſque vllo diſcrimine in Congregationem admittuntur, ſic illis de
omnibus neceſſarijs communi caritate prouidetur. Obedientiam ex animo, humilitatem,
caritatem, modeſtiam & alias virtutes verè eccleſiaſticas ſeu ſacerdotales Congregatio
congruis exercitijs colit; præcipuè veram & internam pietatem ac deuotionem erga Do-
minum noſtrum IESVM CHRISTVM, eiuſque Matrem ſanctiſſimam. Preter Miſ-
ſam maiorem, ex Officio eccleſiaſtico Horas plures aut pauciores, pro iudicio Epiſcopo-
Exercitia. rum cantant. Exercitia porrò quotidiana, cum horarum diſtributione, ſunt iſta: Horâ
quartâ matutinâ omnes ſurgunt; per integram horā vacant orationi; horâ octauâ reci-
tant vel canunt Litanias. Quod ſupereſt temporis, pijs exercitijs, ſtudijs, celebrationi
Miſſarum, & alijs ad quæ vocati fuerint, impendunt. Horâ prandij, præmiſſo breui exa-
mine, conueniunt omnes ad triclinium: vbi triplici paſcuntur lectione, S. Scripturæ, Vi-
tæ alicuius Sancti, & pij cuiuſpiam tractatus ex Patribus. A prandio, ſpatio vnius horæ,
familiariter inter ſe cōuerſantur. Aliquis ad id deputatus vnam aut alteram è nouo Teſta-
mento quæſtionem proponit: de qua ſuo quiſque ordine, modeſtè & ſine vlla contentio-
ne, ſententiam ſuam dicit. Qui verò propoſuit, genuinum è probato ac fido aucto-
re ſenſum aperit. Poſteà duæ vel tres morales quæſtiones, ſeu Caſus conſcientiæ ab alio
propoſiti, eodem modo expenduntur & reſoluuntur. Tertius Hiſtoriam aliquam pro-
batam narrat: &, ſi opus fuerit, aliquod dubium exagitatur. Exinde omnes ſe ad ſua re-
cipiunt, & horâ quintâ conueniunt ad Litanias, & ad breuem orationem mentalem in
Oratorio habendam: vnde *Oratorij* nomen ſumpſit exordium. A cœna ijſdem ex-
ercitiis ferè horam impendunt: & facto ſimul examine, Matutinum & Laudes pri-
uatim

uatim recitant : ita vt circa horam nonam, aut paulò pòſt, poſſint lecto decumbere. Congregatio nihilominus, quantùm decet & poteſt, mores regionis & ritus Eccleſiæ loci, in quo eſt inſtituta, ſequitur.

## *Cap. III. Domus & Collegia ſeu Gymnaſia publica Congregationis Oratorij Ieſu Chriſti D.N. in Gallia.*

PARISIENSIS Domus, totius Congregationis caput, in qua Præpoſitus generalis, Paris. cum tribus Aſſiſtentibus & Secretario (ad quos vniuerſæ Congregationis regimen pertinet) ordinariè reſidet. Fuit ea Lutetię, primùm cœpta in ſuburbio S.Iacobi, in ædibus conductitijs, quas vernaculè *petit Bourbon* vocant, anno 1611. die 11. Nouembris, S.Martino Galliarum Apoſtolo ſacra, à R.P. Petro Berullio, & alijs quattuor pijs doctiſque Sacerdotibus, videlicet *Ioanne Bence*, *Iacobo Gaſtaut*, Doctoribus Sorbonicis, *Franciſco Bourgoineo* & *Paulo Metezello*. Hi poſteà ad palatium defuncti Cardinalis Ioiſiani, vulgò *de Boucage* nuncupatum, propè Luparam arcem regiam commodo loco ſitum, ſeſe tranſtulerunt, vicinoque fundo coëmpto, templum ibi egregium, in quo ſacra nunc peragunt, à fundamentis excitarunt. Ceterùm primis iſtis quinque Presbyteris in vnum congregatis exinde alij duo Doctores Sorbonici, *Claudius Bertin* & *Guilielmus Gibyeuf*, patria Bituricenſes, ſeſe vno eodemque die adiunxerunt. Creſcente rei tam ſanctæ fama, plurimi genere, doctrina, legationibus, alijſque functionibus cùm togatis tum ſagatis clariſſimi huic ſacræ militiæ nomen dederunt. Inter eos qui libris editis exiſtimationem etiam apud exteros ſibi pepererunt, præter *Berullium*, *Bourgoineum* & *Metezellum*, non fuêre poſtremi, *Ioannes Morinus* Bleſenſis, Theologus Hebraicæ, Grecæ & Latinę linguarum peritiſſimus, *Nicolaus Borbonius* Regius litterarũ Gręcarũ in Academia Pariſieñ Profeſſor, *Petrus Berthaultus* Hiſtoricus & Florus Gallicus. De alijs pęnè innumerabilibus alibi locus dicendi ſe offeret. Ceterùm Petrus Berullius à Paulo V. primus Congregationis Præpoſitus generalis, exinde anno 1627. nihil tale cogitans, imò reluctans S.R.E. Cardinalis creatus, anno demum Chriſti 1629. ætatis 55. poſtridie Kalendas Octobris, magna ſanctitatis opinione deceſſit. Berullio in Præpoſitura generali ſuffectus eſt, Patrum ſuffragijs, *Carolus de Condren*, Gaſtoni Borbonio, Duci Aurelianenſi, Ludouici XIII. Francorum Regis fratri vnico, à ſacris confeſſionibus.

S. Maglorij Domus, in S. Iacobi ſuburbio Pariſienſi, olim Abbatia Benedictinorum, Oratorio addicta eſt per indultum Pontificium. *S. Magloire.*

Noſtræ Dominę Virtutum Domus, in pago Auberti Villarij, ſeſquimilliari à Pariſijs diſtante, cum cura eccleſię parochialis & ſacelli Deiparæ, quod procerum ac ciuium Pariſienſium piè peregrinantium concurſu in dies frequentatur. Domum anno 1620. fundauit vir nobilis Franciſcus Mõtoloneus, illius loci toparcha. Eodem procurãte, Paulus V. eccleſiam parochialem, cum dicto ſacello, Congregationi Oratorij annexuit. *Noſtre Dame de Vertu.*

Montmorenciana Domus, tribus leucis à Luteria Pariſiorum, ab Henrico Montmorencio Duce, Pari & Mareſcallo Franciæ anno 1619. inſtituta. Templum eſt eximiæ ſtructuræ, olim à Canonicorum collegio poſſeſſum. *Montmorency.*

Mariniensis Domus à Francię Cancellario Domino de Sillery ex fundamẽtis anno 1619. in pago de *Marine* educta. Eodem agente, illius loci cura Paſtoralis, cum Prioratu, per Pontificem Oratorio fuit annexa. *Marine.*

Raroriensis Domus annexum habet illius loci Prioratum, olim ordinis Grandimontenſis. *Raroy.*

Maulenſis & Torienſis Reſidentiæ, cum cura Paſtorali & Prioratu annexo. Atque iſtæ quidem Domus ac Reſidentię, hactenus à me enumeratæ, ſubſunt immediatè Domui Pariſienſi. *Maulé. Toiry.*

Rotomagenſis Domus, in vrbis meditullio 1615. conſtructa, magno Clerici ac populi bono ſpirituali. *Rouen.*

Dieppenſis Domus in Normannia, à Franciſco Cardinale Iouiſiano, eodemque Archiepiſcopo Rotomagenſi 1619. fundata. Patribus poſteà regimen Collegij ſeu Gymnaſij publici eſt commiſſum, in quo, præter litteras humaniores, Philoſophiam & Theologiam moralem explicant. *Dieppe.*

Cadomenſis Domus in Normannia, à N. presbytero Congregationis Oratorij amplis ædibus ac reditibus annuis dotata. *Caen.*

Ambianenſis Domus in Picardia 1626. inſtituta. *Amiens.*

Peronenſis Domus in Picardia, cum Collegio litterario. *Perone.*

Bolonienſis Domus habet Collegium litterarium à Victore Boutillier, Epiſcopo illius vrbis, liberaliter dotatum. *Bologne.*

Aurelianenſis Domus 1615. à Cl. V. Furnerio, Iuris Doctore & Profeſſore Regio, fundata; pòſt templo egregio & munere concionandi in baſilica cathedrali, quæ S. Cruci ſacra eſt, adaucta. *Orleans.*

Bituricenſis Domus, ab Henrico Borbonio, Principe Condæo, illius prouinciæ Gubernatore, à fundamentis excitata anno 1623. *Bourges.*

Niuernenſis Domus, à Leonoro Deſtrapes, Archiepiſcopo Auxitano, in ædibus auitis erecta ac dotata anno 1625. *Neuers.*

Turonenſe Oratorium, in Prioratu & templo S. Michaëlis. *Tours.*

Roſionenſis Reſidentia, à N. viro nobiliſſimo, Congregationis Oratorij presbytero, illius loci domino, inſtituta. *Roſiers.*

Vindocinenſis Domus & Collegium (in quo litteræ humaniores, Philoſophia & aliȩ diſciplinæ cum pietate eximiè florent) dotem ſuam debent Cæſari Duci Vindocinenſi, Henrici IV. Francorum Regis filio naturali. *Vendoſme.*

Ardillienſis Domus, prope Salmurium opidum ad Ligerim fluuium, ſita eſt iuxta ſacellum Deiparæ cultu, miraculis & peregrinorum concurſu celeberrimum; fundata 1617. à Leonoro de Eſtampes Abbate Burgolienſi, pòſt Carnutenſi Epiſcopo; Rege ac Senatu approbantibus. In dicto ſacello Patres Oratorij, triginta & ampliùs numero, excipiendis piè peregrinantium ſacris confeſſionibus, alijſque religioſis exercitijs aſſiduam dant operam; & domi ſuȩ Theologiam, atque in primis Fidei controuerſias, aduerſùs Caluinianos Salmurij potiſſimùm obſtrepentes, diligenter explicant. *Noſtre Dame des Ardilliers.*

Salmurienſe Collegium, in ipſo opido iuxta munitiſſimum caſtrum (quod Mineruæ quis dixerit) ſitum, ijſdem Patribus eſt creditum, ad liberales artes iuuentuti vndique confluenti, cum ſincera religione ac pietate, tradendas. *Saulmur.*

Andegauenſi in vrbe Congregatio Oratorij, præter amplam Domum, poſſidet & Collegium à Domo ſeiunctum: in quo Logicæ, Phyſicæ ac Metaphyſicæ exercitationes, præter litterarias, ab anno 1624. mirificè florent. *Angers.*

Niortenſis Domus, ab vno ex primis Congregationis Sacerdotibus donata, & annuo cenſu ſtabilita eſt circa annum 1618. *Niort.*

Cenomanenſe Collegium & Seminarium, ab illius vrbis Epiſcopo N. & Clero ſunt inſtituta; ad litteras humaniores, Philoſophiam & Theologiam moralem auditoribus, qui frequentes eò vndique accurrunt, explicandam. *Le Mans.*

Namnetenſis Domus, in Britannia minore, ab illius vrbis Antiſtite Carolo de Bourgneuf anno 1615. liberaliter fundata eſt. Exinde à Senatu ac Populo Namnetenſi 1620. Patribus Oratorij commiſſum eſt Collegium Vniuerſitatis ſeu Academiæ: in quo omnes diſciplinæ traduntur, & honores ſeu gradus, vt vocant, Academici emeritis conferuntur. *Nantes.*

Rupellenſi in vrbe Sacerdotes Oratorij, iam inde à primis ipſius Congregationis initijs, medios inter hȩreticos, ſtationem habuerunt, magno Religionis orthodoxæ commodo. Vrbe à Ludouico XIII. Francorum Rege anno 1628. ſubactâ, omnes illius loci parochiales eccleſiȩ ijſdem Sacerdotibus, petente eodem Rege, per diploma Pontificium ſunt commiſſæ. *Rochelle.*

Trecenſi in vrbe Congregatio duas habet manſiones: vnam in Xenodochio S. Spiritus, quod inde, anno 1618. iuſſu Senatus ac Populi, commodiorem in locum eſt tranſlatum. Altera manſio, à priore ſeiuncta, *Collegium* nuncupatur, in quo diſciplinæ omnes liberales, cum Philoſophia, magno ciuium aliorumque fructu & applauſu explicantur. *Troyes en Champagne.*

Diuione in Ducatu Burgundiæ, Patres Oratorij, ab anno 1629. ex indulto Apoſtolico, domicilium habent in Prioratu amplo, qui *Sanctus locus*, aliàs Vallis collium ſeu caulium vulgò dicitur. *Dijon.*

Lingonenſis Domus à Sebaſtiano Zametio Epiſcopo ac Duce Lingonenſi, itemque Pari Franciæ anno 1620. inſtituta. Idem porrò Antiſtes Seminarij ſui Epiſcopalis regimen Patribus commiſit, qui Parochos plurimos, à ſe eruditos & quàm maximè idoneos, inde in meſſem Dominicam ſolent emittere. *Langres.*

Belnenſis vrbis Domus & Collegium ſeu Gymnaſium litterarium. *Beaulne.*

Cabilonenſis Domus, in Ducatu Burgundiæ. *Chaalon.*

Matiſconenſis Domus, titulo Seminarij Noſtræ Dominæ de bono ſucceſſu, eſt ſecunda à Domo Pariſienſi, anno 1617. incohata. Religioſiſſimè in ea adſeruatur peruetuſta Deiparæ imago, quam à S. Luca depictam tradunt; eſtque à multis retrò ſeculis in ſumma apud Clerum ac populum veneratione. *Maſcon.*

Lugdunenſis Domus, in Monte S. Sebaſtiani, loco amœniſſimo & ampliſſimo, circa annum 1616. ædificari cœpta eſt. In ea ſtudium Theologicum eximiè florere ſolet, vt & Cleri inſtitutio. *Lion.*

Claromontenſis Domus apud Aruernos, in meditullio vrbis circa annum 1618. incohata. *Clermont en Auvergne.*

Effiatenſis Domus à Marchione de *Effiat*, Mareſcallo regni Franciæ, 1629. magnificè extructa, & amplis reditibus locupletata. *Effiat.*

Riomenſis Domus, & Collegium à Senatu Populoque 1625. dotatum, ad ſcholas in eo litterarias aperiendas. *Riom.*

Montbriſonenſis Domus, ex contractu cum Magiſtratu 1622. inito, ſuppeditat Profeſſores ad Philoſophiam & artes humaniores in Collegio ſeu Athenæo publico explanandas. *Montbriſon.*

Domus Noſtræ Dominæ Gratiarum, in prouincia Foreſienſi (vulgò *Forez*) à pio ac nobili Sacerdote huius Congregationis inſtituta, & fundis aucta. Is locus multa piorum fidelium frequentia indies honoratur. *Noſtre Dame des Graces en Forez.*

Reſidentia in Mala-Valle à pio ac probo viro in auitis ædibus fundata eſt; naſcente Congregatione Oratorij in Gallia. *Mal-val.*

Reſidentia S. Georgij, in opido eiuſdem nominis apud Delphinates, ſub idem tempus eſt incohata. *S. Ioirs.*

Toloſana Domus iuxta eccleſiam parochialem B. Virginis dealbatæ (vernaculè *la d' Albade*) anno 1619. collocata. Patres habent curam illius parochiæ, & Collegij XII. Sacerdotum ibidem fundati. *Toloſe.*

Frontiniacenſis Domus à paruis initijs, populi deuotione, excreuit in amplas ædes; & templum nunc habet ſplendidum à fundamentis extructum. *Frontignan.*

Iouiſienſem ſeu Ioyeuſianam Domum Catharina de Ioyeuſe, Ducis Guiſij coniux, excitauit, iuxta teſtamentum atque extremam voluntatem patrui ſui Franciſci Cardinalis de Ioyeuſe, ſuperiore pagina laudati. *Ioyeuſe.*

Domum Burgiſandeolenſem, in opido S. Andeoli, à pio huius Congregationis Sacerdote incohatam, nobiliſſima matrona, Ducis de *Vantadour* vxor, 1630. annuo cenſu auxit. *S. Bourg. Andeol.*

Domus B. Virginis de Gratia, in Prouincia & diœceſi Foroiulienſi, viuente S. Philippo Nerio fundata, & ſuprà pag. 96. à nobis memorata, ſub eodem inſtituto perſeuerans, cum Congregatione Oratorij Ieſu Chriſti nunc eſt vnita: & ex priuilegio ſecundum à Pariſienſi Domo locum in comitijs obtinet. Templum eſt miraculis, cultuque Virginis

famoſiſſimum. *Noſtre Dame de Grace en Provence.*

Domus ſeu Reſidentia Noſtræ Dominæ Alpienſis eſt Domui iam laudatæ annexa. *Aups.*

Domum Aquenſem, ſub inſtituto S. Philippi Nerij à ſe fundari cœptam, R.P. Ioannes Baptiſta Romillonius, eximiæ vir ſanctitatis, Congregationi Oratorij Ieſu Chriſti, anno 1618. cum alijs XII. Domibus ſeu colonijs, adiunxit. De alijs Domibus, titulo Congregationis Doctrinæ Chriſtianę in Gallia à Cęſare Buſio inſtitutis, & ad Somaſcenos tranſlatis, ſuprà pag. 75. & 77. egimus. *Aix en Provence.*

Domus Pertuiſenſis ab Aquenſi ſuam inſtitutionem ac diſciplinam hauſit, habetque templum nunc elegans. *Pertuis.*

Maſſilienſis Domus iuxta ſacellum S. Marthę (quod illius vrbis eſt antiquiſſimum) primitùs eſt collocata; pòſt à Senatu ac Populo adaucta publico Gymnaſio; in quo antiqua Maſſilienſium in Gręcis ac Latinis litteris tractandis gloria reuireſcit. *Marſeille.*

Arelatenſem Domum Gaſpar Laurentius Archiepiſcopus Arelatenſis inſtituit; primis Patribus ex Aquenſi Domo euocatis: quibus & principale vrbis templum parochiale, reliquijs S. Annæ famoſum, attribuit. *Arles.*

Tolonenſe Collegium directioni Congregationis anno 1624. eſt commiſſum. *Tholon en Provence.*

Domus & ſacellum Noſtrę Dominę Spei Oliolenſis, concurſu populi celebre, Congregationi 1633. attributum. *Olioules.*

Domus Ciuitatenſis, in Ciuitatula, opido ob portum ad mare mediterraneum celebri. *La Ciotat.*

Domus Graſſenſis, ab illius vrbis Prætore anno 1630. liberaliter fundata. *Graſſe ville Epiſcopale,* 5. leucis ab Antipoli.

Domus Pezenacenſis, in Occitania inferiore, cum Collegio litterario. *Pezenas.*

Domus Condomienſis in Aquitania, cum Gymnaſio publico, in quo humaniores diſciplinę, cum Philoſophia, iuuentuti traduntur. *Condom ville Epiſcopale.*

Domus Lemouicenſis, à pio ex Congregatione Presbytero circa annum 1614. dotata. *Limoges.*

Lucionenſe Seminarium, ab Armando de Richelieu Epiſcopo Lucionenſi, pòſt Cardinale, inſtitutum. *Luçon.*

Domus ſeu Reſidentia Romana, iuxta eccleſiam S. Ludouici Francorum Regis; Pontificio & Regio diplomatibus firmata. *Roma.*

Nanceiana Domus, in primaria Lotharingię vrbe, circa annũ 1619. ab Henrico II. Lotharingię Duce fundata: cui annexum eſt onus parochię B. Marię Virginis in vrbe veteri. *Nancy en Lorrame.*

Domus Leuxenſis, à Falſcburgi Principe liberaliter fundata. *Leuxin.*

Reſidentia Madritenſis in Hiſpania, cum cura Xenodochij, ex fundatione Abbatis Galli, ibidem circa annum 1620. defuncti. *Madrid.*

## Cap. IV. *Aliæ Domus Congregationis Oratorij in Belgio & Comitatu Burgundiæ, proximè imitantes inſtitutum S. Philippi Nerij, & ſpeciatim deſtinatæ in adiutorium Epiſcoporum.*

DOmus Poligniacenſis, in Comitatu Burgundię & diœceſi Veſontionẽſi, anno 1616. cœpta eſt ab aliquot pijs illius prouincię Sacerdotibus; probante Alberto Auſtriaco Belgarum ac Burgundionum Principe, per diploma. *Poligny.*

Domus Salinenſis, in Comitatu & diœceſi eiſdem, 1624. ab eiſdem Sacerdotibus incohata;

cohata; probante Sereniſſima Hiſpaniarum Infante Iſabella Clara Eugenia, Alberti vidua. *Salms.*

Domus Louanienſis, in Brabantia, anno 1626. fundari cœpta eſt ab Ill.mo ac Reu.mo D. Iacobo Boonen, Archiepiſcopo Mechlinienſi; approbante eadem Sereniſſima Infante. Fundum idem Illuſtriſſimus D. Antiſtes de ſuo emit, & dotem liberaliter adiecit, Patres in baſilica vrbis primaria, D. Petro ſacra, fidelium confeſſiones excipiunt, & ſtatas conciones ad ciues ac ſtudioſos habent. *Louain. Louen.*

Domus Mechlinienſis anno 1629. incohata, adiuuante eodem Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo, qui, vnà cum Canonicis metropolitanę eccleſię ac Magiſtratu, Collegium ſeu Gymnaſium publicum Patribus commiſit, ad iuuentutem vndique confluentem bonis moribus ac litteris imbuendam. In baſilica metropolitana (cuius ipſi gremio ſunt incorporati) varijs functionibus ſacris intendunt. *Malines. Mechelen.*

Reſidentia Bruxellenſis, in vrbe regia, anno 1633. incohata. *Bruſſelles.*

Reſidentia Tamiſienſis, in Waſia, quattuor *Presbyterorum* Oratorij; quos Perilluſtris ac Reuerendiſſimus D. Antonius Triest, Epiſcopus Gandenſis, ex diœceſi Mechlinienſi anno 1630. eò euocauit, & ſua liberalitate iuuit. Dicti Presbyteri paſtoralia ibi munia, ſummo animarum fructu, exercent. *Tamiſe, Tempſt* ad Scaldim fl.

Domus Malbodienſis, vel, vt Sigebertus & alij ſcriptores vetuſti appellant, Melbodienſis, in Hannonia ad fl. Sabim, anno circiter 1629. inſtitui cœpta eſt, munificentiâ Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi *Franciſci vander Burch*, Archiepiſcopi ac Ducis Cameracenſis. Paſtoralem curam opidi illius Vrbanus VIII. Congregationi Oratorij in perpetuum tabulis bullatis commiſit; Abbatiſſa & Canonicarum nobilium collegio conſentientibus, & Philippo IV. Hiſp. Rege per diploma approbante. *Maubeuge.*

Domus Montenſis, in Hannoniæ metropoli, à tribus Sacerdotibus, natura fratribus, genere nobilibus, fundata ac dotata. *Mons en Hainau. Berghen Henegouw.*

Domum Sonegienſem, in Hannonia, Andreas Treuiſius Italus Caſalenſis, Alberti & Iſabellæ Belgij Principum Doctor Medicus, ſuo ære emit, & Congregationi donauit, Vrbano VIII. Papa confirmante. *Soigny.*

## *Caput V. Elenchus Regularum & Conſtitutionum aſceticarum.*

QVid ſit Regula, & in quo à Conſtitutionibus differat, ſuprà pag. 64. diximus. Ceterùm vt in Orientali Eccleſia primis ſæculis, ante receptam *S. Baſilij* Regulam, ſic & in Occidentali ſeu Latina Eccleſia, ante receptã *S. Benedicti* Regulam, ſingulorum fermè cœnobiorum propriæ fuerunt Regulæ, hoc eſt, Leges & Statuta viuendi. Iſtiuſmodi porrò Regularum Collectiones variæ, à varijs adornatæ, exſtant manuſcriptæ in multis Galliæ, Belgij, Germaniæ & Hiſpaniæ bibliothecis, hoc titulo, REGVLÆ PATRVM. Ex ijs nonnullæ Louanij anno 1574. primùm, poſteà plures in vnum velut corpus à Proſpero Stellartio, Eremita Auguſtiniano, collectæ, Duaci 1626. typis ſunt editæ. His quænam addi poſſint non ſolùm Monachorum, ſed & Canonicorum ac Clericorum, aliarumque religioſarum familiarum Regulæ ac Conſtitutiones, hoc capite breuiter docebo; in gratiam eorum qui antiquitatis eccleſiaſticę ſtudioſi exiſtunt.

S. PACHOMIVS, Tabennenſis in Ægypto Abbas, ſcripſit Regulam monachorum, à S. Hieronymo Latinè redditam; quę ad calcem operum Caſſiani exſtat, in editione Romana, Lugdunenſi & Atrebatenſi. Regulæ eiuſdem breuiarium à Palladio in Hiſt. Lauſiaca recitatur. Floruit an. 340. eſtque Martyrologio Romano adſcriptus 14. Maij. Eiuſdem Pachomij alia non pauca aſcetica exſtant manuſcripta apud Treueros in monaſterio Benedictinorum ad S. Maximinum, & Coloniæ Agrippinæ in cœnobio Canonicorum regularium ad Corpus Chriſti, in codicibus manu exaratis, & hoc titulo prænotatis, REGVLA PATRVM.

*Ori-*

*Orſiſius* ſeu Orſieſius, S. Pachomij & Theodori collega, compoſuit librum diuino conditum ſale, totiuſque monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum; vt Gennadius lib. de Script. eccleſ. cap. 9. loquitur. Is exſtat in Bibliotheca veterum Patrum.

Vita & Regula beati *Poſthumij*, aliàs Paſthumij, Patris quinque millium monachorum, legitur lib. 1. in Vitis Patrum. Multa ibi ſunt affinia cum S. Pachomio eiuſque Regula. Et cùm Pachomius à Gennadio alijſque dicatur *Pachumius*, ſuſpicari fortaſſe liceat, *Paſthumium* pro *Pachumio* irrepſiſſe.

*S. Macarius* ſenior, monachus Ægyptius, S. Antonij diſcipulus (teſte Gennadio cap. 10.) ſcripſit ad iuniores profeſſionis ſuæ epiſtolam vnam, ſiue Regulam: quæ ſic incipit; *Milites ergò Chriſti*. Exſtat manuſcripta Brugis in Collegio Soc. Ieſu, inter reliquias Bibliotecæ Pamelianæ.

*Serapionis*, *Macarij, Paphnutij*, alterius *Macarij*, & aliorum XXXIV. Regula, edita eſt ex codice Affligemienſi, ad calcem operum Caſſiani, typis Plantinianis, ſtudio Henrici Cuyckij, pòſt Epiſcopi Ruræmondenſis. Serapion cognomento Scholaſticus, S. Antonio carus, Thmueos in Ægypto Epiſcopus à S. Athanaſio ordinatus, ab Hieronymo & Honorio inter Scriptores eccleſiaſticos laudatus, in Martyrologio Rom. 21. Martij habetur. De duobus Macarijs Baronius in Notis ad dictum Martyrologium 2. Ian. fusè agit.

Regulæ à SS. Patribus prolatæ: *Cùm reſideremus in vnum*, conſtant capitibus 7.

Aliæ Regulæ SS. Patrum: *Cùm in nomine Domini*, capitibus 14. conſtant. Omnes hæ Regulæ exſtant manuſcriptæ Treueris ad S. Maximinum, & Coloniæ in cœnobio Corporis Chriſti.

*Orientalis* Regula (cuius hoc eſt initium, *Vt neque ſeniores*) pro magna parte eſt deſumpta ex Regula S. Pachomij. Exſtat ms. dictis locis.

S. BASILIVS ſcripſit Regulas monachorum fuſiores & breuiores; Conſtitutiones item monaſticas, & Canones pœnitentiales pro emendatione Canonicorum & Canonicarum delinquentium. Quæ omnia leguntur in Græco-Latina operum S. Baſilij editione, Lutetiæ duobus tomis 1618. publicata. Exſtat item Regula S. Baſilij, interprete & paraphraſte Rufino presbytero Aquileienſi, Louanij 1574. cum alijs Regulis & alibi edita. Baſilius an. 379. & Rufinus 410. obierunt.

*Conſenſoria* monachorum: *Communi definitione decreuimus apud nos*. Exſtat manuſcripta Treueris ad S. Maximinum.

*Lerinenſis* ſeu Lirinenſis monaſterij fundamenta circa an. 375. iecit S. Honoratus, pòſt anno 426. Epiſcopus Arelatenſis creatus; qui & Regulam ſuis dedit: vt conſtat ex Concilio III. Arelatenſi circa annum 455. habito: *Regula quæ à fundatore ipſius monaſterij dudum conſtituta eſt*. Meminit eiuſdem Regulę Sidonius l. 3. epiſt. 17. *Fluctuantem Regulam fratrum deſtitutorum ſecundùm Statuta Lirinenſiũ Patrum vel Grininicenſium feſtinus informa*. Sed hactenus nemo vetuſtam illam S. Honorati Regulam, quod equidem ſciam, in lucem protulit. Lerinus porrò inſula maris Gallici, è regione Antipolis, hodie *S. Honorati* dicitur. Griniacenſe ſeu Griniacenſe monaſterium in Viennenſi diœceſi olim ſitum fuit.

*S. Hieronymus* an. 420. obijt. Ex eius ſcriptis Lupus Olmedius Hiſpanus anno 1433. Regulam concinnauit, à Martino V. Papa approbatam; quam Congregatio monachorum S. Hieronymi in Italia ſeruat. Hiſpanica autem Hieronymianorum Congregatio, à Petro Fernando circa annum 1374. inſtituta, adeoque Italicâ antiquior, viuit ex præſcripto Regulæ S. Auguſtini: vt Petrus Vega in Chronicis Hieronymianorum 1539. Hiſpanicè editis lib. 1. cap. 9. narrat.

S. AVGVSTINVS Epiſc. Hipponenſis ętatis 76. Chriſti 430. deceſſit. *Ex tribus Regulis, quæ habentur tom. 1. operum, ſola tertia certò eſt S. Auguſtini: ſed feminis data, non viris: habetur enim in epiſt. 109. Reliquæ duæ non videntur Auguſtini.* Ita Bellarminus lib. de Script. eccleſiaſticis. Ceterùm in ſcriptis S. Auguſtini (vt & S. Hieronymi) plurima ſunt, quæ ad Clericorum, Monachorum & Monialium inſtructionem ſpectant.

*Ioannes* Ep. Hieroſolymitanus vixit tẽporibus S. Hieronymi. Adſcribitur Ioanni liber

ad

ad Capraſiū de inſtitutione monachi, qui in Bibliotheca Patrum & alibi extat. Sed is videtur ſcriptus ab aliquo longè poſteriore. Sic Bellarminus lib. de Script. eccleſ. & Baronius ad an. 444. cenſent. Carmelitæ tamen, in his Thomas à Ieſu Bratienſis & Petrus Waſtelius, priorem ſententiam adſtruere conantur.

*Vigilius* Abbas ſcripſit Regulam, quam Trithemius c. 5. de Proprietate monachorum, & Poſſeuinus citant. Floruit anno 420.

*Ioannes* Caſſianus, Scytha, presbyter Maſſilienſis, ſcripſit Latinè ad S. Honoratum, primò Abbatem Lerinenſem, pòſt Epiſcopum Arelatenſem, *Collationes Patrum, Inſtituta cœnobiorum*, & alia; cum Notis Henrici Cucquij Antuerpiæ, Achillis Statij Romæ & Lugduni itemque Alardi Gazæi 1628. Atrebati edita. Caſſiani Regula citatur à Gregor. Turonenſi l. 10. c. 9. à *Benedicto* in Concordia Regularum ſub Lud. Pio ſcripta, & ab alijs ſcriptoribus antiquis: quam exiſtimo ex eius operibus collectam fuiſſe. Vixit an. 440.

*Iulianus Pomerius* ſcripſit inter alia librum de Virginibus inſtituendis: teſte Iſidoro cap. 25. de Viris illuſtribus. Idem auctor fuit librorum III. de Vita contemplatiua, qui Proſpero Aquitano falsò attribuuntur; vt amicus noſter Iacobus Sirmondus in ſuis Notis ad Concilium Aquiſgranenſe anno 816. celebratum, primus obſeruauit. Ceterùm Iulianus hic Pomerius fuit alius à Iuliano Epiſcopo Toletano, & anno 450. floruit. Idem Sirmondus in Notis ad Ennodium lib. 2. epiſt. 6. Pomerium vocat Arelatenſem, ex teſtimonio Cypriani in vita S. Cæſarij: cui conſonat Iſidorus Hiſpalenſis, Gallum faciens. Gennadio autem Pomerius eſt Afer ſiue Maurus.

*S. Patricius* Hiberniæ Apoſtolus monachis ſuis Regulam, quam tenerent, condidit: vt Probus in eius vita narrat. Obijt anno 494.

*Iurenſes* monachi in diœceſi Lugdunenſi olim videntur habuiſſe Regulam ex varijs Regulis compoſitam: vt ex vetuſto ſcriptore vitæ S. Eugendi, apud Surium 1. Ian. datur intelligi: *Non omnino illa quæ quondam S. Baſilius vel ea quæ Lirinenſium Patres, ſanctuſque Pachomius ſiue illa quæ recentior edidit Caſſianus, calcemus; ſed ea quotidie lectitantes, iſta pro qualitate loci, potius quàm Orientalium, perficere affectemus.* Ex Iurenſibus porrò monaſterijs (videntur enim plura fuiſſe) ſupereſt in Comitatu Burgundiæ cœnobium S. Claudij, quod nunc eſt Benedictinorum.

*S. Cæſarius*, ex monacho Lerinenſi Epiſcopus Arelatenſis, ſcripſit Regulam ad monachos, & alteram ad ſanctimoniales: quæ in Bibliotheca veterum Patrum & apud Stellartium extant. Cæſarij Regula à Gregorio Turonenſi lib. 9. cap. 39. 40. & 41. memoratur, itemque à Venantio Fortunato l. 5. cap. 2. *Atque adſcita ſibi ſeruetur ab vrbe Geneſi Regula Cæſarij Præſulis alma pij.* Anno 506. Cæſarius Concilio Agathenſi, & anno 524. Arelatenſi IV. interfuit, & vſque ad an. 538. vixit. Chronicon noſtrum Belgicum locis citatis, & ad an. 576. conſule, itemque Martyrologium Rom. 27. Aug.

Sub *Adeodati* patris Regula vixiſſe Romanum monachum, S. Benedicti nutritorem, narrat S. Gregorius lib. 2. Dialog.

S. BENEDICTVS, monachorum in Occidente patriarcha, anno 539. in Domino obdormiuit. Regulam ſcripſit omnibus notam.

*Eugippius*, Abbas Lucullanenſis prope Neapolim Campaniæ, ſcripſit Regulam monachis conſiſtentibus in monaſterio S. Seuerini: vt Iſidorus lib. de Viris illuſt. tradit. S. Seuerini Abbatis & Noricorum Apoſtoli diſcipulus fuit Eugippius, cuius & vitam ſcripſit. Baronium in geſtis anni 488. & in Notis ad Martyrologium Rom. 8. Ianuarij lege. Ad Eugippium extat epiſtola Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, ipſumque ſibi viſum narrat Caſſiodorus lib. 1. Diuinarum Inſtitutionum.

*S. Aurelianus* Ep. Arelatenſis an. 546. in vrbe Arelatenſi cœnobium monialium fundauit, eiſque Regulam præſcripſit: *Sanctis & in Chriſto venerandis ſororibus.* Struxit & cœnobium monachis, eiſque ſimiliter Regulam dedit: *Sanctis & venerandis in Chriſto fratribus.* Anno V. poſt Conſulatum Baſilij, hoc eſt, an. Chriſti 546. fundauit monaſterium in ciuitate Arelatenſi, iubente Hildeberto Francorum Rege. Eodem anno Vigilius Papa vices ſuas in Gallia Aureliano delegauit. Martyrologium Rom. 16. Iunij conſule.

GREGORIVS Magnus Papa anno 590.creatus,ad ſuperos 604.tranſijt.Is,poſt Gregorium Nazianzenum, ſcripſit ad Ioannem Ep. Rauennenſem librum Regulæ ſeu Curæ paſtoralis, quem vt omnibus Epiſcopis ac Paſtoribus vtiliſſimum Amphilochius Patriarcha Alexandrinus Græcè reddidit. De hoc libro ſic ipſe Gregorius l. 4. ep. 46. ad Leandrum Ep. Hiſpalenſem : *Librum Regulæ paſtoralis, quem in Epiſcopatus mei exordio ſcripſi, ſanctitati tuæ transmitto.*

*Donatus* ſcripſit Regulam ad Virgines, quam ex vetuſto codice ſuo deſcriptam Canonici regulares Coloniâ ad me tranſmiſerunt. Eius hoc eſt initium : *Sanctis & à me plurimùm venerandis Chriſti virginibus, Guatſtruda omnique ſua Congregationi, in cœnobio à famula Dei Flauia conſtructo, Donatus.*

*S. Leander* Ep. Hiſpalenſis circa an. 600. deceſſit. Regulam ſcripſit ad Florentinam ſororem ſuam, à Chriſtophoro Brouvvero editam in libro cui titulus, Sidera illuſtrium & ſanctorum Virorum Germaniæ. *Martyrol. Rom.* 27. *Februarij.*

*S. Iſidorus* Ep. Hiſpalenſis, S. Leandri frater & in Epiſcopatu ſucceſſor, circa an. 636. obijt : ſcripſitque Regulam ad cœnobitas Honorianenſes, quæ cum operibus eius typis exſtat edita. Scripſit item Sententiam de Regulis denotarum: *Nemo ad eas vadat viſitandas.* Martyrol. Rom. 4. Aprilis.

*Martinus* Dumienſis in Gallęcia primùm Abbas, pòſt Bracarenſis in Luſitania Epiſcopus, *monaſteria varia condidit, & copioſa præcepta piæ inſtitutionis compoſuit* : vt Iſidorus & Honorius lib. de Script. eccleſ. loquuntur. Floruit an. 540.

*Ioannes* Ep. Gerundenſis, origine Gothus, Scalabi in Luſitania natus, à Leonigildo Rege Ariano Barcinonem relegatus, monaſterium nomine Biclao condidit, & *monachis cunctiſque Deum timentibus Regulam ſatis neceſſariam ſcripſit* : vt Iſidorus cap. 44. de Viris illuſtribus tradit. Floruit an. 600.

S. COLVMBANVS primùm in Hibernia, pòſt Luxouij in Burgundia, ac demùm Bobij in Italia Abbas ſcripſit Regulam & Canones pœnitentiales. Regula in Florilegio Sanctorum Hiberniæ exſtat : cui præfigenda eſt Præfatio à Stengelio edita in Corona lucida. Ceterùm ab Agreſtini calumnijs Regula S. Columbani per S. Euſtaſium Abbatem Luxouienſem fortiter defenſa, & in Concilio Matiſconenſi an. 627. approbata fuit: vt Ionas monachus in vita S. Euſtaſij narrat.

*Solitariorum* Regula capitibus 67. vel 68. conſtat : ſed hactenus non comperi, à quo vel quando ſit ſcripta : *Dilectiſſimo patri in Chriſto atque æquiuoco meo.*

*Tarnantenſis* monaſterij Regula capitibus 23. conſtat : *Si quis fidei ardore ſuccenſus.*

S. FRVCTVOSVS, Bracarenſis in Luſitania Epiſcopus circa an. 664. viuere deſijt. Scripſit Regulas duas, quarũ vna 20. altera 25. capitibus conſtat. Apud Caniſiũ, to. 5. Antiquæ lectionis, extat fragmentum, quod in Regulis iam nominatis non reperitur. Antonius Iepeſius in Chronico ſuo Benedictino, Hieraci ſeu Iraci an. 1609. Hiſpanicè edito to. 1. pag. 212. dicit ſe in monaſterio de Arlanza repperiſſe codicem charactere Gothico conſcriptum, hoc titulo; *Regula Patrum* : in quo Regulæ S. Macarij, S. Pachomij, S. Baſilij, S. Benedicti, S. Fructuoſi, S. Iſidori & Caſſiani continentur. Idem Iepeſius pag. 150. multa recitat ex capite 1. & 2. Regulæ S. Fructuoſi, quæ in Treuerenſi & Colonienſi exemplaribus manuſcriptis etiam leguntur.

*Valerij* Regula citatur à Benedicto Abbate in Concordia Regularum nondum typis edita. Fortaſſe is fuit, qui S. Fructuoſo in Epiſcopatu Bracarenſi ſucceſſit, eiuſque vitam conſcripſit. Sandouallium in Fundationibus veterum monaſteriorum Hiſpaniæ, Madriti editis, conſule.

*Agaunenſis* monaſterij Regula, hortatu Marini Lerinenſis Abbatis digeſta, à ſcriptore vitæ S. Eugendi, memoratur ab eodem apud Surium 1. Ian.

*Ferreoli* vel Ferioli Epiſcopi Regula, capp. 38. vel 39. conſtans citatur à Benedicto Abbate in Concordia Regularum : *Domino ſancto & ceterorum comparatione ſanctiſſimo.*

*Pauli* & *Stephani* Regula capitibus 41. conſtat, & citatur in dicta Concordia Regularum. *Caput* 1. *De timore Dei. In primis exhortamur.*

Gr-

*Godegrandus*,Hermanno Contracto Rodgangus,Trithemio Rugrandus,Epiſc.Metenſis,ſanctę religionis Regulam ſcripſit ſuis clericis : teſte Sigeberto lib. de Viris illuſtribus. Vixit anno 765.

Regula *Magiſtri* conſtat capitibus 95.vel 96. & citatur in Concordia Regularum ; *O homo primò tibi qui legis*.

*Regula* cuiuſdam ad Virgines, capitibus 24. conſtans, à Trithemio lib. de Proprietate monachorum c. 5. citatur : *Abbatiſſa monaſterij qualis eſſe debeat*.

Forma inſtitutionis Canonicorum , itemque Forma inſtitutionis Sanctimonialium canonicè viuentium,iuſſu Cõcilij Aquiſgranenſis,anno 816.ab Amalario ſcriptæ, exſtant to.2.Conciliorum Galliæ, & ſeorſim à nobis Antuerpiæ 1638.cum Notis editæ.

*Capitula* LXXX.monachis ordine S.Benedicti, in Aquiſgranenſi Abbatum Franciæ conuentu, anno 817. præſcripta,exſtant to.2.Conciliorum Galliæ.

BENEDICTVS Abbas tempore Lud. Pij floruit,& Concordiam Regularum ſcripſit, quæ ms. exſtat in monaſterio Floriacenſi; breui typis Lutetiæ cum Notis edenda ab Hugone Menardo Benedictino.

*Theodorus Studites* anno 826. obijt, & ſcripſit Inſtitutiones monaſticas: de quibus vide Baronium ad annum 798.

*S. Dunſtani* Epiſcopi Cantuarienſis Regula,& S. *Lanfranci* itidem Epiſcopi Cantuarienſis Statuta, exſtant apud Clementem Reinerum lib.de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia. Dunſtanus anno 988.& Anſelmus 1109.obierunt.

Regula vitæ eremiticæ,ſeu Conſtitutiones ordinis *Camaldulenſis*,à S.Romualdo 967. fundati, Latinè 1520. Florentiæ typis ſunt editæ : quas Siluanus Ractius, eiuſdem inſtituti monachus, Italicè reddidit, & 1575.eadem in vrbe excudendas curauit.Hiſtoriam huius ſui ordinis ſcripſit Auguſtinus Fortunius.Ceterùm S. Romualdus anno 1027. deceſſit.Eſt & alia familia Camaldulenſis,à Paulo Iuſtiniano monacho Veneto 1520. inſtituta, quę *Montis Coronæ* dicitur.

*Petrus Damiani*,S.R.E.Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis,deſcripſit Regulas & viuendi inſtituta, quibus eremitę Fontis Auellani,ſeu Fontis Coryli, ſuo tempore vtebantur: exſtantque in tomo 3.operum ipſius,Romæ 1615.edito.Obiit Fauentię an. 1080. Auellanum verò monaſterium in monte Apennino prope vrbem Calienſem, Ducatus Vrbinenſis,Landolphus monachus Benedictinus 1008. condidit : vt quidam ſcribunt. Alij ipſum Petrum Damiani faciunt iſtius monaſterij conditorem. Auellanum porrò cœnobium nunc poſſident monachi Camaldulenſes.

*Cartuſienſis* ordinis Statuta typis an.1582.exſtant edita Pariſijs. Petrus Sutor lib.2. de vita Cartuſ.t.3.c.3.tradit viuendi formam Cartuſianorum, à S. Brunone ex doctrina religioſa S.Hieronymi, Caſſiani & S.Benedicti collectam, ore atque vſu traditam diſcipulis,ſine ſcripto multis annis in Ordine obſeruatam ; tandem in Statutis, quibus pro Regula vtuntur,deſcriptam, fuiſſe probatam, cum toto eorum viuendi modo,ab Alexandro III.& Cęleſtino III.Pontificibus. Obijt S. Bruno an.1101.

*Ciſtercienſium* primæ Conſtitutiones,ſiue Charta Caritatis,à Stephano Ciſtertij Abbate tertio an.1107.edita : item Inſtituta ſeu Regulę *Conuerſorum* ord. Ciſtertienſis,à S. Bernardo ſcriptæ, exſtant in Menologio Ciſtertienſi,typis Plantinianis edito, 5. Iulij. Vidi & Conſtitutiones antiquas ord. Ciſtertienſis,circa annum 1490. Diuione in Burgundia excuſas.Liber *Vſuum* ſeu *Rituum* ord.Ciſtertienſis, anno 1188. ſcriptus (vt ex cap. 124. colligi datur) cum Vſibus Conuerſorum eiuſdem ordinis,exſtat iam olim editus ; eſtq́; anno 1628. Pariſijs recuſus.Occurrunt in eo nonnulla, quæ iuxta ritus ſacros hodie in Eccleſia vſitatos videntur mutanda.

*Præmonſtratenſis* ordinis, à S.Norberto 1120.conditi,Statuta Louanij 1631.poſtremò ſunt publicata.

Fratribus ordinis *Cruciferorum*, à Gerardo, Priore monaſterij S. Mariæ apud Bononienſes,inſtitutis vel potiùs reformatis,Alexander III.Papa 1164.viuendi Regulã dedit: vt Onuphrius Panvinius in Chronico Eccleſ.tradit. Bullarij tomum 1.conſule.

*Trinitariorum* Regula, ab Innocentio III. anno 1197. condita, exſtat apud Stellartium, & in tomo 1. Bullarij.

Conſtitutiones Fratrum & Sororum ordinis PRÆDICATORVM, cum Declarationibus ex Actis Capitulorum generalium: item Regula Fratrum & Sororum tertij ordinis Prædicatorum ſiue de Pœnitentia: item liber de Inſtructione Officialium ord. Prædicatorum ab Humberto V. Magiſtro generali conſcriptus. Hæc omnia auctoritate Seraphini Sicci, eiuſdem ordinis Magiſtri generalis, Romæ & Barcinone 1620. & poſteà Pariſijs 1625. ſunt edita. Obijt S. Dominicus 1221.

S. FRANCISCI Aſſiſiatis Regulæ tres, cum Regula monialium Clariſſarum, exſtant inter opuſcula eiuſdem S. Franciſci, ſtudio Thomæ Waddingi, 1623. à Moreto edita.

*Eremitarum* ordinis S. Auguſtini Conſtitutiones, in comitijs generalibus 1625. Romæ habitis approbatas, anno 1627. Colonienſes typis euulgarunt, vnà cum Additionibus & Notis Hieronymi Romani, eiuſdem ordinis Generalis. Hic Ordo varias ſub ſe complectitur Congregationes reformatas; vt Lombardiæ, Ilicetanam, Carbonaræ, Peruſinam, Genuenſem, Montis Ortoni, Apuliæ ſiue Dulceti, Calabriæ, Dalmatiæ, Coloritanam & Diſcalceatorum: quæ ſingulę ſuas habent Conſtitutiones.

*Carmelitarum* Regula primitiua ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano, tunc in vrbe Aconenſi ſeu Ptolemaide agente, tradita, ab Innocentio IV. eſt confirmata.

Conſtitutiones Fratrum ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, decreto Capituli generalis, Romæ an. 1625. habiti, recognitæ, ibidem auctoritate Gregorij Canalij Veneti anno 1626. ſunt typis publicatæ. Habet hic Ordo ſub ſe Congregationem Mantuanam reformatam, à Ioanne Soretho Generali anno 1450. incohatam; quæ & ſuis legibus regitur.

Conſtitutiones Fratrum diſcalceatorum Congregationis S. ELIÆ, ordinis Carmelitani, cum Declarationibus, ab Vrbano VIII. an. 1631. approbatæ, ex officina Plantiniana 1632. prodierunt. Habet & ſuas Conſtitutiones altera Congregatio Carmelitarum diſcalceatorum, quam vulgò *Hiſpanicam* vocant.

*S. Tereſia*, ordinis Carmelitani reformatrix, ſuis monialibus diſcalceatis præſcripſit Conſtitutiones, quæ varijs linguis editę leguntur.

Regulæ Fratrum & Sororum ordinis *Minimorum*, ſeu S. Franciſci Paulani, exſtant apud Stellartium, & ſeorſim editæ Pariſijs 1631. cum Correctorio, & alijs rebus eò ſpectantibus.

*Templariorum* militum, ſiue Pauperum commilitonum Chriſti Templique Salomonici Regula, à S. Bernardo an. 1128. ſcripta, hortatu Balduini Regis Hieroſolymitani & Patrum Concilij Trecenſis.

*Auiſij* ordinis militaris, apud Luſitanos clari, Regula, à Ioanne Cirita Abbate Tharoucano anno 1162. ſcripta.

Conſtitutiones militum *S. Michaëlis* ſiue de *Ala*, ab Alfonſo I. Luſitanorum Rege anno 1166. editæ.

Conſtitutiones militum *Calatranæ*, à Guidone Ciſtertienſi Abbate, pòſt S.R.E. Cardinale; 1187. publicatæ.

Inſtitutio militum *Chriſti* in Luſitania 1319. per Ioannem XXII. Papam, petente Dionyſio Rege Portugaliæ, facta.

Inſtitutio militum *S. Mauritij*, ſub Ciſtertienſium legibus, per Gregorium XIII. petente Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, anno 1572. facta. Hæc omnia habentur in Priuilegijs ord. Ciſtertienſis, Antuerpiæ à Moreto 1630. editis. Dictam S. Mauritij militiam, anno eodem, cum vetuſto S. Lazari ordine militari idem Pontifex vniuit. Diplomata to. 2. Bullarij & ſeorſim Auguſtæ Taurinorum exſtant, edita.

Ordinis militaris *S. Iacobi* Statuta, Hiſpano ſermone ſcripta, explanauit M. Iſla, Philippo II. Regi à Sacris, & Plantinianis typis euulgauit. Regulæ ſeu Conſtitutiones primę militum S. Iacobi, iuſſu Alexandri III. Papæ, ſunt ſcriptę ab Alberto S.R.E. Cardinale;

nale ; & recitantur in eiſdem Pontificis diplomate, quod anno 1175. ſcriptum extat in Statutis huius Ordinis, Madriti editis.

Conſtitutiones militũ *Monteſia* ab Aluaro de Luria & Mendoza, milite Calatrauenſi, ſunt conſcriptæ ; hortante Iacobo II. Aragoniæ & Valentiæ Rege.

*Militia Chriſtiana* anno 1518. incohata Olmutij in Morauia, ſub patrocinio B. Mariæ Virginis immaculatæ & S. Franciſci, anno 1624. & 1625. ab Vrbano VIII. fuit approbata; petentibus Ferdinando Mantuanorum & Carolo Niuernenſium Ducibus, & Adolfo Comite de Althan. Statuta huius Ordinis militaris, ab eodem Pontifice approbata, habentur tomo 4. Bullarij, Romæ ab Angelo Maria Cherubino, Laërtij filio, 1632. editi.

Ordo militum *Teutonicorum* ſeu Marianorum, anno 1190. in obſidione vrbis Aconenſis, cepit exordium. Quo anno, die 19. Nouembris, in caſtris, ab Henrico Rege, Frederico Sueviæ Duce, Frederici I. Imperat. filio, aliiſque proceribus creati ſunt XL. Equites primi Mariani, & ex ijs primus Magiſter ordinis Walpotius: vt ex ms. codice Vltraiectino eiuſdem ordinis didici. Statuta extant in Hiſtoria illius Militiæ, à Ioanne Euſtachio Sollio Cancellario, breui, vt ſperamus, edenda.

Conſtitutiones Ordinis S. Mauritij, iuſſu Ducis Sabaudiæ, anno 1604. Auguſtæ Taurinorum fuerunt excuſæ.

Extant & Statuta Ordinum Alcantaræ in Hiſpania, Chriſti in Luſitania, S. Stephani in Etruria, & S. Mariæ de Monte Carmelo in Gallia.

Hoſpitalariorũ S. Ioannis Hieroſolymitani (quos hodie Melitenſes vocamus) Statuta antiqua, à Raimundo Podienſi dictata, extant hoc titulo : *Statuta ordinis Domus Hoſpitalis Hieruſalem* : poſt ſæpius aucta. Boſium in Hiſtoria eiuſdem ordinis conſule.

Ordines & Congregationes variæ monachorum ſub Regula *S. Benedicti* militantes; Cluniacenſis, Vallis-Vmbroſæ, Grandimontenſis, Fontis Ebraldi, Guilielmitarum Vercellenſium ſeu Montis Virginis, Guilielmitarum à S. Guilielmo Aquitaniæ Duce inſtitutorum, Humiliatorum, Floriacenſis, Siluestrinorum, Vallis caulium, Cæleſtinorum, Oliuetanorum, & Gilbertinorum in Anglia.

*Cluniacenſia* Statuta, à Petro Venerabili (qui 1157. obijt) ſcripta, extant in Bibliotheca veterum Patrum, & alia tom. 1. Bullarij.

Ordo viſitandi monaſteria *Fontis Ebraldi* (qui 1119. inſtitutus fuit) & alia huc ſpectantia, ſunt edita Andegani 1586.

*Guilielmitarum* à S. Guilielmo Duce fundatorum Conſtitutiones, iuſſu Innocentij IV. Papæ, 1251. in Capitulo generali ſcriptæ, ab eodem poſteà approbatę fuerunt. Eas, cum Libro Ordinis, citat Sampſon Haios in vita eiuſdem S. Guilielmi, Lutetiæ 1588. excuſa; quem dicit à Gregorio IX. Papa Diuis adſcriptum fuiſſe.

*Caleſtinorum* in Italia Conſtitutiones, an. 1629. à Clemente VIII. approbatæ, Romæ anno eodem typis ſunt vulgatæ. S. Cęleſtinus obijt 1296.

*Benedictinorum* monachorum, nigra veſte vtentium, Congregationes reformatę: Caſinenſis, Burſfeldenſis, Caſalis Benedicti, Valliſoletana, Luſitana, Lotharingica ſeu SS. Vitoni & Hidulphi, Francica S. Mauri, Anglicana, & Belgica.

*Ciſtertienſium* reformatę Congregationes : Hiſpanica, Luſitana, Aragonica, Italica & Fulienſis in Gallia ; monialium verò, Toletana & Valliſoletana. De Toletana in Menologio Ciſt. 8. Octob. agitur. Valliſoletanę Conſtitutiones Recollectarum, auctoritate Clementis VIII. ſunt editę.

*Caſinenſis* Congregationis Conſtitutiones in Italia & Pariſijs 1603. ſunt excuſę. *Burſfeldenſes* item ſunt editę Pariſijs.

*Canonicorum regularium* Congregationes : Lateranenſis, S. Rufi, Frigdionaria, S. Saluatoris Bononienſis, S. Marci Mantuana, S. Georgij in Alga, S. Spiritus Venetijs, S. Victoris Pariſienſis, Aroaſienſis apud Belgas, Windeſimenſis apud Germanos inferiores & ſuperiores, S. Crucis Conimbricenſis apud Luſitanos, S. Petri de Monte Corbulo, & alię.

Congregationi *S. Victoris Pariſienſis* ſcriptę ſunt Conſtitutiones, ex vi Priuilegij Apoſtolici 1200. conceſſi, quæ mss. extant Luteti ę ad S. Victorem.

*Windeſimenſis* Capituli Conſtitutiones typis ſunt publicatæ Vltraiecti 1553.

Ordines & Congregationes variæ ſub Regula *S. Auguſtini* viuentes; Hoſpitalariorum S. Antonij in Francia, S. Mariæ de Portu prope Rauennam, S. Sepulcri Dominici, S. Spiritus in Saxia, Fratrum de pœnitentia, S. Pauli eremitæ in Hungaria, Luſitania & Hiſpania; Mercenariorũ mitigatorum & diſcalceatorum, Vallis Scholarium, Seruitarum, Crucigerorum in Italia & Belgio, Caritatis B. Marię in Francia, Cellitarum in Belgio, Ieſuatorum S. Hieronymi, S. Birgittæ, Eremitarum S. Hieronymi in Hiſpania, S. Ambroſij ad Nemus, Fratrum Apoſtolicorum, Hoſpitalariorum B. Ioannis de Deo, Angelicarum virginum in Inſubria, monialium Viſitationis B. Mariæ, & Vrſulinarum.

*Portuenſium* Conſtitutionum ſcriptor fuit non Petrus Damiani, ſed Petrus Honeſtus, qui 1119. obijt: vt Pennottus in Hiſtoria Canonicorum regularium lib. 2. prodit. Ceterùm Abbatia S. Mariæ de Portu, prope Rauennam, hodie poſſidetur à Canonicis regularibus Congregationis Lateranenſis.

Ordo *Vallis Scholarium*, à quinque famoſis Theologiæ in Academia Pariſienſi Profeſſoribus, anno 1201. in diœceſi Lingonenſi fundatus, præter Regulam S. Auguſtini, habuit ab initio Conſtitutiones à Guilielmo Epiſcopo Lingonenſi anno 1205. confirmatas, poſteà verò ſæpiùs auctas, & à Pontificibus Romanis approbatas. Anno 1629. in Capitulo generali, per Abbatem Generalem ac Definitores dictæ Conſtitutiones fuerunt recognitæ, & Remis in Campania anno eodem typis publicatæ. *Choppinus lib. 1. Monaſt. tit. 3.*

Ordo S. Ambroſij ad Nemus, à tribus viris nobilibus Mediolanenſibus inſtitutus, habet Conſtitutiones à S. Carolo Borromæo reformatas: vt in huius vita Io. Petrus Iuſſanus lib. 5. cap. 11. narrat. Seruant vſum ac ritum Ambroſianum in ſacris peragendis; ex decreto Gregorij XI. anno 1375.

Fratrum *Caritatis* B. Mariæ Statuta 1548. in ordinem redegit Ioannes Siliceus. *Choppinus* lib. 1. *Monaſt. tit.* 2.

*Ieſuatorum*, à Ioanne Columbino circa an. 1355. inſtitutorum, Conſtitutiones à Patribus Capituli generalis 1426. ſcriptis mandatæ ſunt.

*S. Birgittæ* Regula exſtat in libro Reuelationum eiuſdem. Obijt 1373. à Bonifacio IX. Diuis adſcripta.

Statuta reformatæ Congregationis B. Mariæ *de Mercede* & Redemptione captiuorum, 1604. à Clemente VIII. approbata, exſtant tom. 3. Bullarij, 1617. Romę edito.

Regula Fratrum & Sororum tertij ordinis Seruorum B. Mariæ, 1424. à Martino V. comprobata, exſtat ibidem. De Mercenariorum in Hiſpania, Seruorum B. Mariæ in Italia & Gallia, Eremitarum S. Pauli in Hungaria & Hiſpania, & aliarum familiarũ, ſub ſignis S. Auguſtini militantium, inſtitutis plura ſcire qui volet, Origines noſtras Monaſticas Coloniæ Agrippinæ 1620. euulgatas conſulat.

*Eremitarum* diſcalceatorum S. Auguſtini tres ſunt Congregationes; *Italica*, *Hiſpanica*, & *Gallica*. Italicæ Congregationis Conſtitutiones Gregorius XV. 1620. confirmauit: exſtantque to. 4. Bullarij. Cum iſta Siculam Congregationem idem Gregorius vniuit, & Prouincias IV. in Italia 1626. ac totidem in Hiſpania conſtituit. Gallicam Congregationem 1628. Vrbanus VIII. confirmauit. Hiſpanicæ Congregationi ſubſunt Eremitę diſcalceati Indię occidentalis.

*Ioannes Dei*, 1603. Beatis ab Vrbano VIII. adſcriptus, Ordinem Hoſpitalariorum, ad curandos pauperes infirmos, inſtituit: qui Ordo duas Congregationes, *Hiſpanicam* & *Italicam*, comprehendit. Singulę ſuas habent Conſtitutiones. Italica Congregatio, pręter Italos, complectitur etiam Hoſpitalarios Gallię, Germanię ac Polonię. Hiſpanicam 1572. Pius V. & Italicam 1617. Paulus V. Papa, vtramque ſub Regula S. Auguſtini, confirmarunt: *tom. 2. & 3. Bullarij.*

Congregatio Eremitarum *B. Petri Piſani*, ſub patrocinio S. Hieronymi, nomen & originem traxit 1380. à Petro Gambacurta Piſano. Pius V. eos tribus votis ſolemnibus, ſub Regula S. Auguſtini, obſtrinxit. Conſtitutiones Romę 1514. correctę, eodem anno

Viter-

Viterbij ſunt editę, idiomate Italico.

Congregationem monachorum regularis obſeruantiæ, ord. Ciſtercienſis, *Martinus Vargas* in regnis Caſtellæ,Legionis, Gallęciæ & Aſturię inſtituit, & Martinus V. 1425. approbauit. *Menologium Ciſt.6.Aprilis.*

Congregatio monachorum eiuſdem ordinis in regnis *Aragoniæ, Valentiæ, Maiorica, Nauarra,*& in *Catalonia,*1616.à Paulo V.inſtituta:*to.3.Bullarij.*

Congregatio *S.Bernardi* in Tuſcia & Lombardia 1497.ab Alexandro VI.ſtabilita.*Fulienſium* Congregationem in Gallia 1586. Sixtus V. approbauit:*to.2.Bullarij.* Conſtitutiones eiuſdem Clemens VIII.ſuo diplomate an.1595.firmauit.

Congregatio reformata monachorum Montis Virginis, 1611.inſtituta,gaudet Conſtitutionibus eodem anno à Paulo V. laudatis:*to.3.Bullarij.*

CLERICI regulares:Theatini 1524.Somaſcę ſeu S.Maioli Papienſis 1528.Barnabitę ſeu S.Pauli 1533.Societatis Ieſu 1540.Clerici B.Marię 1574.Clerici Minores 1581. Miniſtrantes infirmis 1591.Clerici Scholarum piarum 1617.

*Theatinorum* Conſtitutiones Ant.Caracciolus exemplis ab antiquitate petitis illuſtrauit,& Romę 1610.edidit.ſuprà pag.23.Statuta quędam Congregationis *S.Pauli* 1615. à Paulo V.edita exſtant *to.3.Bullarij.* Vide ſuprà pag.52.

Quibus Regulis ac Conſtitutionibus SOCIETAS IESV regatur,Iul. Nigronus in commentarijs ſuis parte 1.diſtinctè explicat: ſuprà pag.64. Conſtitutiones 1582.à Gregorio XIII. approbatę,ſeorſim anno 1583. Romæ exſtant editę, & to.2.Bullarij.

Congregatio Clericorum pauperum *Matris Dei Scholarum piarum,* à Ioanne Calaſantio incohata,habet Conſtitutiones à Gregorio XV.anno 1622. probatas: ſuprà 113.

FRATRES vitæ communis,à Gerardo Magno circa an. 1376. inſtituti, habent Statuta ab Henrico Dieſt in ſcriptum redacta, quæ ad manus meas nondum peruenerunt. Statuta Dauentrienſis Domus ſuprà pag. 3.reperies.

Congregatio Oratorij à *S. Philippo Nerio* inſtituta, per Gregorium XIII. 1575. confirmata,habet Conſtitutiones 1612.à Paulo V.probatas: Romæ ſeorſim & in to.4.Bullarij excuſas: ſuprà pag.79. & 95.

Congregationem Oratorij IESV CHRISTI,in Francia à *Petro Berullio*,pòſt S.R.E. Cardinale conditam,Paulus V. 1515.probauit:*to.4.Bullarij,* & ſuprà pag.117.

Congregatio *Oblatorum S.Ambroſij,*à S.Carolo Borromæo 1578. incohata, & Inſtitutionibus 1581.ab eodem firmata fuit:quæ exſtant ſeorſim 1581.Mediolani excuſæ,& in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis 1603. Brixiæ editis: ſuprà pag.98.& 101.

Congregationem Clericorum *B.Mariæ* Clemens VIII.1595.& 1604.approbauit, vnà cum Conſtitutionibus:*to.3.Bullarij*: vt Sixtus V.*Clericorum Minorum*: ſuprà pag. 106.

Ordo S.BASILII duas ſub ſe Congregationes reformatas, *Italicam & Hiſpanicam,*continet. Hiſpanicæ Conſtitutiones 1603.à Clemente editæ,exſtant to.3.Bullarij.

Regulæ monialium, ex Concilijs præſertim prouincialibus Mediolanenſibus, iuſſu *S.Caroli Borromæi* compilatæ,exſtant in Actis Mediolan.Eccleſiæ part.2.

Regula ordinis *B.Mariæ Virginis* (vulgò Annuntiatarum monialium) 1517.à Leone X.approbata,exſtat Antuerpiæ 1608.à me edita.

Annuntiatarum *Cæleſtinarum* ſeu *Genuenſium*,à Maria Victoria (quę 1617.obijt)fundatarum, Conſtitutiones Paulus V. 1613.approbauit.

Monialium,titulo *Viſitationis B.Mariæ,* Congregatio à Franciſco Saleſio Ep.Genuenſi, 1610.incohata,& legibus inſtructa fuit. Sic & *Vrſulinis* virginibus,Romæ, Burdigalę & alibi circa annum 1606. inſtitutis, Ioannes Iacobus monachus Fulienſis Conſtitutiones dedit.*Menolog.Ciſt.9.Oct.*

Ordo militaris *B.Mariæ de monte Carmelo* in Gallia 1608.à Paulo V. inſtitutus, habet Conſtitutiones ab eodem approbatas,*to.4.Bullarij.*

FF. Minores CAPVCINI (quorum ſtrictiorem viuendi modum 1528.Clemens VII. & alij deinde Pontifices approbarunt) iam inde ab initio Conſtitutiones habuerunt,quas apud Zachariam Bouerium in Hiſtoria illius familię reperies.

Gre-

GREGORIVS XII. varias & fuſas Conſtitutiones edidit pro bono regimine *Benedictinorum, Ciſtertienſium* & *Canonicorum regularium.* Idem Conſtitutiones Canonicorum *S. Georgij in Alga* prope Venetias 1406. confirmauit. INNOCENTIVS IV. Capitula ſeu Statuta ord. Vallis Vmbroſæ 1484. approbauit. IVLIVS II. Ordinationes pro bono regimine ord. Montis Oliueti, item Congregationis S. Bernardi in Italia, & Statuta Ordinis Camaldulenſis publicauit. Quæ omnia tomo 1. Bullarij Romæ excuſi recitantur.

Conſtitutiones pro *Fratribus Minoribus*, IV. Kalendas Septembris, anno 1336. à Benedicto XII. Papa editę (quarum hoc eſt initium: *Benedictus Redemptor noſter factor cælorum*) non exſtant in dicto Bullario. Eas tamen Antuerpiæ apud Capucinos vidi, iam olim in Italia, ſine nomine loci & anni, in 4. excuſas.

Regula S. Benedicti, cum Declarationibus & Conſtitutionibus, prout ſeruantur in Congregatione *SS. Vitoni & Hidulphi*, anno 1625. Tulli in Lotharingia eſt typis publicata.

Ordo, qualiter Fratribus in monaſterio religioſè ac ſtudioſè conuerſari, ac Domino militare oportet, Duaci 1611. cum Regula S. Benedicti & alibi excuſus, vulgò adſcribitur eidem S. Benedicto; videtur tamen poſterioris æui fœtus.

In Elnonenſi S. Amandi monaſterio, diœceſis Tornacenſis, varij adſeruantur codices manuſcripti ad hoc noſtrum argumentum illuſtrandum pertinentes. In codice notato num. 182. lit. R. habentur Statuta monachorum, hoc initio: *In primis ordinamus, quòd omnes monachi conſtituti infra Abbatiam, ſecundùm Regulã S. Benedicti, mox vt audierint ſignum, relictis agendis omnibus (cùm nihil ſit operi diuino præponendum) ad eccleſiam cum debita maturitate feſtinent.* Hæc Statuta conſtant 19. folijs in quarto.

Codex notatus num. 179. lit. E. in 4. continet Aggregationes, ex dictis Sanctorum, ſuper Regulis Sacerdotum: quarum hoc eſt exordium: *Excerptiones eccleſiaſticarum Regularum partim ex epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum partim ex tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex Inſtitutionibus Catholicorum Regum. in vno corpore ordinari curaui; vt qui ſcripta illa, ex quibus iſta excerpta ſunt, ad manum habere non poterit, hinc ſaltem accipiat quod ad commodum cauſſæ ſuæ valere proſpexerit.*

Codex perantiquus, notatus num 212. lit. H. præter vitas veterum Sanctorum monachorum, recitat multa ad Regularum collectiones ſpectantia. Textus ſic incipit: *Multi quidem multos varioſque libros diuerſis temporibus huic ſæculo reliquerunt, quorum alij ſuperna inſpiratione & gratia diuinitùs data ædificarunt & munierunt eos qui fideli propoſito inſtituta eiuſque veſtigia Saluatoris ſequuntur.* Collectoris nomen hoc in iſto, nec in duobus prioribus codicibus exprimitur.

In codice 186. continetur liber ex dictis SS. Patrum defloratus ſuper Regula S. Benedicti: *Dominus dicit in Euangelio: Cùm voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Hic codex ſcriptus eſt temporibus Hugbaldi, monachi Elnonenſis ſeu Amandini, qui anno 880. claruit, teſte Trithemio lib. De Scriptoribus eccleſiaſticis.

Codex 117. lit. P. præfert hunc titulum; *Speculum monachorum*, & ſic orditur: *Si quis emendatioris vitæ deſiderio tactus.*

Codex 181. lit. I. complectitur Regulas ſiue Inſtitutiones Hugonis: quarum hoc eſt initium; *Quia fratres, largiente Domino, de vana conuerſatione huius ſæculi conuerſi eſtis.*

Congregationis *Burſfeldenſis*, anno 1420. incobatæ, Conſtitutiones ac Decreta, quatuor voluminibus mss. cõprehenſa, exſtant in hoc ipſo S. Amandi cœnobio. Quę omnia, ex vetuſtis codicibus Abbatiæ S. Germani Pariſienſis, 1610. Lutetiæ typis ſunt edita, hoc titulo: Ceremoniale Benedictinum, ſiue, Antiquæ & germanæ pietatis Benedictini Theſaurus abſconditus, à Patribus Congregationis Burſfeldenſis ante annos centum compilatus, & numquam hactenus typis excuſus.

Congregatio ſtrictioris reformationis in ordine Præmonſtratenſi, à *Seruatio de Lairuelz* Belga, Hannonio, Muſſipontani apud Lotharingos cœnobij S. Mariæ maioris Abbate, primùm incohata, poſteà per Lotharingiam ac Franciam propagata, habet quæ-

dam

dam Statuta & Ordinationes, anno 1617. à Paulo V. & & anno 1621. à Gregorio XV. bullatis diplomatibus confirmatas.

*Camaldulenſium* ſodalium tres veluti ſpecies ſunt: prima eaque antiquiſſima, eorum qui Camalduli more eremitico viuunt; ſecunda monachorum qui in varijs Italiæ opidis ac locis habitant; tertia eſt Eremitarum Montis Coronę in Tuſcia. De Camaldulenſium veterũ Conſtitutionibus ſuprà pag. 131. diximus. Congregationi Montis Coronę Paulus Iuſtinianus ſuprà memoratus Conſtitutiones numero ſex & viginti circa annum 1522. ſcripſit & anno 1528. deceſſit.

---

# AVCTARIVM.

## *Caput 1. Excerpta ex Conſtitutionibus Congregationis Somaſcæ & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.*

OPere hoc noſtro ſub prælo ſudante, atque ad finem vergente, Conſtitutiones Somaſcæ & Doctrinæ Chriſtianæ in regno Franciæ, ab Vrbano VIII. anno 1626. approbatæ, & typis Romæ eodem anno editę, ad manus meas, beneficio Cl. V. Antonij Olgiati, Ambroſianæ apud Mediolanenſes Bibliothecæ Præfecti, peruenerunt. Quarum quidem Cõſtitutionum hic eſt titulus: *Conſtitutiones Clericorum regularium S. Maioli Papiæ, Congregationis Somaſcæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia quatuor libris diſtincta.* Ex ijs quæ ſubnectuntur fideliter deprompſimus, ad ea illuſtranda quę ſuprà pag. 71. diximus.

Clericorum regularium humilem hanc Congregationem Pater *Hieronymus Æmilianus*, beatæ recordationis, patricius Venetus in Dei Eccleſia, diuino afflante Numine, ſtrenuam, quę Chriſto militaret, veluti aciem anno 1528. excitauit. Huic à *Somaſcha* exiguo pago, vbi primùm illius fundamenta ſunt iacta, nomen eſt. Eum autem finem ardentiſſimus ille noſter parens ſibi & ſuis commilitonibus propoſitum eſſe voluit, vt contemplatricem vitam ſimul cum actuoſa coniungerent; maximè verò proximo adiuuando, quibuſcunque pijs diuinæ caritatis operibus poſſent, feruentiſſimè cõſulerent; quo factum, vt priſcis illis temporibus *operum & pauperum Patres* primùm noſtri vulgò nuncuparentur. Itaque varia eadem que in Eccleſia Dei admodum vtilia caritatis ac pietatis plena inſtituta, ſummorum Pontificum aſſenſu, à prima vſque origine Congregatio noſtra complexa eſt. Nam ante omnia eorum, qui fortunis deſtituti, & parentibus orbati *Orphani* appellantur, curã, in ijs quæ ad animæ & corporis cultũ pertinent, ſuſcipit. Deinde adoleſcentes & in Seminarijs, ex ſacri Concilij Tridentini decreto inſtitutis, & in publicis gymnaſijs, & in Nobilium collegijs vel Academijs, ad Chriſtianam pietatem, doctrinarumque ſtudia excolere nititur. Poſtremò, ne dum alienæ ſaluti inuigilat, propriæ indormire videatur, clauſtralia Collegia veluti propria domicilia, tamquam palæſtras habet, vbi milites ſui, ab omni rerum & negotiorum cura vacui & liberi, pijs vitæ contemplatricis exercitationibus vni Deo addicti, ad ſpiritualem ſeſe pugnam & profectum inſtruunt, maioraque in dies ad proximorum etiam ſalutem ſubſidia deriuare contendunt. Nam & Sacramentis miniſtrandis, & Miſſarum ſacrificijs celebrandis, & ſacris concionibus lectionibuſque habendis, atque alijs pijs operibus exercendis, Chriſtiano populo prodeſſe conatur; præcipuè verò fidelibus in doctrina Chriſtiana erudiendis. Ideoque Paulus V. Pontifex Maximus cum Congregatione noſtra vnionem fecit Patrum quos vocant *Doctrinæ Chriſtianæ* in Gallia, vbi peculiari ſtudio Patres illi publicè in vijs, plateis, eccleſijs in hoc opus incũbunt; vt nos quoq; in Italia præſtamus.

Omnium autem, ex quibus vniuerſa hęc Congregatio conſtat, duę ſunt quaſi claſſes,
altera Sacerdotum & Clericorum, altera eorum qui ad ſeruiendum deſtinati, Laici pro-
feſſi vel Aggregati nuncupantur. Ceterùm communis eſt noſtra viuendi ratio, & eiuſ-
modi vt non difficile ſit cuilibet eam complecti: quippe quę nec magnam auſteritatem,
neque ſeueriorem corporis afflictationem inducat, ſed per veram humilitatem, perfectam
obedientiam, abnegationem, abdicationem quę propriæ voluntatis, in via Chriſti Domi-
ni noſtros ad brauium perfectionis perducat. Quamobrem cùm primùm fructuoſis
Chriſti Domini Eccleſiæ incremẽtis cœpit adoleſcere, eam ſanctiſſimus Pontifex Pius V.
1568. anno ſalutis noſtræ 1568. VIII. Idus Decembris in Religionum numerum cooprauit,
1569. & ſub Regula S. Auguſtini repoſuit. Tum ſequens annus, nuncupatis à primis noſtris
Patribus ſolemni ritu profeſſionis votis, III. Kalendas Maij, S. Petro martyri & Catha-
rinæ Senenſi ſacro die, Deo bonorum omnium auctore feliciter annuente, felix ac fau-
ſtus natalis illuxit Congregationi. Quam ceteri deinde ſummi Pontifices auctoritate ſua
comprobarunt & confirmarunt, nec non gratijs ac priuilegijs quamplurimis exor-
narunt.

Congregationis huius regimen eſt penes Præpoſitum generalem, Vicarium genera-
lem, Conſiliarios duos, Viſitatores tres, Prouincialem Galliæ, Definitores quattuor,
Procuratorem generalem & Cancellarium: qui omnes in Capitulo generali, ſingulis
Præpoſitus generalis. triennijs haberi ſolito, à maiore Vocalium parte creantur. Præpoſitus generalis in litteris
hoc vtitur titulo: *Præpoſitus generalis Clericorum regularium Congregationis Somaſchæ & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.* Eius ſigillo inciſa eſt effigies Ieſu Chriſti, crucem geſtantis,
cũ hac inſcriptione: *Onus meum leue*: quod Cõgregationis Somaſcenæ eſt ſtemma. Pro-
Prouincialis Galliæ. uincialis Galliæ ſigillum habet, cui ſimiliter impreſſa eſt Ieſu Chriſti, crucem geſtantis,
effigies, & circumſcripta hæc verba: *Prouincialis Galliæ Congregationis Somaſchæ & Do-
ctrinæ Chriſtianæ.* In Congregatione noſtra, præcipua & omnium maxima dignitas eſt
Præpoſiti generalis; ſecunda Vicarij generalis; tertia Conſiliariorum; quarta Viſitato-
rum; quinta Prouincialis Gallię; ſexta Definitorum; ſeptima Procuratoris generalis;
octaua Cancellarij; nona Superiorum localium, ſiue Prępoſiti ſint ſiue Rectores; no-
uiſſima Vicepræpoſitorum. Præter has nullam aliam volumus in noſtra Congregatione
exiſtimari aut appellari dignitatem.

In omnibus noſtris plenis Collegijs vſque ad pręſentem annum fundatis (plena Col-
legia vocamus ea, in quibus duodecim plerumque reſident, quicumque illi ſint, ſiue ſoli
Profeſſi, ſiue cum Profeſſis Nouitij, Aggregati, Hoſpites) & in ijs eccleſijs, quæ à Defi-
Chorus. nitorio ad hoc ipſum nominabuntur; totum diuinũ Officium in Choro quotidie reci-
tetur. Inter pſallendum ſi errorem aliquem cõmiſerit Clericus, terram ore deoſculetur;
ſi Sacerdos, manu. Oſtia chori, ſi per ea facilis eſſe poterit ſæcularibus in chorum aditus,
clauſa ſint, dum noſtri Officia diuina perſoluent. In noſtris eccleſijs, Miſſæ, Officiavè
diuina, & preces quæcumque fuerint decantandę, ex antiquiſſima Eccleſiæ Romanæ
conſuetudine, ſtabili ſiue firmo, vt vocant, cantu concinantur. Modus canendi vbique
vnius modi ſit, & cum religioſa grauitate congruens. Quotidie bis à noſtris omnibus
Oratio mentalis. orationi mentali incumbatur; manè poſt Primam in choro, veſperi tam hieme quàm
æſtate, poſt Salutationis Angelicæ ſignum. Ad vtramque etiam Laici aderunt, & hac in
re Superiorum conſcientias oneramus. Vtraque ad ſemihoram prorogetur.

Conſuetudinem alicubi iam inuectam, vt diebus Dominicis & feſtis Confeſſarij, cum
ſuperpelliceo & ſtola, pœnitentium confeſſiones audiant, cupimus ab omnibus in noſtris
eccleſijs admitti & obſeruari. Qui in noſtris parochialibus eccleſijs curam animarum
exercebunt, à Definitorio deputentur, vel à Capitulo conuentuali, per vota ſecreta, &
præuio examine, per duos ex Patribus coram Superiore faciẽdo; & munus non ſubeant,
Parochi. niſi ſeruatis ſeruandis. Parochi noſtri, viri ſint religioſa grauitate & probitate conſpicui,
zelo ſalutis animarum feruentes, & caritatis pietatiſque operibus deditι. Hi ægrotos, ma-
Catechеſis xime pauperes, frequenti viſitatione recreabunt, & ad Sacramenta ſuſcipienda opportunè
diſponent. Doctrinæ Chriſtianæ miniſterium ſummo affectu complectentur & promo-
uebunt,

uebunt, ſinguliſque feſtis diebus rudes pueros & puellas, intra parochiæ fines commorantes, dato per æs campanum ſigno, conuocabunt ad eccleſiam, & rudimentis catholicæ Fidei curabunt imbuendos. Eorumdem conatum & induſtriam alij Superioris iuſſu adiuuabunt.

Concionatores noſtri magnum præbeant vbique probitatis & humilitatis exemplũ, & nullum vmquam animi impatientis indicium: neminem dictis, ſiue priuatim ſiue publicè, multò minùs actione qualiencmque, contra ſe ipſos & contra Religionem noſtram irritando prouocent; aduerſa omnia, etiam iniurias, æquiſſimo animo patiantur, & quidquid ſiue proſperi ſiue aduerſi eis acciderit, protinus ad Dei gloriam & laudem referant.

Singulis quartis ferijs carnium vſu noſtri omnes vbique locorum abſtinebunt; niſi pridie præceſſerit, vel poſtridie ſequatur aliqua de præcepto, aut ex magna deuotione Vigilia, ad iudicium Superioris. Diem feſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti, & diem feſtum S. Auguſtini præcedat nobis Vigilia cum ieiunio. Feria ſexta cuiuſque hebdomadę ieiunium à noſtris ſeruetur, niſi pridie fuerit ieiunatum, aut poſtridie ſit ieiunandum. Eadem ſexta feria, ſtatim poſt mentalem orationem, quam numquam prætermitti volumus, vel alio ad Superioris arbitrium magis oportuno tempore, dabitur ſignum: quo conuocati noſtri omnes in eumdem locum conuenient, ibidemq́ue flexis genibus, ad renouandam cruciatuum Ieſu Chriſti Domini noſtri memoriam, & pro commiſſorum expiatione peccatorum, carnem ſuam vnuſquiſque moderatè, diſcretè, loris cædendo, affliget. Quod recte D. Bernardo genus quoddam martyrij eſt, ac proinde Diuinæ Maieſtati acceptiſſimum, ſi pia intentione & ſancta executione ad ipſius honorem dirigatur. Superior, vel alius de illius mandato, adhortatiunculam præfabitur, aut lectionem breuiuſculam præleget, ad excitandum in audientium animis pium deuotionis affectum. Exinde ipſe incipiet, & alij proſequentur antiphonam, *Apprehendite diſciplinam*; pſalmum quinquageſimum, *Miſerere mei Deus*; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, *Salue Regina, Chriſtus factus eſt.* & Orationem, *Reſpice quæſumus Domine* &c. Qua finita ſignum detur à Superiore ceſſandi à verberatione: & ſtatim idem iubeat quinquies *Pater noſter* & *Aue Maria* deuotè dici, pro neceſſitatibus Eccleſiæ, noſtrę Congregationis, benefactorum, & pro animabus fratrum noſtrorum in Purgatorio exiſtentibus, iiſq́ue abſolutis dicat, *Vnigenitus Dei Filius nos benedicere & adiuuare dignetur*; ceteri reſpondeant, *Amen*; & ad propria cubicula cum ſilentio ſe recipiant. Ad carnis domandæ & macerandæ ſtudium, propoſita huius vtilitate & neceſſitate, quo, vt Caſſianus ait, extirpantur & marceſcunt vitia vniuerſa, ſubditos ſæpè Superior adhortetur: ipſe ſuo iiſdem pręeat exemplo.

Omni tẽpore Patres & Fratres noſtri ſint amantiſſimi obſeruantiſſimiq́; taciturnitatis, quã ſancti Patres cultum iuſtitiæ, virtutum omnium parentem, cuſtodẽ, nutricem vocant; loquacitatis cõtrà inimiciſſimi, vt quę mentem & à Deo & ab ipſomet, qui loquitur, diſiungat, atque ad vana ac nocitura diuertat. Collocutiones autem ſemper fiant ſubmiſſa voce, & inter Religioſos religioſę ſint; nimirum de Scripturis ſacris, de cuſtodia diſciplinę, de rebus ad mores & ad conſcientiam ſpectantibus, de virtutibus, de forma & facili ratione earumdem acquirendarum, de præclaris aliorum dictis & factis, de litterarum ſtudijs, de concionibus & huiuſmodi: modò nugæ & inutiles narrationes fugiantur; quæ inter ſæculares nugæ ſunt (vt ait S. Bernardus) ſed in ore ſacerdotum & religioſorum hominum blaſphemiæ. Illud prætereà intelligant noſtri, non multùm referre, dum cum ſæcularibus colloquuntur, quàm elegans ſit religioſi hominis ſermo, ſed quàm grauis, circumſpectus atque vtilis. Quamobrem omnes ſeriò contendant, vt externos, præcipuè ſæculares, quibuſcum verſabuntur, arrepta prudenter occaſione, ad pietatem & ad reliquas Chriſtiano homine dignas virtutes ſuis adhortationibus inflamment.

Circa modeſtiam, cùm ea ſit, quę actiones hominis externas componit, & motibus eius honeſtum quemdam tribuit decorem, conabuntur omnes ita ſe gerere, vt vitæ genus, quod profitentur, regula quædam & profeſſio modeſtiæ eſſe cognoſcatur. Eſt enim

externa modeſtia index compoſitionis internæ. Quocirca ita ſe corpore componere ſtudebunt, vt capite & vultu honeſti, oculis verecundi, inceſſu graues videantur; voce moderata vtentur; nec incompoſitè amicti, neć nimis culti incedent; omnes, præſertim ſeniores & Superiores, reuerenter alloquentur. Geſtus orationis comes ſit grauis & compus, vt inde externi maximam in animo interiùs eſſe compoſitionem con ijciant. Modeſtię verè comites perpetuæ ſint benignitas & humilitas; ita vt & eamdem vultus & animi ſemper pręferre compoſitionem adnitantur. Superior porrò conabitur conſequi ſuadendo, vt ſinguli ex ſubditis ſemel ſaltem quotannis ſe ipſos colligant & ab omni alia cura ſeiuncti per dies decem, vel quindecim ſpiritualibus exercitijs toti & ex animo vacent.

Recollectio.

Cùm noſtri Superiores, pro Domorum varietate, non eodem titulo ſeu nomine nuncupētur, pręſenti Conſtitutione declaramus, eos qui noſtris pręſunt Collegijs, in quibus quatuor ad minimum Sacerdotes cum Superiore incluſiuè commorari ſolent, *Præpoſitos*; qui Academias, Seminaria, Loca Orphanorum, & Domos moderantur in quibus pueri educantur, dicendos eſſe *Rectores*. Prępoſitorum Viceſuperiores, *Vicepræpoſiti*, & qui Rectorum vices gerunt, *Prorectores* appellabuntur.

Tituli.

Cùm in vnaquaque ex noſtris Domibus amplam & locupletem peroptemus Bibliothecam exſtrui & inſtrui, illius cura Sacerdoti vel ſaltem Diacono demandetur, viro docto, probo & ſolerti. Is verò apud ſe habeat librorum Indicem, qui in Bibliotheca exſtiterint: in eoque ita erunt alphabetico ordine deſcripta nomina auctorum & quo quiſque loco, claſſe, pluteo locatus ſit, vt facilè occurrant illos inquirenti.

Bibliotheca.

In ſingulis Prouincijs vel plura erunt deſtinanda *Probationis* loca (vel ſaltem vnus) à Profeſſorum conclauibus ſeu domibus omnino ſeiuncta; ſolitaria, quę hoſpitum commeantium frequentia non perturbentur; in quibus ſolùm religioſum tirocinium probè & nauiter inſtituatur: & ea præſertim ſeligentur, quæ ſalubritate cœli, aëriſque temperie, & amœnitate maximè commendentur. Laicis tamen quodlibet Collegium pro domo probationis concedatur.

Cùm ex duobus quaſi fontibus, pietatis & eruditionis, religioſi viri omnis felicitas petenda ſit, Præpoſiti in primis Generalis partes erunt, & Viſitatorum, ſtudiorum rationibus omni ſolicitudine proſpicere. In hoc igitur ſedulò incumbent, vt noſtros adoleſcentes ad ſtudia promoueant, eoſque diſciplinis & bonis artibus erudiendos curent, qui præſtanti ſunt ingenio, quique præclarā ſpem iniecerint non leues ſeſe in ſcientijs progreſſus facturos. Certa quadam, vtili & accommodata methodo in diſciplinis & ſciētijs profitendis vtentur pręceptores noſtri; & adoleſcentes, niſi priùs optima in minoribus fundamēta iecerint, & integrum biennium Rhetoricæ ſtuduerint, ad altiores & ſeueriores diſciplinas aditum ſciant omnem ipſis eſſe occluſum. Præceptores illi ad informandos tam noſtros quàm externos adoleſcentes, deligentur, qui ſint vitæ integritate ſpectabiles, moribus graues & pij; doctrina verò, & ea quam profeſſuri ſunt diſciplina apprimè eruditi. Ceterùm noſtri liberalibus diſciplinis, ſacris præſertim litteris, & Canonibus excolantur, atque vt Deo optimo maximo, & ſanctæ Eccleſiæ ſuam operam præſtare aliquando poſſint, *Hebraica* lingua, *Chaldæa*, *Arabica*, *Græca*, & *Illyrica* erudiantur. Poſtquam noſtri Scholaſtici Philoſophicum curſum ſtudiumque abſoluerint, antequam Theologicum aggrediantur, vt ijs ſatisfaciamus oneribus, quibus noſtra Religio premitur, aliis politiori litteratura informandis præficiendi erunt; triennium integrum in inferioribus ſcholis ad docendum detinendi, iterumque ſi eo in munere ſtrenuè ſe geſſerint, maioribus ſtudijs addicendi.

Non minore cura inuigilandum eſt, vt noſtræ Congregationis Patres & Fratres ea vtantur veſtium compoſitione, quę religioſos viros deceat; vt ſcilicet nec nimis elegans & ſplendidus ſit veſtium ornatus, neque ſordidus & nimis abiectus vllus noſtrûm incedat. Erunt itaque omnium externę veſtes nigri ſemper coloris, lanež, ſimplices. Clericorum tunica protenſior talos feriet; anteriore parte tota vſque ad cingulum ſit conſuta; collare duobus ſaltem vncinulis ita adſtringatur, ne aut collum aut guttur appareat. Ma-

nicæ nullis aut vncinulis,aut globulis conſtringantur, ſed laxiuſculè totæ ſint conſutæ. Pallium eiuſdem ferè longitudinis; ita tamen vt tribus vel quattuor digitis decreſcens ſupereminеat tunicæ. Palliorum collaria haut ſupra tres digitos altiora promineant.Zonæ nullo modo ſint ſericæ; ſemel tantùm circumducantur, & in anteriore parte nectantur. Pilea (quæ nec oblongæ nec acuminatæ ſint formæ,ſed ad religioſi viri honeſtum decorem accõmodata) alas non habeant totas limbo ſubſutas,ſed tantùm ad dimidietatem producto,qui in interiore pilei parte ad tres digitos vix aſcendat; numquam tamen excedat. Nullis eadem funiculis ſericis cum lemniſcis adornentur, ſed ſimplici vitta ex filo, quæ globulo depreſſiore connectatur. Galericuli non ſint ſerici. Induſia omni careant & ad collum & ad manus ornamento; illorumque collaria ad collum ſupra veſtem duos tantùm digitos vertantur; ex tela ſimplici linea, nec amylo læuigata ſint, aut aliàs expolita.Nullus ad manum,ſupra thoracem, induſij manicam, multò minùs adſcitam maniculam obuoluat. Lacernæ domeſticæ ſolùm hiberno tempore deferantur,quę manicas gerant integrè conſutas, & religioſæ paupertati,quę omnem horret vanitatem, prorſus conformes: harum collaria veſti ęquentur,& inuertantur: leuiores ęſtate nemo deferat. Interiora verò indumenta ſub veſte,ſiue hiberna ſiue ęſtiua, nigri ſint coloris,aut certè ſubobſcuri, qui parum à nigro recedat: ita vt nullus luxus, aut mollities, aut exquiſita elegantia in illis appareat. Quòd ſi thoracem pellitum aliquis geſtet, ante pectus & ad manus nigri coloris limbo ſubſuto ad quattuor digitos eumdem cooperiat. Coriacea colobia omnino interdicuntur. Fibulatas zonas aut cingula nemo ſub veſte geſtet.Femoralium forma & figura ſit honeſta, ſimplex, religioſo viro conueniens. Tibialia acu intexta,cuiuſuis generis aut coloris illa ſint,nullus gerat: pellita verò nigri ſolùm coloris permittantur. Calcei abſque auriculis geſtentur. A ſudariolis lemniſci amoueantur,neque acu per angulos depicta illa ſint. Pelliceæ veſtes exteriores prohibentur omnino; interiores verò valetudinarijs aut ętate prouectioribus Prępoſitus generalis aut Viſitator,vt expedire perſpexerit,concedet,hac adiecta cõditione,vt & paucę emantur & ad genua tantùm protendantur.Manicę pellicęę,quę ad frigus arcendum è manibus deſeruiunt,laneo operimento extrinſecus conueſtiantur. Laici paupertatis colendę, & ceterarum virtutum,humilitatis præſertim pietatiſq; acquirendæ religioſa ſolicitudine cum Sacerdotibus contendent. Eorum veſtitus erit tunica ad ſuras ſolùm deducta, quæ cruris medietatem feriat, & pallium quod longitudine tunicam non excedat. Nullus veſtes breuiores in itinere ad crura ſolùm productas geret,ſiue ex panno, ſiue ex lana,aut alia quauis materia.

Rectores Seminariorum Conuictorum, & locorum vbi ſiue publicè ſiue priuatim adoleſcentes in litterarum ſtudijs erudiuntur,curam omnem adhibebunt,vt ij Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis probè inſtruantur; vt quotidie omnes adſint Miſſæ ſacrificio, & Sacramenta ſtatis temporibus,ex eorum regulis,frequentent; vt ſingulis ſextis ferijs,poſtrema ſcholarum matutinarum ſemihora,noſtri præceptores proprios diſcipulos pio aliquo ſermone,ad eorum captum accõmodato, ad virtutis amorem, ad piè ſanctèque viuendum,ad modeſtiam,ad puritatem honeſtatemque inflamment; vt Officium B.Virginis,& conſuetas preces deuotè quotidie recitent; orationi etiam mentali aſſueſcant ij,qui natu maiores & aptiores erunt; vt ſuas regulas (quę primo cuiuſlibet menſis die Dominico ſemper ad menſam legentur) exactè obſeruent; vt eorum veſtitus modeſtus ſit, & quantum fieri poterit vnius modi; (optamus autem eſſe nigri coloris;) vt veſtem ſuperiorem,quam penulam vocant,ad talos vſque productam & æſtiuo & hiberno tempore domi aſſiduè gerant; vt Latinè etiam inter ludendum colloquantur; vt litterarum ſtudijs & ſedulò & ſeriò incumbant, moribuſque optimis imbuantur; vt contentiones, mendacia, iurandi vſus ſeu potiùs abuſus, turpiloquia, immodeſtia, inurbanitas, immunditia tam corporis quàm veſtium ab omnibus euitentur: vt ſi quos nimis audaces, procliues ad vitia, peruicaces & omnino non ferendos cognouerint, numquam diſſimulando tolerent, neque cum alijs ſimul viuere aut verſari patiantur: vt lampas in ſingulis dormitorijs nocturno tempore accenſa reſplendeat, & ſuum cuilibet

cubiculo præfectum deputent, quem tamquam virum perfectum adoleſcentes admirentur & imitentur; vt exempla probitatis, honeſtatis & religioſę modeſtiæ à noſtris referant: vt numquam prodeant in publicum niſi benè compoſiti,& cum decore ſimul & cum honore Pręfectos,Magiſtros, Superiores alloquantur.

Vt porrò ſuę ſatis conſcientię Rectores faciant,ſcholas quotidiè vel ipſi vel per Vicerectorem frequentent; priuato diſcipulorum examini, diſputationibus,quę Sabbato fiunt, ſępè interſint; auſcultent aliquando & legentes ex cathedra magiſtros,& reddentes diſcipulos, quę à magiſtro audierint; videant dictata,inquirant ſi quid negligenter à pręceptoribus vel à diſcipulis agatur. Pręfectum ſtudiorum vnum ex Patribus,probitate,prudentia & eruditione inſignem,vbique conſtituant,qui & aduenientes primùm iuuenes examinet, ſcholas cuique deputet,& de profectu ſingulorum experimentum ſępè faciat. Proderit aliquando publica laudatione diligentes proſequi, negligentes iniecto rubore vel metu excitare,& propoſitis pręmijs ad æmulationem ſcholaſticam omnes prouocare. Huic rei applicabunt Rectores animum,& nihil omittent quò adoleſcentes, qui noſtris in locis educantur,optima inſtitutione optimi euadant,& aſſiduis litterarum ornamentis optimè eruditi.

Cùm noſtra Congregatio fundamenta olim iecerit in pia *Orphanorum* inſtitutione & cura; ratio etiam poſtulat, ne illam poſthabeant poſteri, ſed quanta poſſumus contentione & alacritate conandum eſt nobis, vt tam pium opus amplectamur,proſequamur, omniq́ue ſolicitudine, ac ſummo pietatis affectu ad illud illuſtrandum & augendum excitemur: vt venerabilis patris noſtri *Hieronymi Æmiliani* veſtigijs inſiſtentes,intenſum pietatis illius ardorem noſtris pectoribus confoueamus, qui huiuſmodi in primis actionibus pijs militiam Chriſto noſtram erexit. Rectores igitur & Oeconomos (quos communi vocabulo *Commiſſos* vocamus) ad Orphanos regendos Patres deſtinabunt caritate maximè flagrantes; ita vt cum priſcis noſtris Patribus,qui in hoc opere miſericordiæ ſedulò ſeſe occuparunt,comparari poſſint,& auitam illam maiorum noſtrorum hac in re gloriam non ſolùm conſeruent, ſed ſi fieri poſſit, etiam augeant & illuſtrent. Quilibet proinde ſacerdos Orphanorum curæ deſtinatus operam dabit, vt primas eorum inſtituendorum partes Chriſtiana educatio, pietas, optimorumq́ue morum informatio occupet. Curabit vt omnes ſingulis menſibus peccata Sacramentali expient confeſſione, ætate maiores quintodecimo quoque die:quos etiam ſemel in menſe conuocabit ad ſuas culpas accuſandas: vt omnes quotidie Miſſæ interſint, ſinguli coronas deprecatorias deferant cingulo complicatas,quas etiam quotidie recitent qui legere ignorauerint; ceteri verò B. Marię Virginis Officij recitatione prius ſuum penſum perſoluant. Verùm vt tam pij operis, iure quaſi hereditario,à noſtro Inſtitutore glorioſæ & pię memorię *Hieronymo Æmiliano* nobis traditi,vigeat apud nos exacta obſeruantia; de *Orphanorum regimine* peculiarem libellum compoſitum(in quo ſ leniùs ac fuſiùs ſingillatim omnia traduntur,quę ad hoc religioſum inſtitutum augendum & diu conſeruandum ſpectant)ſinguli Rectores habebunt: cuius à pręſcriptis ne latum quidem vnguem recedent. Vtque in omnibus noſtris Domibus decernimus eiuſdem noſtri Inſtitutoris effigiem pictura adumbratam,ad piam illius memoriam conſeruandam & deuotionem excitandam,eminenti loco erigi: ita iubemus, vt *Orphanotrophia*,maximè quę ipſe inſtituit, in Dormitorio, in Officinis & Refectorio illius effigiem depictam habeant. *Hactenus ex Conſtitutionibus Congregationis Somaſcæ & Doctrina Chriſtiana in Gallia.*

## *Cap. 11. Collegia & alia domicilia Congregationis Somaſcæ & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.*

POſt Catalogum ſuprà pag.76.à me editum, Mediolano accepi plenam ſeriem Domiciliorum iſtius Congregationis: quam hîc ſubnectere viſum fuit, ne quid ea in parte à nobis deſideretur.

Romæ

Roma { Collegium S. Blaſij in monte Citorio. *Roma.*
Collegium Clementinum, temporibus Clementis VIII. inſtitutum.
Velitris in Latio, Collegium S. Martini. *Belitre.*
Ameriæ in Vmbria, Collegium S. Angeli. *Amelia.*
Maceratæ, Collegium S. Ioannis Baptiſtę. *Macerata.*
Tiburi in Latio, Collegium S. Mariæ Angelorum. *Tiburi,* ad Anienem fl.
Somaſcæ, ſub ditione Veneta, Collegium S. Bartholomæi: vnde titulus Congregationi.
Venetijs { Collegium ſanctiſſimæ Trinitatis. *Venize.*
Collegium SS. Ioannis & Pauli.
Collegium Patriarchale. Collegium Ducale.
Locus Mendicantium. Locus Incurabilium.
Vicentię { Collegium SS. Philippi & Iacobi. *Vincenza.*
Collegium Miſericordię, Orphanorum.
Salodij, Collegium S. Iuſtinæ. Collegium S. Benedicti, ibidem. *Salodi.*
Patauij ſub ditione Venetorum, Collegium S. Crucis. *Padoua.*
Taruiſij, ſub iiſdem, Collegium S. Auguſtini. *Treuiſi.*
Bergemi, Collegium S. Martini, Orphanorum. Collegium S. Ioſephi, ibidem.
Brixiæ, Collegium Miſericordiæ, Orphanorum, & Collegium Nobilium.
Mediolani { Collegium S. Mariæ Secretæ. *Milano.*
Collegium S. Petri, & Collegium S. Martini, Orphanorum.
Papiæ { Collegium S. Maioli: vnde titulus huic Congregationi. *Pauia.*
Collegium Columbinæ, Orphanorum.
Cremonæ { Collegium S. Luciæ, & Collegium S. Geraldi. *Cremona.*
Locus Miſericordiæ, Orphanorum.
Terdonæ, Collegium S. Mariæ Paruulæ. *Tortona,* in Ducatu Mediolanenſi.
Merati, Collegium S. Bartholomæi. *Merato.*
Ripaltę, Collegium S. Mariæ Ægyptiacæ. *Ripalta.*
Comi, ad lacum Larium, Collegium Galliæ. *Como.*
In Laude Pompeia { Collegium S. Mariæ Angelorum. *Lodi.*
Collegium S. Andreę, Orphanorum.
Alexandrię in Inſubria, Collegium S. Syri, Orphanorum. *Alexandria della Paglia.*
Genuę { Collegium S. Marię Magdalenę. *Genoua.*
Collegium S. Spiritus.
Neapoli { Collegium S. Demetrij. Collegium Lauretanum, Orphanorum. *Napoli.*
Collegium Pietatis, Orphanorum. Collegium Caracciolum.
Caſertę, in regno Neapolitano, Collegium S. Marię à Monte. *Caſerta.*
Melphis, in eodem regno, Collegium S. Thomę Aquinatis. *Melfi.*
Vercellis, ſub Sabaudo, Collegium S. Marię Magdalenę, Orphanorum. *Vercelli.*
Foſſani, ſub ditione eiuſdem Ducis, Collegium S. Marię Angelorum. *Foſſano.*
Bugellę, ſub ditione eiuſdem, Collegium S. Laurentij. *Biella.*
Placentię, ſub ditione Ducis Parmę, Collegium S. Stephani, Orphanorum. *Piacenza.*
Caſali, ſub ditione Ducis Mantuę, Collegium S. Clementis. *Caſal.*
Lugani, ſub ditione Heluetiorum, Collegium S. Antonij. *Lugano.*
Tridenti, Collegium S. Martini. *Trento.*

## *Collegia Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.*

Luterię Pariſiorum. Toloſę. Auenione. Narbone.
Inſulę in Comitatu Venuxino ſeu Auenionenſi. Bellocari.
Zimonti. Lectorę. Condomij. Briuę. Francopoli.

*Cap.*

pedire. Librum verò iſtum Conſtitutionum ad minùs quater ſingulis annis in conuentu Fratrum legendum decernimus.

*Statutorum Part 1. De Capitulo generali. Caput* I. Sub forma Capituli generalis ritè congregati ſtatuimus ipſum Capitulum generale per eos, qui ex vnitis Domibus annuatim, Dominica *Iubilate*, ad colloquium Monaſterij conueniunt, deinceps eſſe celebrandum ibidem, donec & quo vſque deſuper deliberatum & ſtatutum fuerit. Ad quod repræſentandum accedet Præpoſitus domeſticus ſiue Rector, cum quattuor domeſticis Canonicis ſibi per Capitulum ſuum deputatis, & Præpoſiti ſiue Rectores aliarum vnitarum Domorum, vnuſquiſque cum ſocio Canonico, ſibi per Capitulum ſuum æquè deputato. Admittantur quoque Rectores aliarum Domorum, etiam extra vnionem noſtram, qui de aliqua Domorum noſtrarum aſſumpti fuerint: ſimiliter & Confeſſores Sororum, qui alicuius dictarum Domorum membra fuerint.

*Caput* II. *de Viſitationibus Domorum.* Viſitatores per Capitulum generale ſingulis Domibus deputentur duo ex Canonicis Capituli generalis, viri probatæ conuerſationis & boni teſtimonij, extra Domum viſitandam reſidentes &c.

*Caput* III. *De electione Præpoſiti ſiue Rectoris.* Cùm aliquam Domorum noſtrarum, per obitum Rectoris, reſignationem vel aliàs quomodolibet vacare contigerit, id ipſum quantociùs Viſitatoribus Domus, ſi præſentes non fuerint, intimetur. Per hos Viſitatores, aut eorum vices gerentes, ſi alter vel ambo venire non poſſint, & per omnes Fratres Capitulares Domus prouidendæ repræſentabitur Capitulum generale, pro electione noui Rectoris. Statuto autem die, Miſſâ de S. Spiritu ſolemniter decantatâ ac finitâ, procedatur ad electionem, quatenus iure fuerit procedendum.

*Caput* IV. *De forma receptionis Fratrum.* Duplicem recipiendi modum obſeruandum ſtatuimus; vnum quo in Fratres dumtaxat perpetuos, non tamen Canonicos, alterum quo in Fratres Canonicos recipiantur. Poſtquam igitur recipiendus in Fratrem dumtaxat perpetuum, non Canonicum, de noſtris ſtatu, vita, ſtatutis, conſuetudinibus & caſibus expulſionis, quantum ſufficere videbitur, inſtructus fuerit & probatus, de conſenſu Capituli conueniant; & conſentientibus eis, vel maiore parte in eius receptionem, interrogante Rectore, quid petat, flexis genibus humiliter dicat: *Peto propter Deum recipi in Fratrē huius Domus.* Cui Rector, præſentibus Notario & teſtibus, reſpondeat: Frater, Domus & Congregatio iſta inſtituta eſt à Sede Apoſtolica, approbata & confirmata, pro Presbyteris & Clericis caſtè, concorditer & in communi viuentibus, ſecundùm decreta Apoſtolica & noſtri Capituli generalis Statuta, tibi iamdudum expoſita & cognita. Si tibi placet talē vitam nobiſcum ducere, & in ea, niſi Religionem approbatam intraueris, ad finem vitæ perſeuerare, & ſi Promiſſionem ſolitam, tibi æquè cognitam, deſuper facere decreueris, nunc liberè edicas. Quo reſpondente, *Sic placet*, dicat Rector: Frater N. nos te ſuſcipimus in Domum & fraternitatem noſtram, facientes te participem omnium bonorum noſtrorum ſpiritualium & temporalium, in vita pariter & in morte, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen.

Reſidentibus deinde Fratribus, dicat Rector: Ecce Frater, deinceps tibi proprium habere non licet. Ideo coram Notario iſto & teſtibus facies reſignationem ſiue donationem inter viuos omnium bonorum tuorum, tam ex hereditate quàm per labores manuum tuarum, vel aliàs quomodolibet, licitè tamen, acquiſitorum, vel in poſterum acquirendorum, huic Domui & eius menſæ communi, in meliore forma ſolitam fieri. Reſignatione huiuſmodi facta ad manus Notarij, legat expreſsè Promiſſionem ſuam, in hęc verba: *Ego Frater N. promitto fidelitatem Domui noſtræ N. & auxiliante Deo caſtam, concordem & communem vitam, ſecundùm Statuta generalis Capituli, deinceps obſeruabo: & ſi contigerit, quacumque occaſione, me de hac Domo recedere, aut ſecundùm prædicta expelli, pacificè recedam, nihil repetendo: & ex tunc obligatum me facio ad intrandam Religionem approbatam, vbi regulariter viuitur. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.*

Frater verò recipiendus in Canonicum, hoc ordine recipiatur. Congregatis Fratribus Capituli in loco Capitulari, exponat Rector recipiendo, in genibus prouoluto, ſummè

mar iè narrando primam inſtitutionem Domus, quæ caſtam, concordem & communem vitam requirit; vnionem Domorum noſtrarum Apoſtolica auctoritate factam & ipſarum generale Capitulum, & eius facultatem, decreta Apoſtolica & Statuta deſuper cōdita: prout hęc omnia diu nouit, ac etiam ad ea ſe pridem Promiſſione obſtrinxit. Poſteà interrogando ſubinſerat: Si igitur pro maiore ſubſiſtentia Promiſſionis tuæ, petis propter Deum recipi in membrū antedicti Capituli generalis, & in huius eccleſię N. confratrem Canonicum, ſecundùm Statuta noſtri generalis Capituli, dicas? Quo reſpondente, *Hoc peto & deſidero*, dicat Rector: Frater, nos annuimus petitioni tuæ, & recipimus te in Fratrem & Canonicum huius eccleſię N. dantes tibi ſtallum in Choro, & locum in Capitulo, & participationem omnium bonorum ſpiritualium & temporalium, in vita pariter & in morte, ſecundùm Apoſtolicas ſanctiones, & noſtri generalis Capituli Statuta, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, amen. Quo facto, faciat Promiſſionem ſolitam ſub hac forma: *Ego frater N. Canonicus eccleſia N. promitto bona fide, loco iuramenti & vigore eius, fidelitatem generali Capitulo, eiuſque Ordinationibus & Statutis factis & faciendis obedientiam, quamdiu membrum eius fuero; & ſecreta eiuſdem Capituli generalis & particularis celabo, ad quemcumque ſtatum peruenero: ſalua nihilominus Promiſſione, pridem per me facta, in ſuo robore & vigore.*

Inſuper ſi *Familiares* interdum recipiendi ſunt, ſecundùm priorem modum recipiantur; licet expreſsè Promiſſionem non faciant: ſed propoſita eis primaria inſtitutione, interrogentur; An placeat eis taliter nobiſcum viuere? qui reſpondentes, *Ita placet*, recipiantur ſub hac forma verborum in materna lingua: Frater N. nos annuimus petitioni tuæ, & recipimus te in Fratrem huius Domus, facimuſque te participem omnium bonorum ſpiritualium & temporalium, in vita pariter & in morte, dummodo ſecundùm Statuta noſtra & conſuetudines huius Domus concorditer & humiliter nobiſcum conuerſatus fueris, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, amen.

*Cap. v. De caſibus expulſionis.* Ne vna morbida ouis ceteras inficiat, ſtatuimus & ordinamus, quòd ſi aliquis Fratrum in infrà ſcriptorum articulorum vno vel pluribus culpabilis inuentus fuerit, Viſitatorum vel Capituli generalis iudicio, loco & omni, quod ſibi in Domo competebat, iure priuetur, & à Fratrum ſocietate realiter expellatur; admonitus vt pacificè recedat, ſicut in pace receptus fuit, neque aliquem ex Fratribus præſumat aliquatenus moleſtare. Committimus etiam Rectori, quid & quantum taliter expulſo dare velit, niſi tantùm veſtes, quibus quotidie vſus eſt. Articuli ſiue caſus expulſionis ſunt iſti: Si quis caderet in hæreſim, vel lapſum carnis, vel vitium proprietatis, vel furtum committeret &c.

*Statutorum Pars II. Caput I. De Officio Rectoris ſiue Præpoſiti.* Quia Rectori ſiue Præpoſito vniuerſalis cura totius conuentus, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, incumbit, vt prudens paterfamiliàs ſuper grege & Domo ſibi commiſſa omni diligentia vigilabit. Confeſſiones Fratrum ipſe audiet, aſſumpto Vicerectore, & ſi quos alios ad hoc duxerit aſſumendos. Vicerectorem & Procuratorem, conſentiente Capitulo aut maiore parte, ipſe inſtituet & deſtituet, quoties expedire iudicauerit. Cetera officia ipſe Fratribus committet; horum tamen conſilio præaudito.

*Caput II. De Vicerectore.* Quoniam neceſſe eſt, vt in abſentia Rectoris aliquis ſit ex Fratribus Canonicis qui vices eius gerat, ad quem habeatur recurſus, in his quæ ſine periculo differri vſque ad reditum Patris non poſſent, ſtatuimus quòd Rector Fratrem ſacerdotem boni teſtimonij, de gremio Capituli ſui, in quem Capitulum aut maior pars conſenſerit, Vicerectorem inſtituat. Hic vices Rectoris eo abſente agat; Capitulo interim præſideat; in ſiniſtro Choro locum primum, & aliàs vbilibet locum Patri proximum, & eo abſente primum obtinebit. Si quid in Rectoris conuerſatione reprehenſibile fuerit, ad hunc pertinebit adhortatione priuata admonere & emendare.

*Caput III. De Procuratore.* Huic incumbit quotidiana ſolicitudo prouiſionis neceſſariorum totius Domus. Prouentus redituum & obuentionum quarumcumque, ex Fratrum laboribus aut aliàs quomodolibet prouenientes, ipſe diligenter recipiet: recepta &

expo-

expoſita, debita & credita, eorumque ſalutationis diem fideliter ſcribet. Semel in anno circa feſtum S. Martini, in præſentia Capituli, de omnibus computationem legalem faciat. Qua facta, abſolutionem ab officio petat: circa quam Rector ſe habeat, ſecundùm quod de conſilio Fratrum Capituli, viſum fuerit expedire.

*Caput IV. De Scripturario.* Et quoniam probata illa ab antiquo Patrum ſententia omnibus generaliter in monaſterijs degentibus ſeruis Dei manuum labores indixit, Propheticumque præconium *Labores manuum ſuarum manducantes beatos cecinit*: hanc etiam conſuetudinem tum pro vitando otio, quod vitijs omnibus fomitem ſuggerere nouimus, tum etiam pro transfigenda neceſſitate, apud nos diſtrictiùs volumus obſeruari; aſſumentes pro opere, tamquam propoſito noſtro principali magis congruente, *laborem ſacros libros conſcribẽdi*. Quapropter Rector Domus ordinabit ad hoc Fratrem aliquem actiuum, qui Fratrum laboribus præſit, & à quo vnuſquiſque ſcribenda accipiat, ſimul & ſcribendi inſtrumenta. Ipſe ſingulis, quid & quomodo ſcribat, ſolicitus iniungat, & informet Nouitios ad melioris literæ vſum, per ſe vel per alium. Ipſius etiam eſt, ſingulis ſextis ferijs (ni feſtum impediat) ſtatim ante prandium Fratres per ſignum conuocare; vt quiſque Rectori, eoque abſente Vicerectori, opus ſuum, quod per hebdomadam eſt operatus, oſtendat. Cum alienis, qui apud nos libros ſcribi ſeu aliàs aptari faciunt, ſumma cautione conueniat: receptum verò pretium Procuratori fideliter tradat, vt communem cedat in vſum.

NOTATIO. Lector hîc obſeruet, Fratres vitæ communis, initio ſuę inſtitutionis, pro parte victum ſibi paraſſe honeſto ac liberali manuum labore, hoc eſt, ſcriptione librorum ſacrorum; arte nimirum Typographicâ apud Europæos nondum inuentâ, aut certè paucis cognitâ, neque in vſum publicum deductâ. De illius inuentione Chronicon noſtrum Belgicum in geſtis anni 1440. conſule, ſi voles.

*Caput V. de Librario.* Deputabit Rector vnum, qui pręſit Armario ſiue Bibliothecæ Domus; cuius cuſtodiæ committantur omnes libri Domus, pro quibus ſolicitus ſit, vt debitè conſeruentur, & ne diſtrahantur. Ad Librarium ſpectat, Lectiones in refectorio ordinare, & Lectores ſingulos pro qualibet hebdomada deputare, à ſenioribus deſcendendo.

*Caput VI. De Veſtiario.* Veſtiarium vnum inſtituat Rector, ſub cuius reſpectu erunt omnia, quæ ad veſtitum & ſtratum pertinent Fratrum, menſalia, mappæ, manutergia, & quæque his ſimilia. Hic de panno nigro, albo, griſeo per Procuratorem veſtimenta & cetera ſuprà dicta fieri ordinabit, eaque de ſcitu Rectoris, ſecundùm temporis & perſonarum exigentiam, Fratribus miniſtrabit. Tunicæ ſuperiores *Sacerdotum* vſque ad talos protendantur; *Clericorum* vna palma breuiores ſint; *Familiarium* verò, medietatem tibiarum non excedant. Togæ Sacerdotum & caputia Fratrum de nigro; Clericorum verò & Familiarium togæ de griſeo panno fiant. Fratres caueant ne curioſa aut ſuperflua petant.

*Caput VII. De Magiſtro Nouitiorum.* Recipiendi ſunt adoleſcentes bonæ indolis & litteraturæ competentis, qui diſcreto probentur examine. Itaque conſtituendus eſt eis à Rectore probatæ vitæ Frater, qui ſumma induſtria teneros annos probatæ conuerſationis erudiat inſtitutis.

*Caput VIII. De Sacriſta.* Eccleſiæ & ornamentis eius conſeruandis vnum de Fratribus præficiat Rector, ſub cuius reſpectu erunt omnia, quæ ad explenda diuina Officia fuerint neceſſaria. Hic tota ſolicitudine inuigilet, vt creditas ſibi res ſacras diligenter & mundè cuſtodiat. Ipſius eſt ianuas eccleſiæ aperire & claudere, ac ſigna quæque ad Miſſas & alia diuina Officia, ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem, debitis temporibus pulſare.

*Caput IX. De Cantore.* Cantorem inſtitui oportet à Rectore, qui omnia cantanda & legenda in diuino Officio ſecundùm Ordinarium & ceremoniales conſuetudines ordinabit. Eius directioni voces ſingulorum acquieſcant: ipſius eſt eos, qui de cantandi arte minus habent, beneuolè erudire, ea quæ intonanda ſunt intonare, Fratribus cantanda

ordinare & vniuerſaliter in ſingulis ſuperintendere, vt debitè & perfectè diuina Officia perſoluantur. Denique vnuſquiſque Sacerdotum in ordine vicis ſuæ hebdomadam ſuam in Choro faciat.

*Caput* x. *De Infirmario.* Infirmorum curam Rector committat vni ex Fratribus benigno & patienti. Is prouidebit infirmis quę neceſſaria ſunt, & ſedulum eis exhibebit pietatis obſequium. Conſulendus autem eſt Medicus, ſi videbitur opportunum; infirmis tamen Eucharistiæ Sacramento primùm munitis. Ad Infirmarium ſpectat, ægritudine ingraueſcente, ea quæ ad infirmorum communionem, inunctionem & ſepulturam neceſſaria ſunt procurare. Si opus fuerit excubijs circa infirmos, viciſſim diſtribuantur, & bini & bini ſimul vigilent, lectioni & orationi inſiſtentes.

*Caput* xi. *De Hoſpitario ſeu Hoſpitalario.* Hoſpitarius ordinabitur vnus ex Fratribus, moribus & diſciplina eruditus, qui ſuperuenientes hoſpites deuotè ſuſcipiens, & omnibus honorem congruum impendens, maximè Religioſis, ſciat ſingulis deferre obſequium. Si veſperi hoſpes pedeſter venerit, pedes eius abluat: vtenſilia quæque munda conſeruet. Caueat ſummopere, ne de negotijs ſęcularibus aut rumoribus externis cum hoſpitibus conferat.

*Caput* xii. *De Tonſore.* Tonſoris officium vni ex Fratribus committatur; ſub eius reſpectu erunt omnia inſtrumenta ad raſuram pertinentia.

*Caput* xiii. *De Rubricatore.* Deputetur vnus Frater pro Rubricatura & Floratura, qui habeat lazurium & alios colores pro ſuo officio neceſſarios: aureas tamen litteras, abſque ſpeciali licentia, non faciat. Scriptorarij directionibus, in illuminandis libris ſibi per eum traditis, obtemperabit.

*Caput* xiv. *De Ligatore.* Colligandis libris deputabitur vnus à Rectore, ſub cuius reſpectu erunt omnia inſtrumenta ad ligaturam requiſita. Hic erit, cum Procuratore, ſolicitus pro aſſeribus, corio & orichalco, & ceteris ad officium neceſſarijs: vt ſcilicet debito tempore emantur & diſponantur. Libros ligandos à Scripturario recipiet, ligatoſque eidem reſtituet, qui pretium laboris, pro eiſdem receptum, Procuratori repræſentabit.

*Caput* xv. *De Cellario.* Committatur vni Cellarium cum ſuis attinentijs, qui panem & cereuiſiam, amphoras & vrceolos & cetera vaſa in locis ſuis diligęter cuſtodiat. Ad Cellarium ſpectat, panem & potum Refectorio Fratrum inferre, & poſt refectionem eadem atque vaſa munda ad propria loca reponere.

*Caput* xvi. *De Piſtore.* Deputetur etiam vnus qui pinſendi officio pręſit, ſub cuius reſpectu ſint omnia frumenta Domus, & inſtrumenta quęque ad braxandum & pinſendum neceſſaria.

*Caput* xvii. *De Coquo.* A Rectore ad coquinam ordinabitur Frater patiens atque benignus, prouidus & coquendi arte, quantùm fieri poteſt, induſtrius. Sub cuius reſpectu erunt carnes, piſces, butyrum, caſei, vtenſilia coquinę, & alia quęcumque ad coquendos cibos neceſſaria. Ad Procuratoris directionem ſingula ordinabit; quem & maturo tempore, vt neceſſaria procuret, ſolicitabit.

*Caput* xviii. *De Hortulano.* Rector inſtituat Hortulanum aliquem ex Fratribus, qui curam horti gerat, & olerum: quatenus ſuis omnia temporibus ſerantur, plantentur, purgentur & conſeruentur. Prouideat de diuerſis ſeminibus omnium plantularum, ad vſum Fratrum congruentium: & ſingula tempore ſuo ſerat & plantet.

*Pars* iii. *Statutorum. Caput* i. *De ſeruanda perpetua caſtitate.* Statuimus vt nullus in domos habitationis noſtræ fœminis pateat ingreſſus. Caueantur ſummopere, in cogitationibus, verbis, geſtu, tactu nedum alieni, ſed etiam proprij corporis, quæcumque aliquo modo peccandi occaſionem excitare poſſent. Nec vmquam ſoli inuerecundè aſpiciant, quæ ab alijs ſciri nollent; ſemper animo voluentes, quòd etiam quæ latent homines, oculis diuinæ Maieſtatis patent & aſpectibus Angelorum.

*Caput* ii. *De concordia mutua ſeruanda.* Fratres ſimul benignè, dulciter & humiliter conuerſentur: non ſint præſumptuoſi, audaces, nimis liberi ad inuicem; potiſſimùm cauen-

cauentes verba dura & aſpera,quibus caritas fraterna lędi poſſit.Si quid per Fratrem aliquem fieri deſiderat, non imperando ſed rogãdo obtineat.Si Frater à Fratre corripitur, piè ſuſcipiat,non replicet, non excuſet,ſed recognita culpa veniam petat,emendam promittendo.Singularitates noxias velut venenum fugiant: communibus veſtitu,cibo, ſomno,exercitijs, moribus ſinguli ſint contenti. Vnuſquiſque omnium vltimus eſſe velit; omnibus etiam benefacere ſtudeat.

*Caput* III. *De proprietatis abdicatione.* Quia ſecundùm Apoſtolicam traditionem, proprietati quorumcumque temporalium renuntiauimus,ac communi nos dedimus vitæ,eorum imitantes exemplum, *quibus cor vnum & anima vna, omniaque communia* fuiſſe deſcribuntur: caueant Fratres ſinguli,ne quiſquam rei etiam minimæ proprietatem deſideret, nec quidpiam tale poſſideat, vel ſuum eſſe dicat; contentus quòd ſibi de communibus bonis Domus miniſtretur prout opus habet. Pecuniam,Rectore & Procuratore exceptis,nemo habeat aut tractet; niſi alicui ex cauſſa commiſſum fuerit: qui,ceſſante cauſſa, quod ſupereſt Procuratori præſentabit. Similiter de via vel foro reuertens vltra triduum pecuniam ſuperfluentem non detineat. Denique ſtatuimus, quòd nullus beneficiatus in Fratrem recipiatur, neque Frater receptus beneficium aliquod eccleſiaſticum acceptet, niſi paratus ſit ipſum permutare aut reſignare, quandocumque Rectori & Fratribus Capituli viſum fuerit expedire.

*Caput* IV. *De Lectione menſæ & refectione Fratrum.* Indignum eſt omnino vt refecto corpore anima fameſcat. Statuimus itaque,quòd à principio refectionis vſque in finem lectio ſacra, per Librarium ordinata, recitetur: quam omnes ſub ſilentio auſcultabunt.Lectiones ordinabuntur per vices hebdomadales,à ſenioribus deſcendendo: ſitq; Lector menſæ antè prouiſus,vt debitè,diſtinctè & altè ſententias ac verba pronuntiet. Inter legendum Correctori aurem humiliter accõmodabit. Hiſtoriæ & Sanctorum Paſſiones legantur expeditiùs; Homiliæ verò & Sermones & SS.Patrum Moralia quęque attentiùs. Homilia de Euangelio diei primùm ſibi in Lectione locum vindicat. In miniſtrando ſimiliter vnuſquiſque hebdomadam ſuam faciet. Singulis diebus bis reficimur, in prandio decima hora, & in cœna poſt quintam: niſi ieiunandum eſſet. Tunc enim ſemel reficimur in die, hora vndecima. Extra horam debitæ refectionis nemo abſque licentia comedat vel bibat; infirmis & ambulantibus exceptis. Dominicis diebus,ſecundis, tertijs & quintis ferijs, niſi ieiunium obſtiterit, carnibus veſcimur; ſexta feria ieiunatur. Ante feſta Communionis, per triduum, vel ad minùs per biduum,abſtinendum erit à carnibus; ante ſumma tamen feſta ampliùs.

*Caput* V. *De Silentio.* Ab hora ſeptima veſpertina vſque ad horam ſeptimam ſequentis diei,ſimiliter à primo ſigno prandij vſque ad ſignum laboris, & à ſigno cœnæ vſque ad Completorium lectum de Domina,Silentium ſtrictè obſeruetur. Quibus ſolitudo cellę & ſilentium tædio ſunt,etiam alijs gratia loquendi vtentibus, ad ſolitudinem reſtringantur. Diebus celebribus & ferialibus,dictis Veſperis, per mediam horam de Scriptura ſacra mutuò conferendi,ſeu alias ſpirituales conſolationes apud alterutrum quærendi Fratribus licentia conceditur. Si extra prædicta tempora alicui loquendum fuerit (niſi breui verbo expediri poterit) licentiam petat. In eccleſia, in calefactorio, in tranſitu publico ante cellas Fratrum, non ſolùm ſilentij temporibus, verùm etiam alijs temporibus quibuſcumque ſilentium obſeruetur.

*Caput* VI. *De labore & requie Fratrum.* Ab hora ſeptima, poſt Miſſam, ferialibus diebus vſque ad horam prandij laborandum erit pro communi. Sacerdotes verò cùm celebrauerint,ab hora ſeptima vſque ad octauam orationibus & ſacræ lectioni vacabunt, & poſteà vſque ad horam refectionis laborabunt. Prandio facto,indulgetur quies Fratribus per vnam horam: quâ qui vti nolunt vel non indigent,ſacra lectione vel aliquo vtili exercitio tempus occupent. Poſt horam quietis ſigno facto,iterum manuali operi inſiſtendum erit vſque ad Veſperas. Quibus finitis, pro ſolatio, conferendi aut deambulandi in horto, cauſſa recreationis,media hora conceditur; & illâ tranſactâ iterùm laboratur vſque ad cœnam. Poſt cœnam dicto Completorio, aut libros corrigendo aut

aliàs laborando, opus repetitur vſque ad horam ſeptimam. Deinde Fratres ſacræ lectioni, ſtudijs & recollectioni incumbant, & in cellis ſe cohibeant; donec poſt horam octauam, ſigno facto ad requiem, ſtatim omnibus dimiſſis, ad lectum vel culcitram ſe ſtinent. Sequente die manè hora tertia vel paulò pòſt excitati, iterum ad diuinas laudes & exercitia ſolita ſummâ alacritate confugiant.

*Caput* VII. *De diuinis Officijs & ceremonijs.* Ad diuina Officia celebranda, manè hora tertia vel paulò poſt, ſigno facto, ad eccleſiam conueniant. Quicumque in cantu vel lectione chorali fallitur, terram manu tangat. Cantante Choro, nemini priuatim aliquid legere, aut libris incumbere conceditur.

*Caput* VIII. *De priuatis Fratrum exercitijs.* Quotidianum in cellis ſtudium in hoc eſt adhibendum, vt ex continuato labore ſtudij aliquid reſideat in conſcientia, reſplendeat in vita, traducatur in vſum. Expletis manè orationibus, reformando interiori homini tota impendatur intentio & in vincendis paſſionibus, domandis concupiſcentijs, mortificandis proprijs voluntatibus, emendandiſque paulatim moribus cura quotidiana deſudet. Matutino tempore certa vnicuique præfigenda eſt regula, & ſingulæ materiæ ſingulis diebus reuoluendæ. In operibus, quæ in cellis fiunt, vnuſquiſque ſingulares orationes, quamuis breuiores, habeat præfixas, quibus deuotio continuato vigore perduret. Tranſacta die, poſt ſeptimam horam, iterum recollectioni & ſtudijs ſacrarum litterarum vacabitur. Expletis omnibus, fiet veſperi peractę diei ſupputatio. Singulis hebdomadis Clerici & Familiares ſemel confitebuntur, & de quindena in quindenam communicabunt: niſi propter feſta occurrentia aut alias cauſſas legitimas, ad dictamen Rectoris, anticipandum foret.

*Caput* IX. *De Capitulo particulari & colloquio menſium.* Capitulum particulare domeſticum repræſentabitur per Rectorem & eos qui in Canonicos recepti ſunt: quod toties celebrandum erit, quoties pro quotidianis emergentibus cauſſis fuerit oportunum. Præterea in principio cuiuſque menſis ſeruabitur colloquium per Rectorem & Concapitulares: in quo moneat vnuſquiſque liberè ſed humiliter, ſi quid conſiderauit vtile pro communi ſtatu Domus & conuerſationis noſtræ; præſertim ut Statuta & conſuetudines Domus diligenter obſeruentur, &c.

*Caput* X. *De Capitulo culparum.* Ne impunitas vitiorum anſam præbeat delinquendi, ſtatuimus quòd ſemel ad minùs in qualibet hebdomada celebretur Capitulum culparum, feria ſexta vel alia. Ad Librarium ſpectat, poſt ſeptimam horam veſperi ſignum facere, vt Fratres ad Capitulum culparum conueniant. Sedentibus ſingulis, recitetur breuis lectio per Lectorem menſæ, de inſtitutis Patrum, vel ex his ſtatutis, vel de alia conuenienti materia. Surgat poſteà iunior, & flexis genibus culpam ſuam dicat; ſi contra Statuta vel conſuetudines Domus aliquid fecerit &c. Vltra duas culpas nemo exaggerare præſumat: nullus ſuam vel alterius culpam pertinaciter defendat. Productis in medium culpis, veniam petens, ſatisfactionis qualitate accepta à Rectore, emendam promittat, & in locum ſuum iuſſus reuertatur: aliuſque in ordine ſuccedat, & ita conſequenter.

*Caput* XI. *De differentijs culparum.* Quia pro modo exceſſuum menſura eſt moderanda pœnarum, & vnaquæque culpa in gradu ſuæ qualitatis emendanda eſt cenſurâ debitæ ſatisfactionis, vt malum cognitum meliùs euitetur, quidam etiam culparum gradus ſunt aſſignandi: vt eſt leuis culpa, grauis, grauior & grauiſſima, &c.

Hic finiunt Statuta Fratrum vitæ communis in vrbe Monaſterienſi, Colonienſi & Veſalienſi. Quæ porrò viuendi ratio apud Fratres olim Dauentrienſes ſeruata fuerit, ſuprà pag. 3. & ſequentibus explicui. Siluiducenſes ſeu Buſcoducenſes in Brabantia Fratres ad noſtra vſque tempora habuerunt Statuta ab *Henrico Dieſt* in ſcriptum reducta, ſuprà pag. 135. à nobis memorata. De aliarum Domorum Conſtitutionibus in particulari quod dicam, non habeo: videntur autem ſi non ſingulæ, ſaltem pleræque ſuas habuiſſe leges, ab Epiſcopis ſeu Ordinarijs locorum approbatas.

*Caput*

## *Cap.* IV. *Origo, progreſſus & priuilegia Widebacenſis Domus Fratrum in vrbe Colonienſi.*

THEODERICVS, Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ Archiepiſcopus, S. R. Imperij per Italiam Archicancellarius, vniuerſis ſalutem in Domino. Nouerit vniuerſitas veſtra, quòd præſentiam noſtram accedentes venerabiles viri, *Ioannes Roſſenit & Henricus de Alnis*, Preſbyteri Monaſterienſis diœceſis, in noſtra ciuitate Colonienſi, cum nonnullis Clericis, deſiderantes Domino Deo ſeruire, ſtudium frequentare, & de beneficijs ſuis ſimul ſtare & viuere in communi, quædam exercitia Preſbyteris & Clericis in communi viuentibus congrua & honeſta, & per Doctores Vniuerſitatis Colonienſis admiſſa, & vt ex eorum patet litteris, approbata, nobis humiliter propoſuerunt, ſuper eiſdem noſtram ordinariam auctoritatem requirentes. Nos verò eorum bono propoſito & pietatis exercitijs huiuſmodi congaudentes, ipſis Ioanni & Henrico, & ſi qui bonæ famæ, laudabilis vitæ, & honeſtæ conuerſationis Preſbyteri vel Clerici ſe eis in tali propoſito adiunxerint, noſtra ordinaria auctoritate damus licentiam ſpecialem; approbantes ipſos poſſe ſimul in vna domo, vt Deo meliùs ſeruiant & ſtudio diligentiùs intendant, catholicè & canonicè viuere in cõmuni: quódque aliquẽ ex eis Preſbyterum, ad hoc magis idoneum, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui, toties quoties opus fuerit, aliorum ſic in communi viuẽtium, per ſe vel per aliquem ſuorum ſociorum Preſbyterorum, cui hoc pro tempore duxerit committendum, confeſſiones audire valeat, eoſque ſalutari, pro modo culparum, iniuncta pœnitẽtia abſoluere, & ſimiliter iuriſdictionis auctoritate qualicumque curam Domus & ipſorum, ſicut bonus paterfamiliàs, gerere ſpecialem: iure parochialis eccleſiæ & cuiuſlibet alterius in alijs ſemper ſaluo &c. In quorum omnium firmitatem præſentes litteras ſigilli noſtri fecimus appenſione communiri. Datum anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo, die 7. menſis Martij. 1417.

IOANNES miſeratione diuina, S. Angeli, S. R. E. Diaconus Cardinalis, in Germania & nonnullis alijs partibus Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatus ſpecialiter deputatus, vniuerſis ſalutem in Domino. Deſiderantes ſtatum humilium perſonarum Deo in ſinceritate cordis ſeruientium, & ſimul viuentium, dirigi & adaugeri, ea quæ pro quiete & ſalute eorum prouidè facta ſunt, vt illibata perſiſtant, libenter volumus noſtræ Legationis præſidio communire. Exhibita nobis ſiquidem, pro parte dilectorum in Chriſto Preſbyterorum & Clericorum domus in *Wydenbach*, in communi vita, in ciuitate Colonienſi, commorantium petitio continebat, quòd reuerendiſſimus in Chriſto Pater dominus *Theodericus* Archiepiſcopus Colonienſis pręfatis Preſbyteris & Clericis, eorumque Domui ac perſonis inibi pro tempore degentibus, nonnulla priuilegia, indulta & quædam alia conceſſit: prout in litteris ipſius domini Archiepiſcopi, 20. menſis Aprilis datis, pleniùs continetur. Quare pro parte eorumdem Preſbyterorum & Clericorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt litteris huiuſmodi & contentis in eis robur noſtræ confirmationis addere dignaremur. Nos igitur litteras huiuſmodi, ac omnia & ſingula eis contenta rata ac grata habentes, illa confirmamus & approbamus. Inſuper indulgemus, quòd dicti Preſbyteri & Clerici in eorum capella, quoties ad id deuotionem habuerint, inſimul diuinum Officium cantare & celebrare poſſint &c. Datum Coloniæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, Indictione XII. die 14. 1449. menſis Martij, D.N. Nicolai Papæ V. anno ſecundo.

FREDERICVS Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ad futuram rei memoriam &c. Ad vos deuotos fideleſque noſtros, Rectorem atque Preſbyteros & Clericos, totumque cœtum Domus in *Wydenbach*, ciuitatis noſtræ Colonienſis (de quorum vita commendabili, deuotione ſincera, conuerſationis honeſtate ac morum ornatu non ſolùm famæ flagrantem recepimus odorem, quin & experientia ipſa didicimus veritatem) noſtræ clementiæ Imperialis liberalitatem extendentes, vos qui in ſimplicitate, inque com-

communi vſu bonorum veſtrorum, abſque proprietate,ſine tamen mendicitate,ex opere etiam veſtro manuali,aliàs Presbyteris & Clericis, ſecundùm formam ab Apoſtolo doctrina & exemplo traditam,licito,honeſto & decenti, caſtè, concorditer, debitaque ſub obedientia,& aliàs ritè & legitimè tranſigitis, veſtroſque in eadem vita ſucceſſores, de corpore eiuſdem Domus pro tempore exiſtentes, in *noſtros & S. R. Imperij Vicarios & Capellanos* in perpetuum recipimus & inueſtim[illegible]ecnon eccleſiam veſtram, ad honorem S. Trinitatis,glorioſæ ſemper Virginis Ma[illegible] SS. Angelorum dedicatam,Collegialemque dudum auctoritate Apoſtolica confectam, & inſignijs collegialibus decoratam, in noſtrum & S. R. Imperij Collegium acceptamus,eamque necnon totam domum prædictam vnà cum ſuis attinentijs & prædijs,quę de præſenti poſſidetis,& in futurum vos continget adipiſci,ab oneribus & ſeruitijs laicalibus quibuſcumque eximimus & liberamus: eaſque & ea ac vos veſtroſque ſucceſſores in noſtram & Imperialis Celſitudinis ſingularem protectionem perpetuò ſuſcipimus &c. Datum in ciuitate noſtra Colonienſi, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, die 23. menſis Septembris.

## *Caput* v. *Poſteriorum ſæculorum Familiæ religioſæ, & à quibus Pontificibus approbatæ.*

VT hodie ſingulis ferè Canonicorum collegijs in orbe Chriſtiano ſua ſunt Statuta, ac iura veluti municipalia, ſic primis Eccleſiæ ſæculis ſingulorum fermè cœnobiorum peculiares Regulæ exſtiterunt: vt ſuprà pag. 127. & ſequentibus docui. Quin imò ex antiquis Scriptoribus conſtat, in vno eodemque cœnobio plures eaſque varias in vſu quondam Regulas fuiſſe. Vnius Gregorij Turonenſis teſtimonium lib. 10. cap. 29. Hiſt. Francorum hîc ſuffecerit. Is de S. Aredio Abbate agens; *Cœnobium*, inquit, *fundauit, in quo non modo Caßiani, verùm etiam Baſilij & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur Regulæ; beata muliere* (Aredij matre) *victum atque veſtitum ſingulis miniſtrante.* Quid ſimile de monachis Iurenſibus, ſuprà pag. 129. & de S. Philiberto Abbate apud Surium 20. Auguſti narratur: *Legebat ſtudioſè Baſilij præclaras conſtitutiones, Macarij regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta ſanctißima: atque ita onuſtus virtutum aromatibus, ſectatoribus ſuis egregia de ſe exempla præbebat.* Huc facit & magni illius Caſſiodori, ex Conſule Romano monachi, monitum: *Omnes* (inquit, cap. 32. de diuinis Inſtitutionibus) *quos monaſterij ſepta concludunt, tam Patrum Regulas, quàm præceptoris proprij iuſſa ſeruate.* Ceterùm vt dies diem docet, poſteriorum ſęculorum Pontifices Romani tollendæ confuſioni, religioſa caſtrorum Eccleſiæ agmina in varias quodammodo legiones ac turmas prudenter diſtribuerunt, & ſuam ſingulis viuendi formulam præſcripſerunt.

Alexander II. Papa anno 1061. *Camaldulenſe* inſtitutum; Vrbanus II. anno 1090. Congregationem *Vallis Vmbroſæ*; Paſchalis II. monachorum *Ciſtertienſium* ordinem anno 1100. approbarunt; ſcriptis diplomatibus, quæ apud Laërtium Cherubinum, in Bullario Romæ 1617. edito, tomo 1. exſtant. De ſingulis conſule, ſi voles, Origines noſtras Monaſticas, Coloniæ anno 1620. editas. Idem Paſchalis II. Lateranenſem baſilicam anno 1106. Rocio Priori, eiuſque Fratribus regularem vitam profeſſis conceſſit & confirmauit: *tomo 1. Bullarij.*

Alexander III. 1164. *Bernardum* Abbatem Clareuallenſem Diuis adſcripſit; militiam *S. Iacobi* in Hiſpania 1575. & *Cartuſiam* maiorem, aliaſque eiuſdem ordinis Domos 1176. ſuis tabulis ſtabiliuit. Idem Onuphrio S. Saluatoris Meſſanenſis Archimandritæ 1575. commiſit regimen monachorum ordinis *S. Baſilij*, in XVIII. monaſterijs partim Siciliæ partim Calabrię degentium: *tomo 1. Bullarij.*

Vrbanus III. Hoſpitalem domum Bononienſem in vſum pauperum excitatam, cum eccleſia ab Alexandro III. prædeceſſore ſuo constructa, Magiſtro & Fratribus *Cruciferis*

Digitized by Google

*tiu*, communem vitam ducentibus, ab eodem Alexandro commiſſam, tabulis 1187. ſcriptis firmauit: *tom.* 1. *Bullarij.*

Cæleſtinus III. Ioannem Gualterum, ordinis Vallis Vmbroſæ conditorem, 1193. Diuis annumerat: & Congregationem *Montis-Virginis*, ſub Regula S. Benedicti, 1197. approbat: *tomo* 1. *Bullarij.*

Innocentius III. Fratribus *S. Trinitatis*, & Redemptiohis captiuorum 1198. ſpecialem Regulam præſcribit: quæ extſtat to. 1. Bullarij. Idem domum Hoſpitalariã S. Mariæ in Saxia apud Romanos & domum Hoſpitalariam S. Spiritus in Monte Peſſulano apud Gallos 1204. vnit, eidemque Magiſtro ſubijcit: *tom.* 1. *Bullarij.* Hinc origo ordinis Hoſpitalariorum *S. Spiritus*: quæ gloria Domui Montis Peſſulani debetur.

Honorius III. ordinem Prædicatorum ſub S. Auguſtini Regula 1216. & ordinem FF. Minorum 1221. ſub propria Regula approbat. Carmelitarum Regulam, ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ſcriptam, 1226. confirmat: *tomo* 1. *Bullarij.* Vide ſuprà pag. 132.

Gregorius IX. Franciſcum Aſſiſiatem 1228. Antonium Paduanum 1232. Dominicum 1234. & Eliſabethã Hungarã 1235. Sanctis adnumerat. Pro *Cluniacenſis* ordinis reformatione 1233. nouas Conſtitutiones edit: quæ tomo 1. Bullarij recitantur. Ceterùm Cluniacenſis monaſterij prima fundamenta circa annum Chriſti octingenteſimum viceſimum poſuit *Guarinus*, Comes Matiſconenſis & Cabilonenſis: quod ab Hungaris vaſtatum *Gulielmus Pius*, Aruerniæ Comes & Aquitaniæ Dux, anno 910. inſtaurauit ac dotauit, primo Abbate Bernone ibi conſtituto. Huic ex ordine in regimine ſucceſſerunt *Odo*, Cluniacenſis ordinis ſeu Congregationis conditor, *Maiolus*, *Odilo* & *Hugo*, omnes Martyrologio Rom. adſcripti. Plura qui volet, Andreæ Quercetani Bibliothecam Cluniacenſem, & Origines noſtras Monaſticas lib. 2. cap. 2. & ſequenti conſulat. Ad Gregorium IX. redeat oratio. Is Magiſtro & Fratribus B. Mariæ de Mercede & Redemptione captiuorum anno 1235. Regulam S. Auguſtini præſcripſit: *tom.* 1. *Bullarij.*

Innocentius IV. *Silueſtrinorum* Congregationem ſub S. Benedicti inſtituto 1247. & Regulam à S. Franciſco traditam S. Claræ approbat. Carmelitarum Regulam mitigat: Petrum martyrem, ex ordine Prædicatorum, in cælites anno 1253. refert: *to.* 1. *Bullarij.*

Alexander IV. *Hoſpitalariorum S. Lazari* ſodalitium ſub ſignis S. Auguſtini 1255. militare iubet. Eremitarum diuerſas Cõgregationes, anno proximè ſequenti, vnum in corpus redigit, & titulo *Eremitarum S. Auguſtini* donat.

Vrbanus IV. *Clariſſarum* regulam 1262. Clemens IV. *Ciſtertienſium* Chartam caritatis 1265. & *Trinitariorum* formulam viuendi 1267. mitigant.

Nicolaus IV. tertiã *S. Franciſci* regulam 1289. approbat: Peſſulanam *S. Spiritus* domum hoſpitalariam Romanę in Saxia ſubijcit. Cæleſtinus V. ſodalium *Cæleſtinorum* Statuta 1294. comprobat. Bonifacius VIII. ex Priore *S. Antonij* Viennenſis in Gallia 1297. creat Abbatem.

Benedictus XII. *Ciſtertienſem* 1335. *Benedictinum* 1336. & *Canonicorum regulariũ* 1339. Ordines reformat; Conſtitutionibus pro bono ſingulorũ regimine editis, quæ tomo 1. Bullarij recitantur.

Gregorius XI. Fratribus S. *Ambroſij* ad Nemus Officium ſeu ritum Ambroſianum & regulam S. Auguſtini 1339. præſcribit.

Innocentius VII. Regulam Fratrum & Sororum de pœnitentiã, ordinis S. *Dominici*, 1405. ſuo diplomate firmat.

Gregorius XII. Congregationem Canonicorum *S. Georgij in Alga* prope Venetias 1406. & Canonicorum regularium S. Saluatoris 1407. inſtituit. Feſulanos *S. Hieronymi* Eremitas approbat: his Eugenius IV. Regulam S. Auguſtini 1413. præſcribit: *to.* 1. *Bullarij.*

Martinus V. *Lateranenſem* Congregationem Canonicorum regularium, varijs Congregationibus in vnum redactis, 1421. inſtituit: ordinem *Ieſuatorum* S. Hieronymi ap-

V probat

probat: Regulam S. Franciſci pro Conuentualibus 1430. & Carmelitarum mitigat.

Eugenius IV. Feſulanis *S. Hieronymi* Fratribus 1441. dat Regulam S. Auguſtini: Congregationem S. Ambroſij ad Nemus, & Ilicitanam Eremitarum S. Auguſtini inſtituit. Statuta pro monachis S. Baſilij, in Capitulo generali concepta, 1446. laudat: Clariſſarum regulam mitigat.

Sixtus IV. ordinem *Minimorum* 1474. approbat. Pro bono regimine Canonicorum congregationis *Lateranenſis* edit Conſtitutiones. Innocentius V. monachos *Vallis Vmbroſæ* in vnam ſocietatem, ſub vno Abbate, 1484. redigit; ſcriptis Conſtitutionibus, quæ tomo 1. Bullarij leguntur.

Alexander VI. Fratres Apoſtolicos ſub S. Auguſtini ſignis 1496. militare mandat. Vide quæ ſuprà pag. 53. diximus. Congregationem reformatam monachorum ord. Ciſtercienſis in Tuſcia, Inſubria, alijſque Italiæ prouincijs, titulo *S. Bernardi* cohoneſtat, & ſuis tabulis 1496. firmat.

Iulius II. *Caſinenſe* monaſterium cum Patauino S. Iuſtinæ cœnobio 1503. vnit: *Minimorum* Regulas 1505. & Ordinationes monachorum Montis Oliueti 1507. confirmat.

Clemens VII. pias Clericorum familias, *Theatinorum* & *Paulinorum*, item que Congregationem *Capucinorum* 1528. ſuis diplomatibus confirmat. Paulus III. anno 1540. & Iulius III. anno 1550. *Societatem Ieſu* approbant. Horum omnium Pontificum diplomata tomo 1. Bullarij extant. De reliquis Ordinibus ſuprà pag. 135. & ſequentibus egimus.

Pius IV. militiam S. *Stephani* 1562. confirmat. Pius V. *Cruciferos* in Italia 1568. *Ciſtercienſes* & *Seruitas* 1570. reformat: editis Conſtitutionibus pro ſingulis familijs, quæ tomo 2. Bullarij exſtant. Humiliatorum Ordinem 1571. exſtinguit. Gregorius XIII. militiam *S. Mauritij* 1572. approbat, & cum militia S. *Lazari* coniungit. Baſilianos 1579. in Congregationem redigit: Carmelitas diſcalceatos in Hiſpania 1580. approbat.

Sixtus V. duas Clericorum regularium, videlicet *Miniſtrantium infirmis* & *Minorum* familias; & Fulienſem ord. Ciſtercienſis in Gallia Congregationem ſua auctoritate ſtabiliuit. Clemens VIII. *Trinitarios, Mercenarios, Baſilianos, Eremitas Auguſtinianos, Hieronymianos* & alios ad ſtrictiorem viuendi formulam reduxit; ſcriptis legibus, quæ tomo 3. Bullarij recitantur.

Paulus V. militiam *B. Mariæ de Monte Carmelo*, in Gallia excitatam, 1608. ratificat. Inſtituta Oratorij in Italiá 1612. & Inſtitutionem *Oratorij* in Gallia 1615. ſuis litteris firmat. Gregorius XV. Congregationem Clericorum *Doctrinæ Chriſtianæ*, à Paulo V. admiſſam, in claſſe Religionum 1621. collocat, & eorumdem Conſtitutiones ſuo diplomate bullato firmat. Vrbanus VIII. *militiam Chriſtianam*, titulo B. Mariæ Virginis immaculatæ, ſub Regula S. Franciſci, 1624. approbat. Ordinis huius militaris Statuta tomo 4. Bullarij recitantur.

## *Addenda, corrigenda vel mutanda.*

PAgina 9. linea 13. *Oſtendens eos (Fratres vitæ communis) non minùs eſſe Religioſos alijs, qui Religionis nomine nuncupantur.* Hæc ſunt cõmodè accipienda: quia, vt hodie vulgò loquimur, Religioſi propriè dicuntur ij, qui tribus votis ſolẽnibus ſunt adſtricti. Pag. 10. lin. 11. & 31. *adde*, Bruxellæ Domus Fratrum vitæ communis à V.N. Philippo Heetveldio, & Cameraci à Iacobo Croyo Epiſcopo ibidem, agente Ioanne Standonco, Doctore Sorbonico, fuerunt fundatæ. Pag. 21. lin. 18. *adde*, Carmelitæ Paulopoli in Arteſia ſimiliter ſcholas aperiunt; Benedictini itẽ Onatæ in Caſtella Academiam habent. Pag. 51. lin. 1. *lege*, Ioannem Bap. Tuſum Acerræ (non *Acernæ*) Epiſcopum, qui Hiſtoriam ſui ordinis Theatini Italicè conſcripſit. Pag. 51. ſub finem, Domibus Theatinorum *adde* Bononienſem, Panormitanam, & alias. Pag. 55. lin. 36. Aneſiaci in Sabaudia Collegium, *adde*, fundatum à V.N. Euſtachio Chapuys, qui & Louanij Collegium Sabaudiæ à fundamentis excitauit ac dotauit, ibidem in ſacello domeſtico ſepultus. Pag. 98. ad marginem ponatur numerus 1578. non 1598. Pag. 136. lin. 1. *lege*, Benedictus XII. varias & fuſas Conſtitutiones edidit. Gregorius XII. Cõſtitutiones Canonicorum S. Georgij in Alga &c. Pag. 145. lin. 48. *lege*, aut ſecũdùm prædicta Statuta expelli. Pag. 151. lin. 44. & 46. ponantur hi numeri 1175. non 1575. Pag. 131. lin. 18. S. Lanfranci, *dele* S.

INDEX

# INDEX RERVM
## MEMORABILIVM.


A.

ALæ milites in Hiſpania. 132.
Alcantaræ milites. 133.
Alexander Saulius. 56.
Aloyſius Lipomanus. 47.
Ambroſiani ad Nemus. 53.
Amoris Diuini ſodalitas. 47.
Anacletus Siccus. 52.56.
B. Andreas Auellinus Theatinus. 50.
Agaunenſis Regula. 130.
Angelicæ moniales. 56.
Annuntiatæ in Francia & Belgio. 135.
Annuntiatæ Genuenſes. 135.
S. Antonij ordo. 134.
Antonius Agellius. 49.50.
Antonius Caracciolus. 47.
Antonius Gallonius. 97.
Antonius Maria Zackarias, fundator Paulinorum. 53.56.
S. Auguſtini Regula. 53.132.& 134.
Auguſtinianorum ſchola. 20.
Auguſtinus Tornielius. 56.
Auguſtinus Turtura. 71.
Auiſij milites in Hiſpania. 132.
S. Aureliani Regula. 129.

B.

BArnabitæ, aliàs Apoſtolici. 53.
Barnabitæ, al. Paulini Clerici. 52.
Bartholomæus Ferrarius. 53.
Bartholomæus Gauantus. 57.
S. Benedicti Regula. 129.
S. Baſilij Regula. 128.
Benedictinorum ſchola. 20.
Benedictus Abbas, ſcriptor Concordiæ Regularum. 131.
S. Bernardus 133.
Bernardinus Ochinus hereticus. 49.
S. Birgitta. 134.
Boni Ieſu Clerici. 70.
Burſfeldenſis Congregatio. 136.

C.

CÆleſtini. 133.
Cæſar Baronius. 96.
Cæſar Buſius. 117.
S. Cæſarij Regula. 129.
B. Caietanus Thienæus, auctor Congregationis Theatinæ. 23.47.51.
Calatrauæ milites. 132.
Camaldulenſes monachi. 131.
Camillus Lellius, inſtitutor Clericorum Miniſtrantium infirmis. 101.
Canonici regulares. 133. eorum ſcholæ in Belgio. 21.
Capucinorum ordo. 135.
Capucinæ Neapoli. 50.
Caritatis B. Mariæ ordo. 134.
Carmelitarum ordo. 132.
S. Carolus Borromæus. 54.73.98.
Carolus à Baſilica Petri. 57.99.
Carolus Magnus Imp. 21.
Cartuſianorum ordo. 131.
Caſinenſis Congregatio. 133.
Caßianus. 129.
Ciſtercienſes. 131.
Chorus non obeſt ſcholis. 57.
Chriſti milites in Luſitania. 132.
Chriſtianus Maſſæus. 7.18.
Cellitarum Congregatio. 134.
Clericorum regul. Congregationes. 135.
Clariſſarum Regula. 132.
Clementinum collegium Romæ. 76.
Cluniacenſia Statuta. 133.153.
Cœmeteria Romana. 97.
Colonia ad Corpus Chriſti multæ Regulæ manuſcriptæ. 127.
S. Columbani Regula. 130.
Communis vitæ Fratres. 1.144.
Conradus Goclenius. 19.
Cõſtitutiones in quo differãt à Regula. 64.
Corſicæ Apoſtolus Alexander Saulius Paulinus. 56.
Crucis inſigne in veſtibus Miniſtrantium infirmis. 102.
Cruciferi in Italia. 131.152.

D.

DAuentriæ Domus Fratrum vitæ communis. 2.3.19.

Diuini Amoris ſodales 47.
Doctrina Chriſtiana Clerici in Italia. 116. In Gallia. 74.
Dominicanorum Conſtitutiones. 132. Schola. 21.
Donati Regula. 130.
S. Dunſtani Regula. 131.

E.

ELnone ad S. Amandum multi libri manuſcripti. 136.
Epiſcopi, fundatores Oratoriorum in Gallia. 123. & ſeqq.
Epiſcoporum Seminarium eſt Congregatio Theatinorum. 51.
Erardus Winhemius. 18.
Eremitarum S. Auguſtini Conſtitutiones. 132. 134. ſchola in Belgio. 21.
Eugippius Abbas. 129.
Euſtathius Chappuis. 153.

F.

FErreoli Regula. 130.
Florentius Radeuinius, Gerard Magni diſcipulus. 2. 6.
Fontis Ebraldi Ordo. 133.
Fori pœnitentialis munus obeunt Paulini in multis eccleſijs cathedralibus. 55.
Franciotti fratres Lucenſes, ex primis Clericis B. Mariæ. 111.
S. Franciſci Regulæ tres. 53. 132.
Franciſcus Bourgoineus. 123.
Franciſcus à Caſtro. 106.
Franciſcus II. Dux Mediolanenſis, fautor Somaſcenorum. 71.
Franciſcus Maria Dux Vrbini, fautor Clericorum Minorum. 109.
Franciſcus Sacchinus Soc. Ieſu. 70.
Fratres vitæ communis. 1. Statuta eorumdem. 3. 135. 144. Schola publica 19. Scriptores. 18.
S. Fructuoſi Regula. 130.
Fulienſes in Gallia. 131.

G.

GAbriel Biel. 18.
Gaſpar Contarenus. 47.
Genuenſes Annuntiatæ. 135.
S. Georgij in Alga Conſtitutiones. 136.
Gerardus Magnus, fundator Fratrum vitæ communis. 1. 18.
Geſualdus & Perettus Cardinales, fautores Theatinorum. 51.
Godegrandi Ep. Regula. 131.
Græcorum collegium Romæ. 76.
Gregorius I. Papa. 22. 130.
Gregorius XIII. approbat Congregationem Oratorij. 76.
Guilielmitarum Ordo. 133.

H.

HAgioglypta Io. Macarij. 97.
Heluetiorum collegium Mediolani. 100.
Henricus Alkuſius Monaſterij, Coloniæ & Weſaliæ Fratres vitæ communis promouet. 8. 11. 17.
Henricus Borbonius P. Condæus. 124.
Henricus Dieſt. 135.
Henricus Montmorencius Dux, fautor Oratorij. 123.
Hermannus Ottembergius Ep. Atrebatenſis, fundator Oratorij, Duaci. 96.
Hieronymiani. 128. 134.
Hieronymus Æmylianus, conditor Somaſcenæ congregationis. 71.
Hieronymus Rubeus. 70.
Hoſpitalarij Ioannis à Deo. 106. 134.
Humbertus Magiſter Generalis Dominicanorum. 132.
Hymnodia ſtudijs non obeſt. 57.

I.

IAcobæi milites in Hiſpania. 132.
Iacobus Antonius Morignus. 54.
Iacobus Baccius. 103.
Iacobus Boonen Arch. Mechlinienſis, fundator Oratorij, Louanij. 127.
Iacobus Sadoletus. 47.
Ieſuatorum Conſtitutiones. 134.
S. Ignatius conditor Soc. Ieſu. 58.
Innocentius Eccleſia. 57.
Inſtituta Oratorij. 79. Oblatorum S. Ambroſij. 98.
Ioannitæ milites. 133.
Ioannes Auguſtinus Adornus, fundator Clericorum Minorum. 106. 108.
Ioannes Antonius Gabutius. 57.
Ioannes Baptiſta Caſtaldus. 47.
Ioannes Buſchius. 1.

*Ioannes Caſsianus.* 129.
*B. Ioannes a Deo.* 106. 134.
*Ioannes Gerſon protector Fratrum vitæ communis.* 8.
*Ioannis Gerundenſis Regula.* 130.
*Ioannes Leonardus, fundator Clericorum B. Mariæ.* 121.
*Ioānes Epiſcopus Hieroſolymitanus.* 118.
*Ioannes Marinonius, Theatinus.* 50.
*Ioannes Macarius.* 97.
*Ioannes Miræus Ep. Antuerp.* 20.
*Ioannes Mormus.* 123.
*Ioannes Nauclerus.* 19.
*Ioannes Petrus Caraſa, Epiſc. Theatinus, poſt Paulus IV. Papa, fundator Theatinorum.* 47. 50.
*Ioannes Petrus Iuſſanus.* 100.
*Ioannes Seueranus.* 97.
*Ioannes Standoncus promotor Fratrum vitæ communis.* 154.
*Iſabella Hiſp Infans, cum Alberto marito, fautrix Oratorij.* 96.
*Iſidori Hiſpalenſis Regula.* 130.
*Ioſephus Matrarius.* 111.
*Ioſephus Calaſantius, fundator Scholarum piarum.* 113.
*Iulianus Pomerius.* 129.
*Iulianus Dathius.* 77.
*Iulius Nigronius, Soc. Ieſu.* 64.
*Iurenſium monachorum Regula.* 129.
*Iuuenalis Ancina Ep. Salutiarum, ex Oratorio Romano.* 97.

L.

*Landolphus monachus.* 131.
*Lanfranci Statuta.* 131.
*Lateranenſis Congregatio.* 134.
*Laus perennis apud Paulinos.* 108.
*S. Lazari militia.* 132.
*S. Leandri Regula.* 130.
*Lectio in menſa* 32. 91. 149.
*Leo & Hieronymus Clerici Congregationis Boni Ieſu.* 70.
*Leodici Domus FF. vitæ communis.* 20.
*Lerinenſis Regula.* 128.
*Liber Vſuum ord. Ciſtertienſis.* 132.
*Ligator librorum apud FF. vitæ communis.* 148.
*Ludouica Taurella.* 56.
*Lupus Olmedius, concinnator Regulæ Hieronymianæ.* 128.

M.

*Macarij Regula.* 128.
*Magiſtri Regula.* 131.
*Maigretius Auguſtinianus.* 21.
*S. Majoli Papienſis Clerici.* 71.
*Mantuana Congregationes.* 132. 133.
*S. Marci Congregatio.* 133.
*S. Mariæ Clerici.* 77.
*S. Mariæ Ordo.* 135.
*S. Mariæ de Monte Carmelo milites.* 133. 135.
*S Mariæ in Vallicella templū, Romæ.* 76.
*Margarita Virgo Rauennæ.* 70.
*Mariani Equites.* 133.
*Maria Victoria, fundatrix Cæleſtinarum.* 135.
*Martinus Vargas.* 135.
*Martini Dumienſis Regula.* 130.
*S Mauritij militia.* 132. 133.
*S. Mauri Congregatio.* 133.
*Mediolani, orti Paulini, Oblati S. Ambroſij & Angelicæ.* 52. 56. 98.
*Melitenſes milites.* 133.
*Menardus Benedictinus.* 131.
*Militia Chriſtiana Equites.* 133.
*Minimorum Regula.* 132.
*Miniſtrantes infirmis.* 101. *Regula eorum.* 103.
*Minores Clerici.* 107. *eorum Conſtitutiones.* 109. *Schol*[illegible] 108. 111.
*Minores ſeu Franciſ*[illegible] 132. 136.
*Minores Capucini.* 135.
*Mons Corbulus.* 133.
*Mons Corona.* 131. 137.
*Mons Oliueti.* 133. 136.
*Mons Ortonus.* 132.
*Mons Virginis.* 137.
*Monteſia militia.* 133.

N.

*Neapoli, orti Clerici Minores.* 107.
*Nicolaus Borbonius.* 123.
*Nicolaus Orlandinus, Soc. Ieſu.* 70.
*Nota Ant. Caraccioli in Conſtitutiones Theatinorum.* 50.
*Oblati S. Ambroſij.* 98.

V 3 Olgia-

*Olgiatus Præfectus Bibliotheca Ambroſiana Mediolani.* 101.131.
*Onuphrius Panuinius.* 132.
*Oratorij Congregatio in Italia.* 78. *in Gallia.* 117. *in Belgio.* 126.
*Oratorij inſtituta.* 79. *Schola eiuſdem in Gallia.* 123.
*Ordo ſeu Rituale Benedictinorum.* 136.
*Orientalis Regula.* 128.
*Orieſij Regula.* 128.
*Orphanorum curam in primis habent Somaſceni.* 137.142.
*Oſnaburgi ſchola.* 21.

P.

*PArochialibus eccleſijs præſunt Paulini.* 54. *Somaſceni.* 138. *Patres Oratorij.* 78.
*S.Pachomij Regula.* 127.
*Papiæ & Mediolani collegia Borromæana.* 76.
*Paphnutij Regula.* 128.
*S.Patricij Regula.* 129.
*Paula Antonia, fundatrix Angelicarum.* 56.57.
*Paulini Clerici.* 52. *eorum gymnaſia publica.* 54.57.
*S.Pauli Eremita ordo.* 134.
*Paulus* III. *Papa.* 58.72.
*Paulus* IV.*Papa.* 50.
*Paulus* V.*Papa.* 77.
*Paulus Conſiliarius.* 49.
*Paulus Iuſtinianus.* 137.
*Paulus Metezius.* 123.
*Pauli & Stephani Regula.* 130.
*Petrus Berullius, inſtitutor Oratorij in Gallia.* 117.
*Petrus Caniſius Soc.Ieſu.* 19.
*S.Petri de Monte Corbulo Congregatio in Italia.* 134.
*Petrus Damiani.* 131.
*Petrus Honeſtus.* 134.
*Petrus Iuſſanus.* 134.
*Petrus Martyr Felinus.* 117.
*Petrus Martyr Vermilius hæreticus.* 49.
*B.Petrus Piſanus.* 134.
*Petrus Ribadeneira.* 20.
*Petrus Sutor.* 132.
*Petrus Toletanus, fautor Theatinorum Neapoli.* 51.
*Petrus Venerabilis.* 133.
*Petrus Vega.* 128.
*Petrus Waſtelius.* 129.
*Philippus* II. *Hiſp. Rex, fautor Clericorum Minorum.* 109.
*Philippus Ferrarius.* 76.
*S.Philippus Nerius, fundator Oratorij.* 78.96.
*Philippus Winghius.* 97.
*Pij* II. *Palatium Romæ incolunt Theatini.* 51.
*Pius* V. *Papa.* 73.
*Portuenſes Conſtitutiones.* 134.
*Prædicatorum Conſtitutiones.* 132.
*Pramonſtratenſium Statuta.* 131.136.
*Promiſſio à Fratribus vita communis fieri ſolita.* 145.146.
*Pſalmodia ſtudijs non obeſt.* 57. *eius vſus in Choro antiquus.* 53.57.

Q.

*QVadraginta horarum preces à quo & quando inſtituta.* 56.
*Quattuor Spernere beant.* 50.

R.

*REceſſuum Domus pro Clericis Minoribus.* 109.
*Regula definitio.* 64. *diſcrimen à Conſtitutionibus.* 64.
*Regula Canonicorũ & Canoniſſarũ.* 131.
*Regula* IV.*communes.* 53.65.
*Regula propria in ſingulis olim cœnobijs.* 127. *Plures ſæpe in vno cœnobio.* 152.
*Regula communes Soc. Ieſu.* 67.
*Regula denotarum.* 130.
*Raimundus Podienſis.* 133.
*Regula Patrum varijs in locis mss.* 127.
*Reynerus Benedictinus.* 131.
*Ritus Ambroſianus.* 134.53. *Roman.* 57.
*Robertus Bellarminus.* 128.
*Roberta Carafa.* 105.
*Roma ſubterranea.* 79.
*S.Romualdus conditor ord. Camaldulenſis.* 131.
*Rufaus Marchio de Esfiat.* 125.

S.

*SAbellica curia Romæ.* 105.
*Sæculares Oblati.* 101.